



Vid. Theol. Witteb. Præfa=
tio in Balduini Coment.
in Epist. ad Thimoth. &.
Henning Witte Memor.
Theolog. Decad. 11. ubi di=
citur Frid. Balduinum.
omnem Doctrinam & Eru=
ditionem suam in his Com=
mentariis exhausisse. adda=
tur König in Bibliotheca pag.=
181. voc. Balduin

Catechesis Apostolica:
hoc est,
S. Apostoli Pauli
Epistola
AD ROMANOS,

Commentario perspicuo illustrata.

In quo præter Analysin, Explicationem, & Paraphrasin textus, multiplices commonefactiones ex textu eruuntur,

Et plusquam ducentis QVÆSTIONIBUS controversis fundamenta sanæ doctrinæ monstrantur: ijsq; inprimis, quæ partim *BENEDICTUS PERERIUS ESAUITA*; partim *DAVID PAREUS CALVINISTA* disputationibus & commentarijs suis in hanc epistolam contra ὀρθοδοξίαν fidei insperserunt, in gratiam studiosæ juventutis, sufficienter respondetur:

Cum Textu Græco-latino, & Indice triplici: quorum unus est dictorum scripturæ: alter quæstionum explicatarum: tertius rerum & verborum.

Autore

FRIDERICO BALDUINO, S. Theol. Doctore, Professore, Pastore ac Superintendente in Academiâ Wittebergensi.

EDITIO SECUNDA.

WITTEBERGÆ.

Typis Augusti Boreck, Sumtibus hæredum Samuelis Selfisch & Pauli Helvvichij. Anno 1620.

Magnificis, Nobilissimis, Consultissimis, Spectatissimisq; viris

Dn. PRÆFECTO, Dn. PRÆSIDIBUS.


Nec non

Cæteris inclytæ Reipub. VURATISLAVIENSIS *SENATORIBUS AMPLISSIMIS,*

Dominis & Patronis suis singulari cum observantia colendis

Salutem & Pacem à Christo.

Magnifici, Nobilissimi, Spectatissimiq; viri,
Domini honorandi:



I quid est in universo Codice Biblico, quod accuratum & industrium requirit interpretem, cui Spiritus sanctus linguam calamumq; regat: in eo sanè censu vel inprimis est Epistola Pauli ad Romanos, quæ artificio suo semetipsam superat, & non tam familiare quoddam alloquium (quod epistolarum proprium est) quàm præclarum & insigne doctrinæ Christianæ compendium constituit, rerum momentis, argumentorum nervis, verborum elegantia tàm affabrè constructum, ut ignores, quid rimari vel mirari priùs debeas. Nam quod D. Hieronymus alicubi de scriptura divina

 in genere

in genere scripsit, eo nos inprimis de hac nobilissima Epistola commodè uti possumus: Brevi circulo coarctata est, & quantum ditatur in sensibus, tantùm in sermone constringitur. Etsi enim nihil hic obscuri, luce sua lucent omnia, ita ut externo lumine non indigeant: quia tamen sensibus nostris nonnulla videntur obscuriora, quæ sine consideratione contextus, sine cognitione phraseos, & styli Paulini, ut & absque collatione cum alijs scripturæ locis intelligi commodè non possunt: Utiq; summæ diligentiæ & discretionis est, attendere ne falsa pro veris, aliena pro genuinis in textum intrudantur: qua ratione tandem fieri necesse esset, ut somnia humana pro oraculis divinis venditentur.

Sunt autem duo inprimis, quæ docti etiam interpretis aciem hebetant, & judicium in interpretando remorantur, nimirum præconcepta opinio, & novitatis studium. Reperiuntur enim, qui interpretationis suæ fundamentum ponunt dogmata, in quibus ipsi nati sunt vel educati, quæ non ex fontibus Jsraëlis, sed ex lacunis humanæ rationis hauserunt ij, quorum institutione in juventute usi sunt. Ad ea deinceps interpretationē scripturæ detorquent, cujus sensum non ex scriptura petunt, sed in eam inferunt, or-

dine planè præpostero, cum scripturæ non ex dogmatibus, sed dogmata ex scripturis examinanda sint & explicanda. Proinde huic errori opponendus est Aphorismus Apostoli nostri Rom.12. *Prophetia sit analoga fidei*, hoc est, in interpretatione scripturæ videndum non est, quid cum dogmate quodam præconcepto cōveniat, sed quid constans & perpetua scripturarum divinarum de unoquoq; doctrinæ cœlestis capite symphonia patiatur. Non enim verendum est, ut scriptura θεόπνευστος sibi uspiam contradicat. Ita, cōstans & perpetua scripturæ doctrina est, quam repetit Apostolus in hac Epistola, hominem justificari coram Deo, non ex operibus, sed fide: ad quem scripturæ consensum provocat Apostolus Petrus in concilio Hierosolymitano *Act.* 15, 11. Audiendus itaq; non est Pontificius interpres, qui ex præconcepta quadam opinione de justitia operum, dicta Pauli, quibus de justitia fidei agit, exclusis operibus, exponit de justificatione prima, non de secunda, hoc est, de regeneratione prima, non de quotidiana pœnitentia: eam enim distinctionem in scripturam intulerunt, non ex ea petiverunt: siquidē scriptura non nisi unā justificationē novit. Sic constans & perpetua scripturæ sententia est, quemadmodum

unum Deum, unamq; fidem, ita & unum esse Baptisma, quo regenerantur omnes, qui non ponunt obicem Spiritui sancto. Audiendus itaque non est Sacramẽtarius aliquis, qui locum, Rom. 2,29. ubi Paulus mẽtionem facit circumcisionis cordis & carnis, de gemina circumcisione exponit, ut præconcepto suo dogmati de gemino Baptismo specie differente, quorum unus externus sit & sordes corporis abluat in infantia, alter internus, qui in adulta demum ætate regenerationem operetur in electis, fulcrum subjiciat. Hîc enim iterum dicimus, sensum ex præconcepto errore in scripturam illatum, non ex eodem ad probandũ errorem allatum esse. Nisi enim jam ante in dogma illud de gemino Baptismo specie differente quasi jurassent, ea sanè loci Paulini interpretatio de circumcisione gemina in mentem ipsis venire vix potuisset.

Sunt deinde alij, quibus veterum interpretationes fordent, idcircò, dum novas ipsi excogitant, ne vel hebetis ingenij esse, vel aliena scrinia compilasse videantur, in errores incidunt incauti, sæpè tamen ex singulari judicio Dei, quod cornicũ oculos configere, & suam, nescio quàm, sapientiam ostentare voluerunt. Experti hoc sunt Neoariani, magno cum suo malo, & Ecclesiæ

Christianæ periculo. Nam dum rejecta omni antiquitate, & de ponte præcipitatis sexagenarijs, ipsi in scripturam illotis, quod dicitur, manibus irruerunt, eos sanè pepererunt sacrorum textuum sensus, quibus & divinitas filii & Spiritus sancti, & meritum Christi, & universa deniq; salus hominum tantùm non funditus evertitur. His autem & similibus sacrarum literarum Novatoribus jam quidem nihil aliud opponimus, quàm quod olim Socrates humanæ sapientiæ magister Hippiæ, novum aliquid ab ipso audire cupienti, respondebat, se τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν, eadem de ijsdem tradere, quemadmodum nomen suum literis semper ijsdem scriberet. Proinde veterum & recentiorum vestigia in interpretandis scripturis legere, multò tutiùs est, quàm speculationibus privatis indulgere. easq; veterum sententijs anteponere. Quid enim jucundius, quàm illam doctrinæ consanguinitatem intueri, quam habent Ecclesiæ nostræ cum prisca illa Patrum? inquit Tertullianus libr. de præscript. Quemadmodum autem utrumque in vitio est, juxta Senecæ verbum, & omnibus credere, & nulli: ita interpretum quoque operâ cum judicio utendum est, ne in cujusquam verba juremus,

neq;

neq; temerè, quæ fortè rectè dicta sunt, rejiciamus. Meum enim judicium eſt, inquit Hieronymus in epiſtola ad *M*iner. antiquos legere, probare ſingula, retinere quæ bona ſunt, & à fide Eccleſiæ non deviare. Quod ſi ad iſtam diligentiam accedant piæ preces, ut Spiritus ſanctus nobis aperiat intellectum in ſcripturis, ne fallamur in eis, nec fallamus ex eis (quemadmodum Auguſtinus precabatur lib. 11. confeſs. cap. 2.) utiq; fieri non poteſt, quin exoriatur Lucifer in cordibus noſtris, & planiora fiant, quæ antea nonnihil intricatiora videbantur.

Tale ſtudiũ, quod citra jactantiã dixerim, cùm vera invocatione Nominis divini attuli ad interpretationem hujus tàm inſignis Epiſtolæ, quam ſuperioribus annis, profeſſione mea ſic exigente, ſuſcepi. Nolui dogmata eò afferre, ſed ea inde addiſcere: nolui novas opiniones vel explicationes textus excogitare, ſed veterum laboribus eo in genere grata mente uti. Contuli recentiorum quoq; commentarios, quos pleroſq; omnes non ſine ſingulari Eccleſiæ Chriſtianæ emolumento, eandem triviſſe viam animadverti. Et quia nemo piorum dubitat, quin hæc Epiſtola quaſi Catecheſin quandam Chriſtianam complectatur, ad quã, quæ in Eccleſia publicè

audiuntur dogmata, examinanda sint, & ex eadem vicissim, quæ cum ὀρθοδοξίᾳ fidei pugnant, refutanda; adhibui simul *P*ontificiorum & Calvinianorum commentarios, inter quos eo tempore, cùm laborem hunc susciperem, facilè primas tenebant *Benedicti Pererij Esauitæ* disputationes, *Davidis Paræi, doctoris Heidelbergensis* prælectiones: quibus in plerisque laudem eruditionis equidem neq; derogo neq; invideo: interim tamẽ, dũ accuratiùs scripta illa cõsideravi, animadverti, unũquemq; suæ religionis fundamenta, hoc est, doctrinæ veræ & γνησίας orthodoxæ nocentissimum venenum, ex hoc tam divino scripto Apostoli nostri certatim & mira cum diligentia exugere conatum fuisse, unde factum, ut tam sanctus Apostolus nonnullis Pontificio, alijs Calviniano ore loqui videretur. Quid verò facerem? Libri tunc erant in manibus studiosæ juventutis. Interpretari eandem Epistolam, & ad corruptelas istas silere, quid fuisset aliud, quàm vel veritatem prodere, vel infidelem agere interpretem? Monstravit itaque mihi par illud Adversariorum methodum mei commentarij. Nam cùm, præter brevem Epistolæ ἀνάλυσιν & verũ ejus usum in praxi potissimũ Ecclesiastica, vix quicquam tradere primùm cogitassem:

fecerunt tandem iſtorum diſputationibus, ut labor in manibus creſceret, ſiquidem operæ pretium putavi, ut unà opera ſingula ac univerſa, quæ iſti contra fidei analogiam propoſuerunt, unà cùm alijs, quæ ab Adverſarijs veritatis in hac Epiſtola in alienum ſenſum contorquentur; quæſtionibus & reſponſionibus propoſitis examinarem, qua ratione veritati noſtræ doctrinæ teſtimonium publicum præberetur, & quæ ſpecioſè nonnunquam opponũtur, ex hac Catecheſi Apoſtolica pro tenuitate mea retunderentur. Inſperſi ſubindè quæſtiones alias non peregrinas, nõ otioſas, profanas, aut ineptas, quas ſanct9 Apoſtolus à doctoribus Eccleſiæ vult alienas eſſe 1. Timoth. 1, 4. 2. Timoth. 2, 16. 23. ſed ex ipſo textu petitas, utiles & ad ædificationem diſcentium facientes; quibus multa doctrinæ Chriſtianæ capita, & ſcripturæ dicta φαινομένως ἀντιφατικὰ mediocri cum diligentia explicantur. Quid hoc in genere præſtiterim, equidem ignoro: nocere certè volui nemini, prodeſſe omnibus; qua in re Eccleſiæ judicium liberrimum relinquo: & ſicubi fortè ex imbecillitate judicij hæſitaverim (quis enim non interdum dormitat?) placidum & amicum monitorem admittere facilè poſſum. Adverſariorum autem ronchos

curare neque debeo neque ſoleo. Nullius e-
nim erroris in articulis fidei mihi ſum conſcius;
certusq́; ſum, *A*poſtolum Paulum à dogmati-
bus hodiernorum Romanenſium & Calvorum
Fratrum quàm alienisſimum eſſe. Sit Judex hæc
ipſa Epiſtola, quam Romanis inſcripſit, ubi con-
tra utramq; ſectam tàm accuratè diſputat mul-
tis in locis, ac ſi ex profeſſo id ſe facturum rece-
perit: Teſtabuntur id, qui boni ſunt, & verita-
tis ſtudioſi. *N*equaquam autem hoc meum ſtu-
dium Adverſarijs ingratum eſſe debet, quibus ſi
rem rectè penſitare volumus, nihil nocui, dum
pro veritate dixi, quæ prodeſſe ſolet omnibus,
nihilq́; minus pati poteſt, quàm abſcondi: pla-
cidè & absque convitijs cum ipſis egi; rem cum
re, cauſſam cum cauſſa certare volui: & ſi quid
omninò duriùs dictum videretur, recordentur
illi, quàm clementer interdum exceperint Lu-
therum noſtrum, & fidos ejus ὑπερασπιστὰς ac di-
ſcipulos. Criminationibus vanis utique ni-
hil proficitur, qui autem liberum de ſcri-
ptis ſuis judicium pati non poteſt, eum nimis
impenſè catulos ſuos amare, quin & Auguſti-
no delicatiorem eſſe oportet: is enim nonnun-
quam librorũ ſuorum liberum correctorẽ deſi-
derabat. Rixis non delector, nihil tamen poſſum

contra veritatem, ſed omnia pro veritate 2. Cor. 13. quam qui ex animi ſententia curat, neminem ſub opinionum ſuarum jugum pro autoritate ſubigit, ſed piam placidamq; ſententiarum collationem facilè admittit.

Etſi verò contentus eſſe potuiſſem, quod hic commentarius meus à ſat multis attentis auribus exceptus, & celeri calamo deſcriptus fuerit: quia tamen nonnulli exiſtimarunt, me rem Eccleſiæ utilem facturum, ſi eum typis exſcriptũ cum alijs etiam communicarem: volũtati ipſorum opponere me ampliùs nolui, licet ignarus non eſſem, dubiam judiciorum aleam me experiri. Non enim deerunt, ſat ſcio, quibus nondũ ſatis dictum videbitur de hac Epiſtola: neq; alij, quibus plus ſatis, in tanta commentatorum copia. Quibus utrinq; meum calculum libenter adjicio: ſed priores illos ad aliorum luculentiſſimos commentarios remitto, unde defectum hunc facilè compenſare poſſunt: nolui enim alios ſuorum laborum defraudare fructu, neq; fieri poteſt, ut una fidelia omnes dealbet parietes: hos verò ex animi ſententia rogatos velim, ne nimis præcipitent judicium. Nam in quo ſcripti genere jam ab annis benè multis non plus ſatis dictum eſt? & tamen ſemper adhuc dicen-

dum,

dum restat aliquid: præsertim in isto scriptorum divinorum pelago, ad quod qui animo verè pio accesserit, nunquam ad satietatem enavigare poterit. Extant, (quod non diffiteor) multorum verè orthodoxorum sanctæ & eruditæ meditationes in hanc Epistolam, quibus hasce meas conferre non ausim: laudem cuiq; suam relinquo, quam merentur, & sicubi opus est, etiam tribuo: interim tamen, ut pauperculus aliquis sua δυὸ λεπτὰ ad ærarium Domini afferat, nemo piorum prohibebit: quin immò, quod pro nostræ Ecclesiæ statu & utile sit & necessarium, vehementer arbitror. Nam ut nihil dicam, quod pro varietate ingeniorum, interpretum quoque varietas delectet; varietas, inquam, methodi & tractationis, non fidei aut doctrinæ; certum insuper est, quod unius libri Biblici interpretatio à multis instituta Ecclesiarum locis discrepantium harmoniam ac consensum mirificè contestetur. Ea verò re nihil est vel utilius, vel magis necessarium. Nam ut Basilius rectè monuit, non tam opus est dextra sinistræ, quã docentibus in Ecclesia harmonia ac consensu. Prætereà, nihil ferè utilius est ad doctrinã Christianã faciliùs ad plures propagãdã, quàm si de una re plures apposité disserãt, licet ipsæ dissertationes variẽt, modò

unum & eundem ſcopum omnes attingant. In quam ſententiam D. Auguſtinus ſcripſit lib. 1. de Trinit. cap. 3. Utile eſt plures libros à pluribus fieri, diverſo ſtilo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus ijsdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat. Quamobrem ſicuti ego utilisſimis aliorum laboribus, quos hoc in genere ſuſceperunt, lumen intercipere nec volui nec potui: ita vicisſim candidum hujus mei Inſtituti interpretem apud Bonos omnes ſemper mihi pollicitus fui, πρὸς τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας ζητεῖτε, ἵνα περισσεύητε 1. Cor. 14, 12.

Cur autem hunc meum Commentarium ſub inclyto veſtro nomine, Viri Nobilisſimi, Magnifici & Amplisſimi, Domini honorandi, publici juris fecerim, nihil equidem à veritate alienum dixero, ſi me patronum quæſiviſſe dixero. Sed hoc commune habeo cum alijs multis, qui veſtra benevolentia & autoritate hactenus in ſimili negotio uſi fuerunt. Me verò vel inprimis impulit celeberrimæ veſtræ Reipublicæ felicitas, quæ jam in annum nonageſimum tenebris Pontificijs eluctata, & in luce Evangelij verſata, nec Jeſuitam, nec Calviniſtam apertum publicè docentem audivit. Ridebunt

me fortaſſe aliqui, quod hanc felicitatis veſtræ partem prædico: ſed rideant, qui felicitatem Reipubl. ex divitijs, potentia ac majeſtate ſaltem æſtimant, quæ quidem in ſe magna ſunt, ſed ſine pietate, nulla. Quæ verò ſincera & non interturbata pietas eſſe poteſt, ubi iſta genimina viperarum nidos poſuêre ſuos? Memini paucis ab hinc annis celeberrimum noſtrarum Eccleſiarum Theologum, qui nunc ἐν ἁγίοις, referre, *P*ontificium quendam ſacellanum ſibi affirmaſſe, longè magis pacificas fore Eccleſias, ſi absque ſuis eſſet Jeſuitis, & absque noſtris Calviniſtis. Dictum hominis Pontificij fortaſſe non contemnendum. Quis enim ignorat angulos mundi ſordere omnes, quotquot hi perreptarunt ſcarabæi? Quemadmodum enim in quam plurimis doctrinæ capitibus pulcerrimum ἑνωτικὸν conſtituunt: ita vafritie, Sophiſtica, hypocriſi, ſimilibusq; virtutibus, tam diligenter mutuas ſibi præſtant operas, ut eandem gemellorum (quamvis Cadmæorum) fratrum faciem facilè agnoſcas. Unum enim ſi noris, ambos noris. Quod ſi ergo D. Paulus orare jubet, ut liberemur ab ejuſmodi importunis & malis hominibus 2. Theſſal. 3, 2. utique non poſtrema

felicitatis humanæ pars erit, si Respubl. aliqua ijsdem vel jam liberata est, vel infecta nunquam fuit. Proinde celebrent alij urbis vestræ majestatem, splendorem, opulentiam & potentiam, quæ quidem apud me quoque magna sunt singula, & certissima benedictionis divinæ indicia universa: mihi verò inter ista omnia familiam ducit puritas doctrinæ cœlestis, quæ vel ex pagis & oppidulis civitates Christi facit. Eam verò à majoribus acceptam curâ & impensa longè maxima feliciter fovetis, tantumq; indies efficitis, ut muscæ, quas ad marginem Reipubl. vestræ toleratis, majus detrimentum vobis afferre nequeant, quàm quod Ecclesiarum vestrarum nitidissimam faciem non nisi aspergine quadam colorent, de genuino autem splendore suo nihil quidquam per Dei gratiam hactenus detraxerint. Quo in genere eximiam præstant operam præstantissimi Ecclesiarum vestrarum ministri, quos omnes exquisita eruditione, dexteritate & virtute excellere constat, inter quos honoris gratia nomino Reverendum & Clarissimum virum, Dn. Zachariam Hermannum S. Theologiæ Doctorem eximium, Pastorem vestrum primarium, amicum meum sincerum & singulariter hono-

randum, cujus ſanctisſimi labores, præclara eruditionis ſpecimina, & ſingularia virtutum ornamenta Reipubl. veſtræ jam in annum viceſimum, & quod excedit, magna multarum animarum cum ſalute inclaruerunt. In hunc uſum multa præclara ingenia magnis ſumtibus alitis, & ex bene inſtructis Scholis veſtris tanquam à matre dimiſſos alumnos, in Academiæ noſtræ, tanquā fidelisſimæ nutricis, ſinū exponitis: quorum jam ad minimum triginta numeramus, qui ex veſtra ſaltem civitate; ſed quaſi quadringentos qui ex Sileſia veſtra ad nos misſi hîc vivunt, bonam partem SS. Theologiæ ſtudio addicti. Quæ omnia qui in nulla felicitatis veſtræ parte ponit, eum profectò de vera pietate optimaque Reipublicæ conſtitutione, quin & de animæ ſuæ ſalute vel nihil intelligere, vel parum ſolicitum eſſe oportet. Ego verò non dubito, viri Spectatisſimi, quin Nobilisſimæ, Amplisſimæq; Magnificentiæ veſtræ illam tàm præclaram Dei benedictionem grato animo agnoſcant, & præcipuam felicitatis ſuæ partem æſtiment. Pro qua jam ſub auſpicijs novi REGIS, quem ſummâ & inauditâ ferè magnificentiâ excepiſtis, haud dubiè, pro veſtra pietate, diligentisſimè laboraſtis, ut apud vos inprimis ita ſit perpetua,

ne ullis vel Jesuitarum, vel Calvinianorum fraterculorum molitionibus quoquo modo interrumpatur. Quo nomine prout par est, & vobis gratulor ex animi sententia, & hunc commentarium meum partim testem esse volo ejus doctrinæ, in quâ hîc educantur cives & alumni vestri; partim etiam meæ erga vos observantiæ prædem. Neque dubito, quin quemadmodum Romani, orbis terrarum Domini, Apostoli sui, quantumvis à facie ignoti, Epistolam grato acceperunt animo, ita vestræ quoque Nobilissimæ Magnificentiæ de splendore atq; dignitate sua tantùm sint paulisper remissuræ, ut hasce meas in eandem Epistolam lucubrationes, sub honoratissimo suo nomine publici juris factas hilari fronte, benevolaq; mente excipiant. Ego verò interim Deum præpotentem supplex veneror, ut & vobis & Reipublicæ vestræ, omnibus animi corporis & fortunæ bonis benedicere clementer pergat, Ecclesias scholasq; vestras in flore conservet, & eandem felicitatem vestram ad seram usq; posteritatem sine interruptione propaget. Ita, juxta elogium Domini Philippi Melanthonis, verè erit URATISLAVIA plantarium cœli, & gubernatorum terræ seminarium atque doctrinæ, disciplinæ, exercitiorum

pietatis

pietatis, omnisq; honestatis domicilium, fons literarum & totius doctrinæ augustus & perennis, in patriam nostram Germaniam scaturiens, & in totam viciniam exundans.

Perscriptum VVitebergæ die Sanctorum Angelorum anni Christiani 1611.

Nobiliss. & Ampliss. Vestræ Magnificentiæ

studiosissimus

Fridericus Balduinus D.



S. THEOLOGIÆ STUDIOSIS.

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

S. P.

CUM, *post absolutum scholarum Propheticarum pensum, ad N. Testamenti explicationem ratione legum progrediendum mihi esset, vel inprimis arrisére* epistolæ D. Pauli, *quas propter Autoris præstantiam, materiarum sublimitatem pariter ac ubertatem, stylique verè Apostolici elegantiam ac gravitatem non incommodè thesaurum Theologiæ Christianæ nominaveris. Autor miraculosâ suâ conversione, revelationibus, prodigijsque divinis, laboribus indefessis, & , quod* Lactantius *ei tribuit* lib. 4. cap. 20. *prædictionis quoque dono universo orbi Christiano jam innotuit: in cujus animo, ut* Chrysostomi *verbis utar, pratum insigne virtutum, & Paradisus spiritualis reperitur. In doctrinâ suâ præter copiam longè maximam, & majestatem planè divinam, methodum insuper Theologiæ non tam tradit, quàm tractat accuratam, ostendens, qua dexteritate in informando, gravitate in movendo, suavitate in consolando, animositate in redarguendo, fidelitate denique in omnibus sit utendum: in quibus qui verborum & sententiarum nervos, solidumque robur, mascula cum affabilitate*

tempe-

temperatum non videt, nihil profectò videt. Viderunt sanè ea omnia Orthodoxi Patres, qui his nominibus Apostolum nostrum cæterorum principem appellare, jure meritoq; censuerunt. Chrysostomus *octo homilijs Pauli nostri laudes ex his ipsis ferè capitibus prolixè prosecutus est, tam digni Apostoli dignissimus eloquentissimusq; commendator.* Eusebius lib. 3. hist. cap. 24. *Paulum nostrum omnibus Apostolis eruditiorem vocat, qui etiam in verbis & sensibus sit præpotens, & in parvo epistolarum corpore immensa contineat atq; innumera Sacramenta, utpotè qui etiam usque ad tertium cœlum raptus, quæ gererentur, inspexerit, & doctrinam suam cœlestis scholæ discipulus in Paradiso exceperit.* Hieronymus in epistola ad Pammachium *appellat Apostolum nostrum vas electionis, tubam Evangelij, rugitum Leonis nostri, tonitru gentium, flumen eloquentiæ Christianæ: Et de Epistolis suis in specie scribit* in Apol. pro libris ad Jovinianum: Paulum Apostolum proferam, quem, quotiescunq; lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite Epistolas ejus, & maximè ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est; & videbitis eum in testimonijs, quæ sumit ex Veteri Testamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit ejus, quod agit. Videntur quædam verba simplicia, & quasi innocentis hominis & rusticani, & qui nec facere, nec declinare noverit insidias: sed quocunq; respexeris, fulmina sunt: Hæret in caussa, capit omne, quod tetigerit, tergum vertit, ut superet, fugam simulat, ut occidat. *Sufficiant hæc sapientissimorum hominum elogia contra recentiores Paulomastygas, quibus Epistolæ Paulinæ coguntur esse hiulcæ, obscuræ, abstrusæ, non cuivis proponendæ, &, ut* Martinus *Peresius* Hispanus *Patrum memoriâ scripsit, troporum, voraginũ, concisionum, hyperbatorum plenæ, ac instar librorum Sibyllinorum vulgo probibendæ, siquidem, si Monacho isti credimus, nec Paulus ipse voluerit, ut quilibet intelligeret omnia in illis contenta. Ejusdem furfuris est, quod* Robertus Bellarminus *in appendice de summo Pontifice cap. 13. Epistolam ad Romanos ideò Græcè scriptam esse contendit,*

quia noluerit eam à vulgò legi: quasi verò Romanis tantùm, & non omnibus qui Romæ agerent, scripserit: quò jam confluxerat tota Græcia, adeò ut Juvenalis sat. 3. Græcam urbem appellet. Certe Græcorum lingvam tùm non Italiam solùm; verùm etiam Syriam, Ægyptum, Ciliciam ac bonam partem Orbis occupasse, constat ex historiis; quomodo ergò vulgò ignota esse potuit? Est ergò hoc quoque ὑπώπιον Pauli nostri, quod immerenti fecit degener iste Romanus. Graviores vibices recentiùs accepit à Benedicto Pererio*, blasphemæ societatis socio, qui disputat: secunda in Epistolam ad Romanos Paulinis epistolis, & inprimis huic, quam ad Romanos scripsit, præter obscuritatem insuper tribuit solœcismos, verba plebeia, trivialia, nec non incomtam atque inornatam dictionem. His nimirùm elogijs homines isti Apostolorum principem dimittunt, cui non modò venerandus orthodoxæ antiquitatis chorus adsurgit, sed &* D. Petrus *hanc laudem tribuit, quod epistolas suas sapienter scripserit: in quibus si qua occurrant difficilia intellectu, exinde esse ait, quod rectè scripta homines ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι depravent, sicut & cæteras scripturas ad suum ipsorum perditionem* 2. Pet. 3. *Egregia profectò descriptio nostrorum Paulomastygum in Papatu, qui totius scripturæ osores pariter & corruptores, cum non intelligant, quid sit Iustitia fidei, quid Lex, quid Evangelium, quid concupiscentia in Renatis, quid gratia, quid fides &c. mirum non est, quod quæ hac de re docet contra Pontificios Apostolus noster, ipsi depravant, in rem suam contra Apostoli mentem detorquent, & stylum Apostolicum ex meretricio fuco sermonis humani metientes, incomtum, inornatum, trivialem & plebejum reddunt. Sed non est hic locus pluribus agendi cum his hominibus: jam ad institutum meum venio. Propositum mihi est, deinceps, adjuvante* DEI *gratia, planam & perspicuam EPISTOLÆ PAULINÆ AD ROMANOS* διέξοδον *instituere, tum quia ea inter cæteras potissimum propter articulorum fidei, quos tractat, copiam, & doctrinæ Apostolicæ specimen illustre, primas obtinet: tum etiam quia statuta Collegij nostri in primis requirunt, ut hujus tam divini scripti frequens instituatur enarratio. Etsi verò in tanta luculentissimorum commentariorum copiâ Iliada post Homerum scribere videar, meæq; tenuitatis conscius nihil melius ijs, quæ priùs dicta sunt, promittere possim: attamen, quia legibus parendum est, progrediar in hac infirmitate meâ,*

quo

quo ad potero, propositurus fideliter, quæ Domini Spiritus suggesserit, quæq; ad utilitatem studiosæ juventutis vel maximè pertinere videbuntur, initium cum Bono Deo facturus ad diem Martis horâ quartâ pomeridianâ. Benedicat his quoq; laboribus Dominus exercituum ex alto, illuminet faciem suam super nos, & misereatur nostri: doceat nos justificationes suas, nec auferat ab ore nostro verbum veritatis, & custodiemus legem ejus semper, in seculum & in seculum seculi. P. P. Dominica IX. post Trinitat. Anno Christiano 1608.

Fridericus Balduinus D.



Ad Reverend. & Clarissimum virum,

FRIDERICUM BALDUINUM,

Theologiæ Doctorem, & Pastorem Primarium:

EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS commentantem.

JLLI Orbis dominæ Urbiumq; ROMÆ,
Cui PAR nil fuit, & nihil SECUNDUM,
CHRISTI Præco ter optimus, magistrum
Quem Cœli schola tertij creârat,
Sacræ misit EPISTOLÆ tabellas,
Cui PAR nil habet & nihil SECUNDUM
Totum hoc Orbis & Urbium theatrum.
Quæ cùm scripta sit omnium SALUTI,
Non sat omnibus explicata visa est.
Nunc ut omnibus omnia explicentur;
Pro rerum indole, BALDUINE, lustras,
NOS in mystica sacrosancta PAULI
Recto lumine passus intueri.
Quæ sunt illa? vel una nominabo:
FIDE salvus homo est, fideq; SOLA.
Hoc unum potuisse pervideri,
Plus est, quàm penetrasse multiformeis
Olympi penitissimi recessûs.
SIS felix, oculorum OCELLE; & Urbi huic
Diu sis oculus, scholæq;: & Orbi
PAR nullus tibi vivat, aut SECUNDUS.

Collegæ & Compatri meo faciebam

FRID. TAUBMANUS,
Professor Humanitatis.

IN AUREAM BEATI PAULI APOSTOLI EPISTOLAM AD ROMANOS

PROLEGOMENA.

TITULUS libri, quem præ manibus habemus, duo potissimũ à nobis exigit, ὡς ἐν προθεωρίᾳ explicanda, antequam ad justam interpretationem accedamus. Unum est de AUTORE: alterum de ipso SCRIPTO.

DE AUTORE.

Supervacaneum videtur quærere de Autore scripti Apostolici, cùm immediatè omnia referantur ad Spiritum Sanctum 2. Petri. 1, 21. & multi sunt libri Biblici, quorum autores mediati vel ignorantur vel incerti sunt, de quorum autoritate tamen non dubitatur. Verum enim verò, cum Autor hujus Epistolæ in ἐπιγραφῇ disertis verbis exprimatur, accedat etiam universale Ecclesiæ primitivæ testimonium, credimus omninò, Epistolã hanc ad nullum alium, quàm eum, quem præ se fert, autorem esse referendã. De eo tria cognoscenda sunt. 1. *Nomen*. 2. *officium*. 3. *Autoritas*.

1. Nomen Autoris est PAULUS, de quo non est eadem omnium opinio. Certum est nomen gentilitium in circumcisione impositum, fuisse *Pauli nomen, & de eo diversæ opiniones.*

SAUL, quod petitũ aut postulatum significat. Eo enim nomine appellat eũ Christ9 in cõversione, Saul Saul, quid me persequeris *Act.* 9, 4. Hoc ipsi nomen nonnulli dicunt à conversione fuisse immutatũ, sed alij alijs temporibus. Chrysost. in ipsa statim conversione mutationẽ factã esse scribit à Deo, qui eum Paulũ vocaverit, quemadmodum Simonem vocavit Cephã sive Petrũ *Ioh.* 1, 42. Quidã nominis hujus mutationẽ rejiciunt ad annum cõversionis decimum, quando nimirum D. Paulus segregatus fuit ex Ecclesia Antiochena ad docendum Evangeliũ inter gentes *Act.* 13, 2. tunc enim aliud ipsum accepisse nomen, quemadmodũ filij Zebedæi, cũ vocantur ad Apostolatũ *Mar.* 3, 17. Hieronymus in Epistolam ad Philem. rejicit istam mutationem in annum conversionis Paulinæ undecimũ, quando nimirum Paulum Sergium Proconsulem primum omnium ex gentibus Christo lucrifecit, *Act.* 13, 7. in cujus victoriæ memoriã nomen Proconsulis ipsum assumsisse scribit; cum quo consentit *Augustinus lib. 8. Confess. cap. 4.* his verbis: *cum Paulus Proconsul per ejus militiam debellata superbia, sub leni jugo Christi tui missus esset, regis magni provincialis effectus, ipse quoq; ex priore Saulo Paulus vocari amavit, ob tam magnæ insigne victoriæ.* Sed non est verisimile, Apostolum nostrum post conversionẽ demum aliud accepisse nomen: siquidem

1. *Chrysostomi*
2. *Ambros. Catharin.*
3. *Hieronymi.*

quidem post conversionem etiam Saul appellatur, *Act*.11,25: 12,25: 13,2,9. Verisimilior igitur est sententia Origenis, & qui ipsum sequitur, Erasmi, Apostolum fuisse binominem, à primis unguiculis. A parẽtibus enim Saul vocatus fuit, quia erat ex tribu Benjamin Phil.3.in qua nomẽ Saulis propter primum Regem ex eadem tribu oriundũ, erat celebre. Addebatur a. nomen *Pau*li, quia Tharsenses erant cives Romani, apud quos vel maxime *P*auli nomen erat illustre. Unde Lucas *Act*.13,9. utrumq; nomen conjungit, *Saulus qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto &c.* Ubi tamen & hoc animadverti potest ex Actis Apostolicis, Apostolũ cum Judæis cõversaretur, appellatum fuisse Saulũ, quod nomen isti genti familiare erat; inter gẽtiles verò *P*aulum, nomine Græcis & Romanis notissimo, qua ratione se ad judicium auditorum suorũ attemperare voluit, ut fieret omnibus omnia 1.*Cor*.9,22.

Origenis & Erasmi.

2. Officiũ *P*auli est Apostolicũ: Vocatur n. *Pau*lus Apostolꝰ, quę vox origine gręca est, significãs legatum & internũcium ab alio missum *Ioh*. 13, 6. unde scribit, se pro Christo legatione fungi 2. *Cor*.5,20. potestate autẽ est nomen muneris Ecclesiastici, quod inter dona Ecclesiæ divinitus concessa primum habet locum *Eph*.4,11. Etsi v. *A*postoli vox ratione etymi significat quẽcunq;

Apostoli nomen.

legatum ab alio miſſum, quo ſenſu Chriſtus ipſe Apoſtolus noſter vocatur *Heb.* 3,1, eo nimirũ, quo MITTENDUS appellatur *Geneſ.* 49, 10: & eodem reſpectu etymi Epaphroditus *Apoſtolus* Philippenſium dicitur *Philip.* 2,25. attamen hic non tàm etymon quàm poteſtas hujus vocis attenditur. Eſt igitur Apoſtolus propriè nomen muneris Eccleſiaſtici extraordinarij, reſpectu ordinariorum Eccleſiæ doctorum, quibus hodieq; utimur: non ſecus ac Prophetarum officium extraordinarium erat, reſpectu ſacerdotum & cæterorum Levitarum: unde in aſſignando Eccleſiæ fundamento, Apoſtoli & Prophetæ conjunguntur, quia utrorumq; autoritas ejusdem erat ponderis, & vocatio utrinq; extraordinaria ac immediatè à Deo. †

† [*Autoritas illa pendebat. 1. à vocatione immediata. 2 ab inſtitutione immediata. Erant enim θεοδίδακτοι, quorum & verba & res ſunt à Deo inſpiratæ: cæterorum doctorum res tantum ſunt à Deo. Aliàs differentia eſt inter Prophetas & Apoſtolos: 1. ratione temporis, illi de futuris agunt, hi de præſentibus. 2. ratione loci: illi in uno certo populo, hi in univerſo mundo prædicarunt: Mar. 16.*]

Ejusmodi Apoſtolorum primùm erant duodecim, ad prædicandum Evangelium inter Judæos & gentes emiſſi, quibus adjungebantur alij ſeptuaginta, pari poteſtate, qui non *Apoſtoli* ſed diſcipuli, vel ſimpliciter tantùm Septuaginta appellabantur *Luc.* 10,1. Duo-

Duodecim Apoſtolis addebatur poſt Chriſti adſcenſum in cœlos, Paulus noſter, in hunc potiſſimùm finem, ut eſſet gentium Doctor, cæteris inter Iudæos primariò occupatis *Act. 9, 15.* Unde ſemetipſum *Apoſtolum gentium* nominavit *Rom. 11, 13.* quia plerunq; inter gentes prædicavit.

Apoſtolicum officium.

Officium Apoſtolorum erat, annunciare voluntatem Dei in univerſo orbe, cæteroquin nulla prorſus poteſtas aut dominium Apoſtolis conceſſum eſt, multò minus Apoſtolus Petrus ſingulare privilegium ſuperioris alicujus poteſtatis habuit, ut perperam cenſet *Pererius diſp. 2. in cap. 1. ad Rom.* Nam hoc erât utiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, inquit *Cyprianus tract. 3. de ſimpl. prælat. & citatur Can. loquitur 24. quæſt. 1.* †

Pererius in epiſt. ad Rom. pag. 84.

† [*Bellarminus lib. 2. de pontif. Romano cap. 12. tria ſcribit eſſe requiſita Apoſtoli: 1. ut ſit immediatè doctus à Deo. 2. ut fidem propaget & varias Eccleſias conſtituat. 3. ut habeat ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam. Priora duo agnoſcimus; poſtremum non item: aliàs tot eſſent cum imperio vel ſumma poteſtate in Eccleſia, vel ut Pontificij loquuntur, tot eſſent monarchæ, quot fuerunt Apoſtoli.*]

Quod verò D. Paulus gloriatur de poteſtate ſuâ 2. *Cor.* 10, 8. utiq; non intelligit poteſtatem dictatoriam, aut primatum dominandi & imperandi alijs, quem Pontificij ſub tribũnt Pſeu-

doapostolo *Pontifici Romano*: sed autoritatem *Apostolicam*, quæ consistit in commonefaciendo & redarguendo, nō ad destructionē sed ad ædificationem: dominium a. interdicit *Apostolus Petrus* suis Sympresbiteris 1. *Pet.* 5, 3. Unde & *Apostoli* omnes cōmuni nomine cooperarij Dei vocantur. 1. *Cor.* 3. non tantùm *Petrus*, sed & Iohannes & Iacobus Columnæ Ecclesiæ dicuntur *Gal.* 2. Quemadmodū autem inter se pares sunt *Apostoli*, absq; dominandi potestate; ita longè maximam habent præeminentiā præ cæteris Ecclesiæ doctoribus 1. *ratione vocationis*: *Apostoli* enim immediatè ab ipso Deo, cæteri mediatè ab Ecclesia & hominib9 vocati sunt, ex quo fundamento *Apostolus* Paulus suā asserit autoritatem *Gal.* 1, 1. 2. *ratione auditorum*. *Apostoli* in universum erant ablegati mundum, non ad unam certam gentē populumq; missi, cæteri verò suum quisq; habent cœtū, fidei suæ commissum, unde D. *Petrus* hortatur Ecclesiæ *Doctores*, pascant gregem eum, *qui ipsis commissus est* 1. *Petri* 5, 2. 3. *ratione* αὐθεντίας. *Apostolorum* scripta sunt ipsum DEI verbum, & Canon fidei, unde *Apostolus Paulus* verbum à se prædicatum non vocat sermonem hominum, sed reverà sermonem *DEI* 2. *Thessal.* 2, 13. Cæteri Doctores sua ex *Apostolorum*

Apostolorum preeminētia præ cæteris Ecclesiæ ministris.

ſtolorum ſcriptis mutuantur, quæ idcircò Canonem fidei non conſtituunt, niſi quatenus cum Apoſtolorum doctrina conſentiunt: Unde & ipſi Doctores non Apoſtoli, ſed Doctores Apoſtolici vocantur. 4. *ratione donorum*: Apoſtoli immediatâ Spiritus Sancti illuminatione docuerunt, doctrinamque miraculis confirmarunt *Actor. 3.* Cæteri doctores non niſi multis ſudoribus & laboribus docendi facultatem ſibi comparant, neque dono miraculorum opus habent; ſed hoc ipſis grande miraculum ſufficit, quod ea terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit, inquit *Auguſtinus lib. 22. de civit. DEI cap. 5. in fine.* Quod autem Apoſtoli fuerint *impeccabiles*, ut barbarè loquitur *Pererius p. 67.* hoc eſt, quod mortaliter peccare non potuerint, falſum eſt. Nam & Apoſtolus Petrus ipſo facto peccavit graviſſimè, ſubtrahens ſe à cõverſatione gentiliũ, & ſcandalum præbens infirmis, quo nomine graviter objurgatus fuit à Paulo: unde ſanè non impeccabilis, ſed κατεγνωσμένος, repræhenſibilis & condemnatione dignus vocatur *Gal. 2, 11.* quin & D. Paulus ſibi metuit, ne fortè fiat ἀδόκιμος reprobus *1. Cor. 9, 27.* & D. Iacobus ſcribit; in multis labimur omnes *Iacob. 3, 2.* Semetipſum minimè excludens. Nihil autem ad rem facit locus *Ioh. 14.* quem adducit Eſauita

An Apoſtoli fuerint ſine peccato?

Pereriu

Pererius; *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Mansit enim in ipsis Spiritus Sanctus ut παράκλητος & ὑπερασπιστὴς, ut cõsolator & Spiritus veritatis, quẽ tamen, si facti fuissent reprobi, excutere potuerunt. Ergo si vel maximè nullum peccatum mortale in Apostolis actu notari posset, quin tamen id fieri potuisset, negari nequit, quia & in multis labi & reprobi fieri possunt.

Convenit autem orthodoxis Ecclesiæ doctoribus cum Apostolis in doctrina & potestate Ecclesiastica. Nam doctrinam suam ex Apostolorum scriptis depromunt, siquidem Prophetia scripturæ propria interpretatione non fit 2. *Petri* 1, 20. & Apostolus Paulus scribit; si vel angelus de cœlo aliud Evangelium proponat, quàm quod ipse docuerit, anathema sit *Gal.* 1, 8. Claves etiam Apostolis concreditæ cæteris Ecclesiæ doctoribus nõn sunt denegatæ. Quemadmodum enim eas sub nomine Petri omnes accepêre discipuli *Ioh.* 20, 21. ita sub nomine discipulorum tota Ecclesia *Matth.* 18, 16. quæ per ordinarios verbi ministros eas hodie exercet, aliàs nulla esset peccata ligandi vel solvendi potestas in nostro ministerio.

Autoritas D. Pauli diversimodè asseritur.

3. Quod Autoritatem Apostoli Pauli attinet, ea sanè multis nominibus magna atq; veneranda

randa est in Ecclesia, Nihil dicam de dignitate tribus Benjamin; ex qua ipse oriundus erat. Ea enim ob potestatem regiam, in qua primatum habuit præ cæteris, ob sedem Ecclesiæ, & propter constantiam, cum cæteræ tribus à regno Judæ deficerent 1. *Reg.*12. maximè olim fuit celebrata. Sunt aliæ causæ, quæ Paulo nostro eximiam & tantùm non divinam adserunt autoritatem 1. mirabilis ejus conversio, quæ descripta legitur *Actor.*9. & 22. *Gal.*1. Nam cùm adhuc cædes ac minas spiraret, inq; ipso furore persecutionis esset, voce divina cœlitus tactꝰ subitò fit vas electionis & minister cōversionis universo mundo, ut *Bernhardus* loquitur *ser.* I. *de cōvers. Pauli.* Cujus conversionis cum exemplum simile non extet, non immeritò, qui ante conversionem omnibus erat metuendus, jam post conversionem omni venerationis cultu honorādus est. 2. Immediata vocatio per revelationes divinas facta, ad quam ipse provocat *Gal.* I. ubi scribit, se neq; ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, esse Apostolum, & vers. 12. addit, se neq; ab homine accepisse neq; didicisse Evangelium suum, sed per revelationē Iesu Christi. Vocatur equidem à Nazianzeno orat. I. ad Eunomianos piscato-

1. Pauli conversio.

2. Pauli vocatio ad Apostolatum.

rum, id est, cæterorum Apostolorum discipulus ac Magister, sed eo sensu, quem exposuit Elias Levites commentator Nazianzeni, quia cum *A*postolis de Evangelio disseruit, idcircò vocatur discipulus pariter & Magister: Discipulus autem peculiariter quod illos subsecutus sit, atq; in divulganda Evangelij doctrina vestigijs præcedentium institerit: doctrinam autem suam ex divinis revelationibus habuit. Harum revelationum haud dubiè factum est initium eo triduo post conversionem suam, quod cœcus & jejunus consumsit, in quo & oravit & vidit in visione *A*naniam ad se venientem, ubi dubio procul ab ipso Christo Evangelicam didicit doctrinam, quam mox post receptum visum in Synagogis Damascenis prædicavit, cum magno Judæorum stupore & confusione: plures deinde revelationes subsecutas fuisse, *A*postolus ipse testatur 2. *Corinth.* 12. Rectè igitur refutat Pererius Esauita Sixtum Senensem Monachum Dominicanum, quod Paulum Evangelicæ historiæ narrationem à Luca didicisse scribit. Nam contrarium verum est, quemadmodum *Tertullianus* testatur, *lib. 4. Contra Marcionem* Evangelium à Luca digestum Paulo adscribi solere & capita magistrorum videri, quæ discipuli promulgarint.

Paulus doctrinam suam non habet à Luca, ut voluit Sixtus Senensis.

garint. Unde D. Lucas ab Irenæo Sectator *Apostolorum* vocatur *lib. 4. cap. 20.* & Lucas ipse scribit, se referre, quæ tradiderunt ij, qui ab initio ipsi viderãt, *Luc.* 1, 2. 3. *Auget* Autoritatẽ *Pauli* Raptus ejus in cœlũ planè admirandus, quem ipsemet describit. 2. *Cor.* 12, 2. *sequent.* qui sanè nõ fuit phantasticus quidam lusus aut otiosum spectaculum, sed realis translatio Apostoli è sede terrena in statum beatorum, concionibus ac doctrinis planè divinis exornata; quod ipsum etiam nulli *Apostolorum* contigit. 4. *Accedit* multitudo scriptorum hujus *Apostoli*, quæ non parum autoritatis ipsi conciliat, præsertim cùm omnia divini Spiritus & Apostolici Zeli vestigia monstrent non obscura. Nam cum *Paulus* eum prædicaret, quem antea persequebatur, facilè fieri potuisset, ut Judæis aut Christianis dubia ejus redderetur doctrina, quemadmodum in prima statim ejus concione Damasci habita murmurabant: nonne est hic, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud, & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad Principes sacerdotũ *Act.* 9, 21? Idcircò Deus eum plura scribere voluit, ut omnes sic nobis vera esse, quæ doceret, facilius persuaderemus: quam rationem annotavit *Cyrillus in* 10. *catechesi.*

3.

Pauli raptus.

4.

Cur Paulus tam multa scripserit.

5. *Pauli labores.*

5. Deniq; doctrinæ ejus efficacia & miraculorũ claritas ipsius autoritatem maximè commendant. Laboravit enim in Evangelio plùs cæteris Apostolis. Peragratâ Pãphilia & *Pisidia*, *Antiochenam*, Iconiensem, Lystrensem, Derbensem, Pergensem Ecclesiam fundavit *Actor.* 13. in Phrygia deinde, Galatia, Mysia, Macedonia, Achaja, Græcia prædicavit *Actor.* 16. seq. & ut ipse scribit *Rom*, 15, 19. ab urbe *H*ierosolyma per circuitum ad Illyricum usque omnia Evangelio complevit, & quidem in iis locis, ubi nondum nominatus fuerat Christus *v.* 20. De miraculis ejus satis abundè loquuntur Acta *A*postolica, & distribuit ea ipsemet in signa, prodigia & virtutes 2. *Cor.* 12, 12. Signa vocat curam morborum curabilium, ut, quod patrem Publij à febri & dissenteria liberavit precibus & impositione manuum *Act.* 28. *Prodigia*, curationes defectuum incurabilium, ut, quod Lystris sanat claudum ab utero *Actor.* 14. *Virtutes*, Imperium in Diabolos, ut vel dimittant homines, cujus exemplum extat in Pythonissa *Actor.* 16, vel eos flagellent, quod factum in Elyma mago, imperante Paulo, *Actor.* 13. Ex quibus omnibus liquidò constat, Paulum Apostolum omninò talem tantumque esse, cui & primarij *A*postoli &

6. *Pauli miracula.*

magni

magni Gentium Doctoris titulus jure meritoq; debeatur; quod ad commendationem ejus hoc in loco sufficiat. Tantum de Autore.

DE SCRIPTO.

Libros Novi Testamenti commodè distribuere possumus in duas classes, ita ut quidam sint Historici, quidam Didactici. *Historicos* voco quatuor Evãgelia & *Acta* Apostolorum. *Didacticos* cæteros omnes, quos Apostoli formâ Epistolari ad certas Ecclesias vel personas informationis gratia scripserunt. Et hæc Apostolorum doctrina ab Evangelio Christi nihil prorsus differt, nisi ratione temporis duntaxat, unde & D. Paulus doctrinam suam in Epistolis contentam non dubitavit appellare Evangelium *Galat.* 1. Retulerunt autem in literas, quæ antea vivâ voce tradiderunt, consulentes hac ratione 1. *Auditoribus* suis, quos per fidem in Christum Evangelio suo regenuerant, quibus per compendium Epistolarum in memoriam revocare voluerunt, quæ viva voce tradiderant præsentibus. 2. *Sibiipsis*, ut nimirum abstrusiora mysteria, quæ viva voce prætererunt, Epistolis suis magis magisque expolirent. 3. *aliis*, qui nimirum in

Libri Novi Testamenti duorum sunt ordinum. Historici. Didactici.

ſera poſteritate ad res divinas audiendas idonei futuri erant, quas rationes *Nicephorus* recenſet de ſcriptis Paulinis. *lib. 2. cap. 34.* Hinc Ireneus in genere de ſcriptis Apoſtolicis *lib. 3. adverſ. hær. cap. 1.* *Apoſtoli quod tunc præconiaverunt, poſtea per DEI voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.*

Epiſtolæ Pauli quot ſint?

Epiſtolarum Paulinarũ numerantur tredecim, de quibus ἀναμφιλέκτως conſtat, quod autorem habeant *Apoſtolum Paulum:* †

[† *Hunc numerum Epiſtolarum Paulinarum agnoſcit Sixtus Senenſis Monachus Dominicanus lib. 1. biblioth. pag. 18. b.*]

Epiſtola ad Romanos quare ſit in ordine prima.

Quas inter Epiſtola ad Romanos ſcripta primum locum obtinet, nõ quaſi primo loco ſcripta (fuit enim in ordine ſcriptionis ſeptima,) ſed partim, quia Roma fuit caput Imperij, in ſingulari præeminentia præ cæteris civitatibus, ad quas ſcripſit Apoſtolus, conſtituta; partim etiam, & quidẽ præcipue, quia omnis generis doctrinas complectitur, & inprimis fundamentum ſalutis noſtræ, rationemque noſtræ coram DEO Iuſtificationis copiosè & nervosè explicat. *Aequum* enim erat, ut inde ſe prædicatio gratiæ, qua juſtificatur impius, veluti à capite orbis toto orbe diffunderet, ut Auguſtinus loquitur *Epiſt. 105. ad Sextum.* De hac Epiſtola quinq; in-

primis

primis προθεωρητικῶς præmittenda videntur. 1. de Autoritate ejus. 2. de ijs, ad quos fuit exarata. 3. de occasione scriptionis. 4. de argumento. 5. de partitione.

Autoritatem hujus Epistolæ canonicã & verè divinã sex inprimis docent documenta. 1. *genus doctrinæ divinum.* Firmissimè enim cõcludimus, eum librum verè divinum esse, qui cõtinet mysteria fidei à seculis & generationibus abscõdita, manifestata a. sanctis eis, quibus Deus voluit notas facere divitias gloriæ Sacramẽti hujus in gẽtibus, ut Apostolus noster loquitur *Col.* 1, 25. 26. hoc est, talia mysteria, quæ omnem intellectum gentilium infinitis partibus superant, Imò omnem ipsorum sapientiam stultitiam faciunt 1. *Cor.* 1, 19. Ejusmodi mysteria reperiuntur in hac Epistola singulis capitibus, e. g. de incarnatione filij Dei *cap.* 1, 3. de efficacia doctrinæ Evãgelicæ *v.* 16. de naturali agnitione DEI *v.* 16. de justitia fidei *c.* 3. & 4. de naturali corruptione humanæ naturæ *cap.* 3. *v.* 10. de fide salvifica *cap.* 4. de gratia Dei *cap.* 5. de vera libertate Christianorum *cap.* 6. de concupiscentia prava *cap.* 7. de officio renatorum *cap.* 8, 12. de prædestinatione filiorum DEI ad vitã æternam *cap.* 8. 9. 11. de Deo uno & trino *cap.* 11 de vocatione ad Ecclesiam *cap.* 10. de

Autoritas Epistolæ ad Romanos Canonica probatur sex documentis.

1. à genere doctrinæ.

Mysteria in Epistola ad Romanos comprahensa.

de ſpiritualibus ſacrificiis *cap.* 12. de officio Magiſtratus *cap.* 13. de converſatione cum infirmis *cap.* 14. & 15. de revelatione Evangelij *cap.* 16. *&c.* Hæc omnia in nullis gentilium libris reperiuntur, & manifeſta habent Spiritus Sancti veſtigia: & ſi maximè in alijs noſtrorum Theologorum ſcriptis reperiantur, non tamen ejusdem cum Apoſtolicis ſunt autoritatis; quia ſcripta aliorum ſecundum normam ſcriptorum Apoſtolicorum ſunt conformata. 2. *Certitudo Autoris.* Nam quod Epiſtola hæc ad Romanos ſcripta Apoſtoli Pauli ſit, nunquam dubitatū fuit in Eccleſia: ejus verò autoritas longè maxima ſuperius adſerta fuit, quam & Apoſtolus Petrus agnoſcit ſacroſanctam in ſua ad Electos advenas in gentilitate hinc inde diſperſos ſcripta Epiſtola 2. *Petr.* 3, 15, 16. Et Euſebius in genere omnibus Epiſtolis Paulinis hoc perhibet teſtimonium, quod immenſa contineant intra ſe atque innumera ſacramenta, utpote ejus, qui in tertium usque cœlum raptus, quæ gererentur, inſpexerat *lib.* 3. *cap.* 24. 3. *Conformitas cum ſcriptura Veteris Teſtamenti*, miraculis prodigiisque confirmata: Teſtatur enim Apoſtolus, ſe ſegregatum in Evangelium DEI, quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis *Rom.* 1, 2. &

2. Certitudine autoris.

3. harmonia cum ſcriptis V. Teſt.

allegata

allegata, ut & confirmationes doctrinæ Apostolicæ ex ſcriptura Prophetica in ſingulis capitib9 occurrunt: quicunque igitur Canonicam & divinam autoritatem librorū Veteris Teſtamenti agnoſcit, de hujus quoq; Epiſtolæ autoritate dubitare non poteſt. 4. *Styli Apoſtolici majeſtas,* in quo & ordo & perſpicuitas & eloquentia apparet longè optima, licet cum aliorum profanorum ſcriptis collata & inordinata & obſcura & jejuna videri posſint. Rectè autem definivit ſtylum Sixtus Senenſis, non illam exteriorem ſermonis ſuperficiem, ſed *orationis characterem, dictionis contextum, texturæ concinnitatem, elocutionis formam, figuras loquendi ſingulares, diſpoſitionis artificium, tractationis methodum, & cætera, quæcunq; animi diſerti propria ſunt*, quæ omnia ad hæc tria posſunt redigi quæ jam diximus: Ordinem, Perſpicuitatem, Eloquentiam.

4. Styli Apoſtolici majeſtate.

Stylus quid?

Ordinem quod attinet, etſi hoc Apoſtolo noſtro familiare eſt, quod à remotione morbi ad ſanitatem, hoc eſt, à corruptione naturæ ad renovationem ejus procedit; tamen iſtum ordinē nō ubiq; exactè ſequitur, ſed jam inſtitutiones, jam admonitiones, jam exhortationes, jam conſolationes commiſcet, eademque ſæpisſimè iterat. Hoc enim Apoſtolorum eſt, qui verſantur

in doctrina practica, ubi homines & docendi & monendi & consolandi sunt, ubi eadem sæpius repetenda, propter fragilitatem humanarum mentium, ubi denique non tàm solida mysteriorum fidei explicatio, quàm eorum applicatio attenditur, secus ac in scientiis theoreticis: unde fit, quod Apostolus, ex Spiritus Sancti instinctu, in medio orationis cursu interdum velut ex improviso aliqua inspergit, quæ non tàm ad præsentem statum, quàm futuros hominum casus pertinent: quæ omnia, licet ἀμεθωδικὰ videantur; ordinem tamen habent satis concinnum & scripto Apostolico dignum; eoq; ipso à prophanis scriptoribus scripta Paulina jure optimo distinguuntur.

In epistolis Paulinis multa perspicua sunt quò ad λέξιν, quæ obscura, quo ad νόησιν.

Perspicuitatem quod attinet, ea quoq; Apostolica est in hac Epistola, hoc est, cum aliqua obscuritatis specie mixta atque temperata. Satis enim perspicuè dilucideque proponuntur fidei mysteria, quæ ad salutem hominis sufficiunt: in ipsis verò mysteriis quædam occurrunt obscuriora, seu δυσνόητα, ut D. Petrus nominat. 2. *Petr.* 3.16. quæ vel sine dispendio salutis ignorari possunt à fidelibus, vel aliquibus tantùm sunt obscura & difficilia, ijs nimirũ, qui sunt *vel* ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, ut Petrus loquitur, hoc est, qui doce-

re, non

re, non diſcere volunt, & pro ſuo arbitrio jam hunc, jam iſtum ſenſum ſcripturæ adfingunt; *vel*, qui peregrinas opiniones in ſcripturam inferunt, quas utiq; ex Epiſtolis Paulinis aut alio ſcripturæ libro probare non modò difficile, ſed & impoſſibile eſt: qui verò Catecheſin noſtrarum Eccleſiarum ſibi habent cognitam, mediocri diligentia ſcripta Paulina ejus que phraſes *A*poſtolicas intelligere poſſunt. Ita quid ſit apud Paulum noſtrum *gratia* DEI, *per fidem juſtificari, fidem nobis imputari, habitare peccatum in renatis, certum eſſe de gratia* DEI, *&c.* non intelligunt Pontificij, ac proinde in explicatione iſtorum locorum tàm miſerè ſe multiplici gloſſarum genere torquẽt, quia ignoravit Apoſtolus *P*aulus errores *P*apiſticos de juſtitia operum, de concupiſcentia, quod non ſit peccatum, de dubitatione &c. Hinc Nicephorus ſcripſit, multa in Epiſtolis *P*aulinis quaſi per ænigmata eſſe adumbrata propter ineptos & indignos, ad contemtum evitandum: quæ tamen ænigmata ita moderatus ſit Apoſtolus, ut iis, qui ad percipiendas res divinas idonei fuerint, nõ manſerint occulta *lib.2. c.34.*

Eloquentiam ſtylo Apoſtolico nonnulli derogant eò, quod ipſemet ſermonem ſuum vocarit contemtibilem 2. *Cor.* 11. †

† [*Sunt alia dona linguæ, aliæ calami: in illo contemtum se dicit Apostolus; in hoc non item. Caruit Apostolus humana eloquentia, sed non divinâ, quam ex munere Spiritus Sancti habuit. Caruit illa ambitiosa, fucata & ostentatrice loquacitate, instar meretricis se superfluè ornante ac jactante: at non caruit ista gravi ac seria facultate dicendi, qua res cœlestes commodè ac perspicuè explicare potuit, quæq; propriè Apostolum Christi decuit, ait Flac. part.2.clav.fol. 292.*]

Etsi verò Apostolo Paulo non tribuimus Ciceronianam aliquam aut Demosthenicam eloquentiam, quæ magnam partem in fluxu & ubertate verborum, in adfectato eorundem nexu, & meretricio quodam fuco consistat, quo nomine ipse dicit, se non excellere in sublimibus humanæ sapiētiæ verbis, sed in ostensione Spiritus *1. Cor.2.* attamen non est necesse, ut solœcismos ipsi affingamus (quod facit *Pererius pag.59.*).

Nam & gravitate sententiarū & rotunditate argumentorum, & æquabilitate styli, ne quidem excellentibus Græcorū oratoribus cedit. Quod si qua occurrunt hyperbata, & anantapodata, ea non omnem eloquentiæ laudem Epistolæ Paulinæ detrahunt, sed talis eloquētia *Pauli* esse debebat, hoc est, Apostolica, in qua non modò proficere, sed & exerceri debebat noster intellectus. Sanè δείνωσιν & efficaciam styli Paulini commendat *D. Augustinus lib.4. de doctrina Christiana cap.20.* & ex eo *Erasmus in cap. 10. ad Roman.*

quin

quin & adversarij *Pauli* hoc ipsi testimoniū tribuerunt, quod Epistolæ ejus sint ἰσχυραὶ, validæ seu efficaces ad commovendum 2. *Cor*. 10. quæ sanè virtus eloquentiæ non postrema est. †

[† *Exerrit se eloquentia Pauli alio tempore aliter: sicut Ezechiel se aliquando mutum nominat cap. 4. aliquando facundum cap. 24. Et August. scribit l. d. Apostolum quidem præcepta eloquentiæ secutum non esse, eloquentiam autem secutam esse ejus sapientiam, sed eloquentiam quæ ipsum decuerit.*]

Viderint igitur ne injurij fiant in *Principem* illum Apostolorum, qui solœcismos, verba plebeja, trivialia, nec non incomtam & inornatam dictionem ei tribuunt; quam injuriam non tam *Apostolo* factam esse ab Esauitis, quàm in Spiritum Sanctum redundare, non dubitamus. 5. *Autoritas* hujus Epistolæ comprobatur *Ecclesiæ primitivæ testimonio*, quæ quidem neq; huic neq; alteri cuidam scripto Biblico autoritatem Canonicam facit, sed eam semper habuisse nō nisi historicè testificatur; insolentissimæ autem est insaniæ, contra id disputare, quod universa Ecclesia fecit, inquit Augustinus *Epistola* 118. Jam verò nemo unquā in primitiva Ecclesia de Canonica hujus Epistolæ autoritate dubitavit, sed omnes unanimiter, quicunq; de Canone scripturarum aliquid in literas retulerunt, hanc quoque Epistolam in censu sacrorum ac verè divinorum

5. *Ecclesiæ primitivæ testimonio universalissimo.*

librorum habuerunt, quemadmodum exempli gratia videre licet apud *Hieron. in Prologo galeato, Eusebium lib. 4. hist. Eccles. cap. 25. Orig. lib. 6. cap. 19. Cyprian. in exposition. Symboli &c.* Ecclesiæ igitur ministerio hæc etiam Epistola nobis hodie innotuit, quod sit verbum DEI infallibile. 6. Accedit denique *internum cordis nostri suffragium,* non, quod ex arcanis & immediatis inspirationibus divinis est, quale Enthusiastæ somniant, sed, quod Spiritus Sanctus per hanc ipsam scripturam in cordibus nostris operatur, ut lector attentus nolens volens attestari cogatur, scriptum hoc non humanam sed divinam continere sapientiam, nec à voluntate humana, sed à Spiritu DEI fuisse inspiratū. Quod κριτήριον licet Pontificij plerumq; ut privatū & ineptum rideant; *Pererius* tamen, cum de artificio Paulinarum Epistolarum dissereret, ad illud etiam provocare non dubitavit. *Experitur quisque,* inquit, *legens Pauli Epistolas, se inter legendum variis animi sensibus & motibus affici, nunc timore atque horrore concuti; aliàs jucundissima perfrui lætitia, interdum mœrore ac tristitia contrahi, aliquando in spem totum erigi, nonnunquam ira & indignatione incendi, inflammari odio, ardere desiderio, nullo demum non animi sensu motuque concitari.* Sed hæc

6. Interno cordis nostri suffragio.

Perer. disp. 2. thes. 6. cap. 62.

hæc de autoritate hujus Epiſtolæ hoc loco ſufficiant.

II. Scripta fuit hæc Epiſtola ad Romanos, quo nomine omnes Chriſtiani intelligũtur, qui tunc temporis Romæ vivebant, licet non omnes jure civitatis fruerentur, ut erant multi Judæi, quorum, tẽpore Tyberij Claudij Cæſaris, octo millia Romæ fuiſſe ſcribit *Ioſephus lib.* 17. *antiq. Iud. cap.* 12. qui, quanquam propter paucorum hominũ ſcelera omnes urbe cedere coacti ſunt, anno nono Imperij Claudij, anno 51. nativitatis Chriſti, ut Joſephus notavit *lib.* 18. *antiq. Iud. cap.* 5. tandem tamẽ intercedentibus *A*grippa & Herode Regibus ab eodem Claudio edicto publico reſtituti ſunt, teſtante itidem Joſepho *lib.* 19. *antiq. cap.* 4. quos inter haud dubiè multi fuerunt ad fidem Chriſtianorũ, beneficio *A*poſtolorũ, converſi, quod exemplum Aquilæ & Priſcillæ docet *Act.* 18. *A*d hos ergo nominatim ſcripſit hanc Epiſtolã Corintho, quod Origenes in præfat. cõmentariorum ſuper hanc Epiſtolã colligit his rationibus 1. quia commẽdat Romanis *P*hæben, quã vocat miniſtrã Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris *Ro.* 16. Cenchris a. eſt portus Corinthi. 2. ſalutat ipſos nomine cujusdam Caij hoſpitis ſui, de quo ſcribit ad Corinthios, quod eum

Romani, ad quos ſcripſit Apoſtolus, qui ſint?

Epiſtola ad Rom. ſcripta fuit Corinthi.

ibi

ibi baptisaverit 1. Cor. 1, 14. 3. Salutat ipsos nomine Erasti arcarij civitatis, quem Corinthi remansisse scribit 2. Tim. 4, 20.

Epistola ad Roman. spectat ad universam Ecclesiam Christi.

Etsi verò ad Romanos in specie hæc scripta fuit Epistola, rectissimè tamen statuitur, Apostolum hoc scriptum non uni tantùm Ecclesiæ destinasse, sed potius tanquam librum quendam methodicum, complectentem præcipuos Christianæ fidei articulos, universæ Ecclesiæ jam tum proposuisse, facto initio ab Ecclesia Romana, quia in illa urbe erat tum orbis Imperiū, & propter affluxum hominum ex omnibus mundi provincijs, doctrina Evangelij nullo negotio in cæteras orbis partes disseminari poterat.†

†[*Opponantur hæc Pighio, qui scribit lib. 1. hierar. Eccles. cap. 3. Apostolicas Epistolas non Ecclesiæ Catholicæ, sed pro nata occasione necessitati unius aut alterius Ecclesiarum particularium scriptas esse: ideò non esse opinandum, Apostolum universis illis Epistolis voluisse comprehendere universa mysteria fidei nostræ.*]

Occasio hujus Epistolæ.

III. Primam occasionem hanc Epistolam scribendi præbuit Apostolo partim defectus sincerorum doctorum in ista Ecclesia; partim periculum, quod impendebat à Pseudoapostolis, qui passim ubique doctrinam de Christo convellebant, docentes, legem quoq; & circumcisionem ad salutem esse necessariam *Actor.* 15. *Phil.* 3. Tales enim Romæ tum habitasse, colligere possumus

mus ex gravissima hortatione Apostoli *Rom.16, 17*, ubi Romanos suos obtestatur, observēt eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quàm ipsi didicerant, faciunt. Cum ergo *P*aulus intelligeret, Romanos præclara jecisse fidei fundamenta, haud dubiè ex conversatione cum Judæis, inter quos Aquila & Priscilla inprimis (quos adjutores suos vocat *Rom.16, 3.*) docebant viam *D*omini *Act.18.* (Andronicum etiam & Juniam, ut nobiles gentium Doctores prædicat *cap.16, 7.*) & verò mores Pseudoapostolorum non ignoraret, quomodo gregi Dominico insidiari soleant, voluit hac Epistola partim doctorum supplere penuriam; partim etiã corruptorum istorum conatibus obviam ire. Accedebant insuper in nobili ista Ecclesia schismata inter Judæos & gẽtiles, recens ad Christianismũ conversos: quorum illi hos contemnebant, tanquam eos, qui ad peculiũ DEI naturâ non pertinerent; quos doctrina Evangelij vel prorsus non attingeret, vel non nisi cum observatione ceremoniarum Mosaicarum, ut cõstat ex *cap.2, & 3, 14.* adspernabantur tanquam populum à *D*EO rejectum, in quorum locum ipsi nunc recepti fuerint, ut apparet ex *cap.9, & 11.* Has dissensiones tollere conatur Apostolus hac Epistola

oſtendens utriq; parti, quomodo & in naturali miſeria cõveniant, & eodem remedio indigeãt. Atq; ſic partim doctores in Eccleſia Romana, partim hoſtes iſtius Eccleſiæ, partim etiã auditores ſcripto huic occaſionem præbuerũt: illi ſuo defectu & abſentia, iſti ſua petulantia; hi intempeſtivâ diſcordiâ.

Argumẽtum Epiſtolæ ad Roman.

IV. Argumentũ totius Epiſtolæ in eo cõſiſtit, quod Apoſtolus Romanis ſuis proponere vult doctrinã Evãgelij, verãq; juſtificationis noſtræ corã Deo rationẽ oſtendere, quod neq; ex Ceremonijs Moſaicis, quibus fidebãt Iudæi; neq; ex ſapientia rationis, qua nitebãtur gentiles, impetrari queat: utriq; enim gẽti ſuperciliũ detrahere & in potiſsimo cardine ſalutis cõſulere voluit. Hęc v. doctrina ut ſolidè percipiatur, quã pluſrima requirũtur alia, ut ſũt, corã Deo nõ eſſe diſcrimen Judęorũ & gentiũ, omnes n. adæq; peccaſſe, qua de re agit *c.* 1. & 2. Iuſtitiã noſtrã nõ eſſe ex lege ſed Evangelio *cap.* 3. & 4. cauſam meritoriã juſtificationis noſtræ eſſe Chriſtũ *cap.* 5. Iuſtitiã fidei non tollere obſervationẽ legis, aut libertatem Chriſtianã *c.* 6. legem arguere peccatũ, cujus reliquiæ etiã ſunt in renatis *c.* 7. Iuſtificatos per fidẽ eſſe filios Dei & ſalutis ſuæ certos *c.* 8. Judæos ob infidelitatẽ à Deo rejectos, gẽtiles in ipſorũ locũ receptos *cap.* 9. 10. 11. Juſtificatos eſſe

bonorum

bonorum operum ſtudioſos *c.* 12. & ſeqq. In his ergo capitib9 doctrinæ Chriſtianæ exercere voluit Romanos ſuos Apoſtolus noſter, ita ut ſit hæc Epiſtola inſtar genuinæ & verè Apoſtolicæ Catecheſeos, ſeu Chriſtianæ Inſtitutionis. †

[† *Clamitant Jeſuitæ, ut videre eſt apud Bellarminum libr. 4. de verbo Dei c. 4. quando ſcripturæ neceſſitatē & utilitatē impugnāt, Apoſtolum nullam tradidiſſe catecheſin. Hic ergo habes catecheſin.*]

Partitio Epiſtolæ ad Romanos.

V. *P*artitio hujus Epiſtolæ non ab omnibus eadē aſſignatur. Quidā juxta tres cardinales virtutes, tres ejus partes conſtituunt, quarum una de fide agit usq; ad cap. 8. ſecunda de Spe usq; ad c. 12. tertia de Caritate usq; ad finē Epiſtolæ. Alij juxta partes cōverſionis aliā inſtituunt diviſionem. Dicunt enim Apoſtolū primis duobus capitibus agere de cōtritione peccatoris, quæ conſiſtit in agnitione & ſerio dolore peccati. *in cap. 3.* usq; *ad* 12. de Remiſſione peccatorū ſeu juſtificatione: In reliquis de nova obedientia. Alij quatuor ejus partes cōſtituunt, quarū prima agat de Iuſtificatione hominis corā *D*eo *c.* 1. 2. 3. 4. ſecūda de juſtitiæ fidei effectis *c.* 5. 6. 7. 8. tertia de reprobatione Iudæorū *c.* 9. 10. 11. quarta de officiis juſtificatorū. *P*oſſet etiā nō incōmoda inſtitui diſtributio capitū juxta tres præcipuos fidei Chriſtianæ articulos, de Iuſtificatione, de qua agitur usq; ad *cap.* 9. de prædeſtinatione *cap.* 9. 10. 11.

de Bonis operibus in residuis capp. Nos omnium simplicissimè hanc Epistolam juxta duo illa generalia hominis requisita, quorum unum est *Rectè credere*, alterum, *Benè vivere*, in duas partes generales dispescimus, quarum una est δογματικὴ, complectens præcipua doctrinæ Christianæ capita, *ab initio usq; ad cap. 12.* altera παραινετικὴ continens præcepta morũ & officia hominis Christiani *usq; ad cap. 16.* cui deniq; subjicitur Epilogus seu valedictio, juxta modum scripti Epistolaris. Dogmata in prima parte tantum non ex professo tractata, fermè hæc sunt. 1. *De naturali agnitione DEI*, 2. *de naturali corruptione hominum:* & de his cap. 1. 3. *de lege naturæ cap. 2.* 4. *de Iustitia fidei* cap. 3. & 4. 5. *de usu Legis* cap. 4. & 6. 6. *De merito Christi* cap. 5. 7. *de libertate Christiana* cap. 6. 8. *de peccato originali* cap. 7. *de* πληροφορίᾳ. 9. *de prædestinatione filiorum DEI ad vitam æternam* cap. 8. 10. *de reprobatione impiorum*, cap. 9. 10. 11. 11. *de vocatione gentium* cap. 12. *Officia Christianorum extendunt se vel ad fratres omnes in communi*, de quibus cap. 12. *vel erga magistratum*, de quibus cap. 13. *vel erga infirmos*, de quibus cap. 14. & 15. *Hæc* omnia memoriæ caussâ tali diagrammate delineari possunt.

Dogmata in prima parte hujus Epistolæ tractata.

Doctri-

Doctrina Evangelij, quam tradit Epistola ad Roman. cõplectitur

- *Credenda: in quibus primas tenet articulus de Iustificatione peccatoris corã Deo, in quo consideranda sunt:*
  - *Antecedẽtia*
    - *In homine, ut est notitia naturalis*
      - *Dei*
      - *Sui* } *cap.1.*
      - *Legis cap.2.*
    - *In Deo ut:*
      - *Pradestinatio ad vitam cap.8.*
      - *Reprobatio à vitâ c.9. 11.*
  - *2. Cõcurrentia vel in*
    - *Homine: Fides cap.3. & 4.*
    - *Deo: Meritum Christi cap.5.*
  - *Consequẽtia vel adjuncta*
    - *Vsus Legis in renatis cap. 6.*
    - *Libertas Christiana. cap. 6.*
    - *πληροφορία fidei cap. 8.*
    - *Concupiscentia orig. etiam in renatis c. 2.*
- *Agẽda, quo referũtur officia Christianorum*
  - *Communia erga omnes homines cap.12.*
  - *Specialia vel*
    - *Erga Magistratum cap. 13.*
    - *Erga infirmos Christianos cap.14. & 15.*

De singulis hisce, ut ea, quæ vera, quæ sana, quæ sacris literis conformia, Ecclesiæ Christi utilia, & nobis omnibus salutaria, proferam, faxit Pater ille luminum, à quo omne donum optimum & omne donum perfectum descendit: idq; ad nominis sui gloriam, per Iesum Christum Dominum & Salvatorem nostrum,

Amen.

CAPUT I.

Argumentum & *P*artitio Capitis.

P*Ræmissis quibusdam veluti parergis juxta modum scripti Epistolaris, Exordio nimirum generali & speciali, principalem Epistolæ scopum tangit Apostolus de justificatione hominis coram Deo, cujus summa tali includi potest Syllogismo:* Aut ex fide justificamur aut ex operibus: non ex operibus: ergo ex fide. *Conclusionem ponit hoc capite* v. 17. & cap. 3. & 4. *aliquoties. Minorem propositionem hic tractare incipit, & tractationem continuat usq; ad dimidium capitis tertij, ostendens, & Iudæos & Gentes esse coram DEO peccatores. In hoc capite initium facit à gentibus, quorum impietatem pariter & injustitiam graviter redarguit, ostensâ gravissima animadversione DEI in eos, qui talia perpetrarunt.*

Partes capitis Tres sunt: 1. Exordium generale usq; ad v. 8. 2. Exordium speciale, illudq; splendidissimum usq; ad vers. 18. 3. Accusatio Impietatis & Injustitiæ gentilium.

TEXTUS, primæ partis.

ΠΑΥΛΟΣ δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ, κλητὸς ἀπόστολος, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ.

(Ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις.)

Περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα.

Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύ-

1. PAulus servus Jesu Christi vocatus ad munus Apostolicũ, segregatus in Evangeliũ Dei.

2. (Quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis.)

3. De Filio suo, qui genitus ex semine David, secundũ carnem.

4. Qui declaratus fuit Filius Dei cũ potentia secundum Spiritum sanctifi-

ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν.

Δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.

Ἐν οἷς ἐστε καὶ ὑμεῖς κλητοὶ Ἰησοῦ χριστοῦ.

Πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ ἀγαπητοῖς Θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ.

ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Per quem accepimus gratiam, ac muneris Apoſtolici functionem, ut obediatur fidei inter omnes gentes, ſuper ipſius nomine.

Quorum de numero eſtis & vos, vocati Jeſu Chriſti:

Omnibus qui Romæ ſunt dilectis DEI, vocatis Sanctis, gratia vobis & Pax à DEO patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

GENERALE Exordium remoto ornatu Rhetorico, nudeq; propoſitum tale eſt: Paulus Romanis precatur gratiam & pacem à DEO. Vbi tria in qualibet Epiſtola uſitata præmittuntur 1. Subſcriptio. 2. Inſcriptio. 3. Salutatio. Singula pëculiari orationis ornatu veſtiuntur.

Subſcriptio *exprimit nomen Autoris cum ſuis attributis, & parentheticam attributorum explicationem. Autor Epiſtolæ eſt D. Paulus, quod nomen Romanis notum erat, ipſe verò præmittere voluit, ut & Romanis & nobis hodie de autoritate hujus ſcripti melius conſtaret: multum enim intereſt, quibus autoribus ſcripta Apoſtolica ad nos transmittantur. Epitheta ſeu attributa tria addit 1. Appellatur* Servus Jeſu Chriſti. *Nomen Servi culpa meruit, non natura, inquit Auguſt.* lib. *19.* de civ. Dei. c. 16. *Ante lapſum enim ſervorum nomen inter homines non erat notum: hic vero ſingulare eſt elogium Pauli, ratione ſui correlati; eſt enim ſervus Ieſu*

Subſcriptio.

Paulus eſt ſervus Ieſu Chriſti.

Chriſti

Christi, partim *ratione conditionis, ab eo enim servatus, ex captivitate Satanæ liberatus, ex persecutore præco veritatis factus est*: partim *ratione ministerij: Christo enim in prædicando Evangelio fidelem addixit operam. Vtroq; modo se insinuare voluit Romanis, sapientissimis hominibus, & servitutis impatientissimis, partim ne dominio quodam ipsos prægravare videatur, ideò se servum vocat: partim etiam, ne doctrinam suam contemtim habeant, ideò se servum Jesu Christi nominat, cujus personam & majestatem paulò post describit.* 2. *appellatur* vocatus Apostolus. *Servitutem suam ad certum servitij genus adstringit, nimirum ad Apostolatum, de quo supra in Prolegomenis. Cur autem addatur* vocatus *Apostolus, alij aliter interpretantur. Sunt qui participialiter intelligunt, ut idem sit ac nominatus, & dicunt Paulum humilitatis gratia se vocare Apostolum, quia vulgò ita vocetur, qui tamen eo nomine sese dignum non arbitretur* 1. Cor. 15. *Alij contrà, præeminentiam D. Pauli hoc Epitheto notari putant, ac si κατ' ἐξοχὴν vocatus sit Apostolus, quia plus cæteris laboravit, ut ipse fatetur* 2. Cor. 11. & 12. *Origenes super hæc verba existimat, D. Paulum hoc nomine quasi antithesin quandam instituere inter se & cæteros Apostolos, qui quidem à DEO etiam vocati sint, sed in vocatione omnes non perstiterint, hoc est, officium Apostoli non fecerint, qualis fuit Judas, quem quidem vocatum vocat Apostolum, sed non electum: D. Paulum autem & vocatum & electum fuisse, quia vocatione Apostolica egregiè perfunctus est. Sed ne nodum in scripo quæramus, simpliciter dicimus, Paulum hoc Epitheto indigitare vocationem suam cœlitùs factam ad Apostolatum, ut sit κλητὸς non nomen appellationis, sed vocationis, & ipse non nominatus aut putatitius tantùm Apostolus, sed ad hoc electus & vocatitius, ut ita loquar, quemadmodum mox semetipsum declarat. Rectè autem observavit Erasmus D. Paulum hoc nominis opposuisse.*

Paulus est vocatus Apostolus.

posuisse. 1. Pseudoapostolis, qui tunc temporis sive quæstus sive famæ gratia in hoc munus sese ingerebant, ad quod tamen non erant vocati. 2. doctrinæ Pseudoapostolorum, ipsi enim vitam & salutem sperabant ex meritis operum suorum: Paulus verò non ex meritis, sed ex vocatione gratuita, quam passim ubique in Epistolis suis urget, & fiduciæ bonorum operum opponit. 3. vocatur segregatus, ἀφωρισμένος, *in Evangelium DEI, quo Epitheto descendit ad munus maximè speciale. Commune enim ipsi erat cum pijs omnibus, quod erat Servus Iesu Christi; specialius, quod erat Apostolus, quod tamen cum paucis alijs commune habebat: specialissimum, quod ad Apostolatum separatus, & certo quodam indicio divinitus selectus erat, hoc enim significat ἀφορίζειν. Facta autem hæc separatio 1. ab utero, quemadmodum ipse scribit* Galat. *1, 15. Deus segregavit me ex utero matris meæ, & vocavit me per gratiam suam, quo pacto Ieremias ad munus Propheticum ab utero sanctificatus esse dicitur Ier. 1. 2. in conversione, ubi Christus ipse dixit: iste est mihi vas electionis, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israël.* Act. *9. 3. cum à Spiritu Sancto inter cæteros Evangelij ministros in Ecclesia Antiochena ipse unà cum Barnaba peculiariter segregaretur & emitteretur ad gentes, dicente Spiritu Domini: Separate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumsi eos* Act. *13, 2. Addit autem, ad quid sit segregatus:* ad Evangelium DEI, *quæ partim descriptio est Apostolatus, qui nihil aliud est, quàm prædicatio Evangelij seu læti illius nuncij de gratuita remissione peccatorum, quod originem suam habet non ab hominibus, sed ab ipso DEO, qui illud prædicari jussit: partim est oppositio pristinæ suæ conditionis: erat enim olim, etiã ante conversionem suã segregatus, sectæ nimirum Pharisæorum, quæ à separando nomen habet, addictus: sed non ad Evangelium, verùm ad legem prædicandum*

Paulus segregatus Apostolus.

Apostolatus est prædicatio Evangelij.

dicandum, quæ segregatio non nisi hominum inventum fuit, qui populum Judaicum in certas illas sectas dividebant. Iam verò aliud aggreditur opus, prædicationis Evangelicæ, ad quod ab utero fuerat segregatus. Hæc erant attributa & Epitheta Pauli. Quibus παρενθετικῶς *adjunguntur duæ descriptiones, una Evangelij, altera Filij Dei, qui proponitur in Evangelio. De Evangelio dicit,* quod Deus illud antè promiserit per Prophetas suos in scripturis de filio suo. *Docet 1. doctrinam Evangelij non esse novam, sed in scriptura veteris quoq; Testamenti contentam, licet propriè ad Novum Testamentum pertineat. 2. Subjectum doctrinæ Evangelicæ non esse de lana caprina, sed* de Filio DEI, *quem post parenthesin vocat* Jesum Christum Dominum nostrum, *de quo scriptura Prophetica egit, partim typorum involucris, partim divinis prædictionibus seu promissis. De hoc Filio quatuor ordine prædicat. 1. Incarnationem; ait enim* quod sit factus ex semine David: *in græco est* γενόμενος, *quod alij interpretantur, natum, sed minus appositè ad sensum hujus loci. Vult enim Apostolus docere, 1. filiū Dei aliquando esse cepisse, quod antea non erat: natus autem etiam est ab æterno, cum nunquam esse inciperet. 2. ortus sui principium ipsum habere non ex communi nativitate, more cæterorum hominum, sed ex opificio Spiritus Sancti, ut Augustinus interpretatur: quo sensu non simpliciter natus, sed factus esse scribitur ex muliere* Gal. 4, 4. *quia sine virili semine natus: Apostolus noster hoc loco ex semine Davidis eum factum esse dicit, quia mater Domini erat filia Davidis: hinc semen non viri sed mulieris appellatur* Genes. 3. *id quod contra Valentinianos notandum est, qui Christum carnem suam non in terris adsumsisse, sed è cœlis attulisse fingebant. Ne verò videatur facta naturarum* μεταβολὴ, *addit limitationem* secundum carnem. *Nam quod erat, permansit,*

Evangelij descriptio.

Descriptio Iesu Christi.

mansit, & quod non erat assumsit, ita ut unus sit Christus, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in DEUM, ut Symbolum Athanasij loquitur. 2. adserit ejus divinitatem. Nam ne tantummodo semen Davidis esse videatur, mox subijcit, quod prædestinatus sit, *in græco est, ὁρισθεὶς, destinatus seu declaratus filius DEI in virtute seu potentia secundum Spiritum sanctificationis per resurrectionem ex mortuis. Est descriptio divinitatis Christi, quam quidem habuit ab æterno, declaravit autem in mundo in tempore, partim per potentiam, hoc est, per miracula sua, partim per Spiritum Sanctificationis, hoc est, per visibilem effusionem super Apostolos, quem Spiritum phrasi Hebræa, Spiritum sanctificationis nominat, pro eo, quod Latini Spiritum Sanctum sanctificantem dicunt, & denique per resurrectionem suam ex mortuis; nam propria virtute animam, quam volens deposuit, in morte recepit. Et hoc sensu* Actor. 2, 22. *dicitur ἀποδεδειγμένος manifestatus & ostensus in prodigijs & signis, & D. Paulus* Actor. 13, 32. *dicit, per resurrectionem Christi à mortuis impletas esse promissiones DEI de filio suo, eoque refert locum Psalmi 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te, quasi dicat, per resurrectionem Christi fuisse declaratum, ipsum ab æterno fuisse genitum verum DEI filium. Hanc interpretationem habent Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Alij aliam afferunt, quod nimirum Filius DEI sit declaratus omnipotens Deus secundum divinitatem suam, quam Spiritum sanctificationis nominant, ex resurrectione sua à mortuis. Sed cum alibi omnipotentia etiam carni communicata declaretur ex resurrectione, nihil facit hæc interpretatio ad demonstrandam Deitatem Filij. Priorem igi-*

Expositio Paræi pag. 58.

tur explicationem huic præferimus. 3. *prædicat Christi beneficium sibi exhibitum* v. 5. *missione ad Apostolatum : dicit enim,* se ab ipso accepisse gratiam & Apostolatum , *quod reddere posses per ἐνδιαδὺς gratuitum Apostolatum. Est enim gratia verbum Paulinum, quod opponitur merito: gratuitò enim ipse ab errore fuit revocatus, & in hoc missus ad gentes, ut & aliis gratiam prædicaret. Per Apostolatum autem non dignitatem, sed functionem muneris Apostolici intelligit. Finem sui Apostolatus adjungit,* in obedientiam fidei, *hoc est, ut obediatur fidei, quemadmodum Erasmus vertit, seu, ut doctrina à me prædicata recipiatur fideli corde, absque curiosa disceptatione,* in omnibus gentibus, pro nomine ejus, *in græco est ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, quod Erasmus reddit, de nomine ejus, ut sit descriptio fidei seu doctrinæ, de qua loquitur Apostolus, nimirum doctrinæ de Christo. Addit tandem, Romanos quoque pertinere ad illas gentes,* vocatos in JESU Christo v. 6. *nihil ipsis adulatus, sed ingenuitate Apostolicâ usus, cæteris gentibus in ratione Evangelii eos conjungens, licet essent orbis, cæterarumque ferè gentium omnium Domini. Hactenus de subscriptione Epistolæ.*

Inscriptio. Inscriptio *sic habet*: v. 7. Omnibus qui sunt Romæ, dilectis DEI vocatis, sanctis. *Universalem ponit, ejusmodi tamen Epithesi attributorũ limitatam, ut appareat, ipsum non promiscuè omnibus, sed Christianis Romæ degentibus, scripsisse, sive ratione originis ex Judæis, sive ex gentibus fuerint Ecclesiæ Romanæ. Vocat enim eos* 1. dilectos, *ratione DEI, qui eos favore suo fuerat complexus*: 2. Vocatos, *ratione causæ meritoriæ, quæ ex parte illorum nulla erat, sed mera gratia vocantis.* 2. Tim. 1. 3. Sanctos, *ratione hominum, qui vocationem suam sanctâ honestaque vitâ exornare debent. Et hæc inscriptio non adulatoria, sed verè Apostolica,*

Romani vocãtur à Paulo dilecti, vocati, sancti.

lica ex caritate Christiana profecta; quæ de omnibus benè sperat, licet dubium non sit, quamplurimos etiam hypocritas isti cœtui interfuisse: id quod Apostolo Paulo in omnibus suis Epistolis, certis Ecclesiis inscriptis, familiare est.

Salutatio *deniq; talis est* : Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino JESU Christo. *Usitatum est hoc votum Apostoli in omnibus Epistolis: quo 1. optat favorem & benedictionem DEI. 2. pacem & concordiam ijs, quibus eadem DEI gratia contigit, ut D. Hieronymus interpretatur: quanquam alij existiment, in hoc voto esse ἐνδιαδὺς, ut posterius explicet prius, gratiam nimirum illam Dei nihil esse aliud, quàm pacem & tranquillitatem conscientiæ: alij per gratiam bona spiritualia, per pacem temporalia, & felicem successum in actionibus omnibus intelligunt. Hæc omnia precatur eis* à Deo patre nostro & Domino Jesu Christo, *Utrumq; doni hujus autorem prædicans, & Patrem & Filium, Personas tamen discernens, quia Pater est fons & origo gratiæ, Filius causa meritoria, qui est pax nostra, & per eum habemus gratiam & accessum ad Patrem* Eph, cap. 2, 14: 3, 12. Salutatio.

Paraphrasis hujus partis.

Ego Paulus, ex servitute Diaboli emancipatus & ad ministeriũ Apostolatus à Jesu Christo Domino meo gratuitò adscitus, qui promissiones Evangelij de Jesu Christo DEI & Davidis filio, per miracula, per Spiritus Sancti dona, per suam ipsius resurrectionem taliter declarato, ex singulari Dei destinatione & selectu inter omnes gentes atq; adeò inter vos quoq; prædico, vobis Romæ degentibus Christianis, in Christo dilectis, ex gratia ad gremium Ecclesiæ vocatis, Spiritu Sancto do-

natis, gratiam DEI gratuitam precor, qua vos complexus est, & pacem conscientiarum, quâ ea obsignetur, mutuamque concordiam, à fonte omnis gratiæ DEO patre & mediatore nostro Jesu Christo.

Quæstiones præcipuæ, quæ ex hac parte Capitis erui possunt; cum responsionibus.

QUÆSTIO I.

Cum Paulus Apostolus & sibi autoritatem parare, & doctrinam suam Romanis commendare vellet, non abs re quæritur, cur se servum vocitet, quod nomen apud Romanos erat abjectum, & mancipiis tantùm proprium, quin & servi vox in se maledictionis nomen est, quemadmodum Noah Chanaan maledicturus, servituti eum addixit Gen. 9, 25?

Resp. Origenes existimat id secundum eam humilitatem à Paulo dictum esse, quam Dominus docuit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde Matth. 11. *Melius autem respondetur cum Hieronymo in Epistolam ad Titum sub init. duplicem esse servitutem; unam abiectam & ignominiosam, quando homo servit homini: & de tali servitute nihil constabat ante lapsum, sed est maledictionis species. Deus enim rationalem, factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori, inquit*

quit Augustinus, lib. 19 de civ. Dei cap. 15. *Altera est nobilis & gloriosa, qua servitur Deo, & hanc intelligit servitutem Apostolus, ideò vocat se servum Jesu Christi, ab hoc enim non modò à servitute Diaboli emancipatus, sed & ad ministerium Evangelij segregatus erat.*

QUÆSTIO II.

Si servire homini ignominiosum est, cur Apostolus noster ad Corinthios scribit, cum essem liber, omnium servum me feci. 1. Cor. 9. &, vester servus sum propter Christum 2. Cor. 4, 5. Cum tamen alibi scribat ipse ad eosdem: pretio empti estis, nolite servi fieri hominum: ubi servitutem hominum & Christi simpliciter opponere videtur 1 Cor. 7, 23.

Resp: Distinguendum est inter servitutem respectu conditionis & respectu ministerij: Respectu conditionis servitus etiam civilis nonnihil ignominiosa est, propter lapsum, verùm non simpliciter, sed in collatione superiorum, quibus servus subjectus esse cogitur; in sese verò status est DEO gratus, qui & servis suas præscripsit vitæ Regulas Col. 3. Eph. 6. *respectu ministerij autem nequaquam est ignominiosa; nemo enim hominum est, qui non superiorem agnoscat, cui ministrare cogatur. Quin imò ministerium est officium Christianorum proprium, ubi ad mutua servitia obstringimur, exemplo Christi* Joh. 13, 15. *& præcepto Apostoli Pauli* Galat. 5, 13. *per caritatem servite invicem. Et hæc ipsa servitia ex caritate profecta proximoquè præstita, in ipsum DEUM redundant, sicut cætera caritatis opera omnia; Ideò cum Divus Paulus*

μακάριος ὅστις μακαρίοις ὑπηρετεῖ, inquit Menander.

Paulus se servum vocat omnium, idem est, ac si se servum Christi nominet, qui ipsum ad hoc segregavit, ut serviret prædicando Evangelium inter omnes gentes: Rom. 1, 5. *Quando autem prohibet servum fieri hominum, non de servitute civili, sed animorum loquitur, quando quis hominibus ita se addicit, ut propter favorem hominum ea negligat, quæ Christi sunt, & vicissim ea faciat, quæ Christo displicent: tales ab Apostolo Petro servi corruptionis appellantur* 2. Petr. 2, 19. *non Domino, sed ventri servire dicuntur* 1. Cor. 16, 18.

QUÆSTIO III.

Cum servire Deo, & propter Deum proximo, licitum, imò præceptum sit; cur ergo Christus ad discipulos suos dicit: Iam non dicam vos servos, sed amicos Iohan. 15, 15. & Paulus ad Romanos: non accepistis Spiritum servitutis, sed adoptionis, Rom. 8?

Servitus, quæ Deo fieri potest, quadruplex est.

Resp. Hic verò sciendum est; servitutem quæ Deo fieri potest, esse quadruplicem 1. aut enim est sacerdotum in Veteri Testamento, qui sacrificando Deo servire dicebantur Psal. 34, 1. 2. *aut est ministrorum verbi, qui cum prædicant Evangelium, vocantur servi Domini.* 2. Tim. cap. 2, 24. 3. *aut est communiter piorum omnium, qui cultum Deo offerunt hilari animo, absque coactione, juxta præscriptum verbi divini, quo pacto dicitur Apostolus mente servire legi Dei* Rom. 7, 25. *& hic effectus meriti Christi prædicatur* Luc. 1, 74. *ut serviamus Domino in sanctitate & justitia.* 4. *aut est hypocritarum, qui Deo nondum reconciliati sacra faciunt absque Spiritu & fide; & hoc est Apostolo Paulo servire Deo in vetustate literæ* Rom.

7, 6. *Iam*

7,6. Iam igitur de primis duabus ser- tutum speciebus quæstio hîc non est: constat enim, neq; sacerdotes ullos propriè sic dictos reperiri, neq; Christianos omnes esse verbi ministros: Negat autem Christus discipulos suos esse servos, respectu ultimæ speciei, non enim serviebant Deo hypocriticè, sed ex animo, quippe à servitute & coactione legis liberati, quam Apostolus Paulus in allegato loco Rom. 8. *Spiritum servitutis nominat. Erant autem servi respectu tertiæ speciei, quia libero Spiritu DEO serviebant in vera sanctitate, ut filij dilecti, & hoc vocat Apostolus Paulus in eodem loco, Spiritum adoptionis.*

Deinde notanda est distinctio Apostoli nostri Rom. 6, 16. *inter servitutem peccati & justiciæ. Peccato serviunt impij, juxta illud, qui faciunt peccatum, servi sunt peccati* Joh. 8, 34. *& ita discipuli Christi non sunt servi, sed amici ejus, à quo ab hac servitute sunt liberati. Iustitiæ verò serviunt renati, filijque DEI, juxta illud* Phil. 3, 3. *nos Spiritu servimus DEO & gloriamur in Christo Iesu: Liberati enim à peccato servi facti sunt justitiæ.* Rom. 6, 18.

Servitus peccati & justitiæ.

Denique nec illud omninò negligendum est, quod Origenes addit, quia libertas, quæ nunc sanctis præstatur, nondum plena libertas est, sed imperfecta, ac veluti per speculum & ænigma, propter peccatum inhabitans etiam in renatorum carne Rom. 7.

QUÆSTIO IV.

D. Paulus, vocationis suæ mẽtione facta, Apostolatus sui αὐθεντίαν *cõmẽdat, quod nõ semetipsum ingesserit, sed legitimè vocatus fuerit: jam verò certum est, vocationes Apostolorum*

esse immediatas, absque omni interventu humanæ actionis à DEO profectas: quemadmodum Apostolatum suum D. Paulus describit Galat. 1, 15. quæritur igitur, num Matthias etiam sit vocatus Apostolus, siquidem non omninò immediatè, sed ministerio hominum, & quidẽ sorte fuerit electus Act. 1?

Nota hoc contra Paræum, qui negat Matthiam immediatè vocatũ pag. 160.

Resp. Etiam Matthiæ vocatio dicenda est immediata. Dominus enim eum elegit, ut expreßè loquuntur discipuli: per sortilegium autem illud tantum fiebat electionis illius declaratio, ut de ea cæteris etiam constaret; hoc enim ipsi petebant, non ut jam per sortes, aut per ministerium reliquorum Apostolorum demum eligeretur, sed ostende, *inquiunt*, quem elegeris. *Oportet utiq; Apostolatum immediatam habere vocationem, unde habet immunitatem ab errore in doctrina, privilegium miraculorum, & liberam prædicandi Evangelium potestatem in universo mundo: hinc etiam Apostoli vocantur testes præordinati à DEO*, Act. 10, 41.

QUÆSTIO V.

Num vocatio ad Apostolatum sufficit Apostolo Paulo ad prædicandum Evangelium in omnibus gentibus, an vero peculiari insuper ordinatione opus habuit?

Responsio. Posterius necessarium fuisse putat Bellarminus lib. 1. de Pontific. Roman. capit. 23. *ubi scribit, Christum, Apostolum Paulum, quẽ ipse de cœlo vocavit &*

vit & Apostolum fecit, non ordinasse Episcopum, sed jussisse ordinari per manuum impositionem ministrorum Ecclesiæ, idque patere dicit ex Actor.13. *sed falsissimè. Nam Apostolatus per se nihil aliud est, quàm catholicus Episcopatus, ideò Apostolatus Iudæ ex* Psalm.109. *vocatur Episcopatus & ministerium* Actor.1,20.25. *Episcopatus autem ille est immediatè à DEO institutus, & nulli certo loco alligatus, sed purè œcumenicus pro conditione temporum. Apostoli ergò fuerunt Episcopi, quàm primùm fuere vocati, quo jure aliàs Ecclesiam docere potuissent? Posteà verò ordinis & commoditatis gratia Ecclesias in certos tractus divisas inter se distribuerunt. Et hoc pacto Divus Paulus, cum jam Oecumenicus orbis Episcopus, id est, Apostolus esset, in conventu illo Antiocheno, de quo* Actor.13. *non demum ad* ἐπισκοπὴν *ordinatus est, sed ad opus peregrinationis suæ ad Ecclesias sibi deputatas manuum impositione dimissus. Adde quod illa* χειροθεσία *non fuit Ecclesiastica ordinatio, propriè sic dicta, quomodo enim plebeij Ecclesiæ ministri, quales ibi recensentur, Simon Niger, Lucius Cyrenensis & Manahen, tantum Apostolum demum ordinare ausi fuissent ad ministerium? sed fuit amica & civilis benedictio, qua peregrè abiturientem dimiserunt:* ἀνάλογον *tamen quid ordinationi habuit: propter preces & impositionem manuum quæ duo in ordinatione adhiberi solent.*

Apostolatus catholicus est Episcopatus.

QUÆSTIO VI.

D. Paulus dicit, se segregatum esse in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos: quæritur igitur, num Apostoli legi aut doctrinæ

 Prophe-

Prophetica addiderint Evangelium: ex eo enim nonnulli ex Pontificiis inferre volunt, verbo scripto aliquid addi posse.

Resp. Nihil quidquam addidit Apostolus Paulus doctrinæ Mosis aut Prophetarum: quomodo alioquin adfirmare potuisset Act. 26, 22. *se nihil annunciasse extra ea, quæ Moses & Prophetæ prædixêre? Sed doctrinam Evangelij in Veteri Testamento adhuc incompletam & sub promissionum Propheticarum involucris quasi delitescentem explicavit, Christumq; Legis impletionem fuisse docuit: Explicare autem non est addere. Unde Justinus Martyr Legem Evangelium prænunciatum, Evangelium verò Legem impletam nominavit.*

QUÆSTIO VII.

Commendat Apostolus Paulus doctrinam suam inter alia ab antiquitate, quod nimirū jam ante per Prophetas fuerit promissa: quæritur igitur, quo loco habendum sit illud πολυθρύλλητον, *Antiquissimum Verissimum, siquidē & mēdacia antiquitatis fuco se ornent?*

Resp. Hoc quidem subinde nobis oggannire solent Romanenses, qui ex antiquitate authoritatem suæ Ecclesiæ adstruere conantur: sed οὐδὲν πρὸς ἔπος: *nos quoq; antiquitatem veneramur, sed non quæ in nominibus aut ordinibus hominum consistit, sed in doctrinæ veritate, propter quam ipsa antiquitas omni veneratione digna est, absq; ea nullius pili est, cum & mendaciorum Parens antiquitate sua gloriari queat. Quapro-*

Quomodo antiquissimum sit verissimum.

Quapropter quando Tertullianus dicit in li. advers. Praxeam, id esse verum, quodcunque primum: id esse adulterinum, quodcunque posterius; accipiendum est partim de eo, quod ante se nihil habet, & tale extra dubium est verbum DEI, & sic doctrina erit norma antiquitatis verae, non contra: partim secundum ipsius Tertulliani interpretationem, qui veritatem sempiternam & antiquam rem nominat, libro de veland. Virgin. ubi etiam scribit, quodcunque adversus veritatem sapit, haeresin esse, etiamsi vetus sit consuetudo. Nam (ut Cyprianus scribit in Epist. 63.) Si Christus solus audiendus, non debemus attendere, quid alius antè nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed DEI veritatem.

Deinde, non quodlibet antiquum habemus pro verissimo, sed antiquissimum, ut habet Adagium. Non enim, quod ante quadringentos annos usitatum fuit, protinus & verum fuit: nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est, *inquit* Cyprianus Epist. 74. *Sed quod in primo statim limine & quasi exordio Ecclesiae Prophetica & Apostolicae edoctum fuit: Vnde est illud* Tertulliani libr. 4. contra Marcion. Id verius est, quod prius, id prius, quod ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis. *Et Hieronymi in Epistola ad Oceanum & Pammach. quod objicere solent Pontificij:* Cur post quadringentos annos nos docere niteris, quod antea nescivimus? usque in hanc diem sine ista vestra doctrina Christianus mundus fuit. *Et hoc est, quod Dominus ad majores nostros nos remisit* Deut. 32, 17. interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi: *sed non ad majores tertiae vel quartae generationis, sed ad primum fontem nos remittit, nimirum ad veram canitiem Patrum*

Bellar. lib. 4. de Eccles. cap. 5.

trum & majorum nostrorum, Prophetas & Apostolos: de cæteris verò recentibus patribus expreßè scriptum est Ezechiel. 20,18, 19. Edixi filijs illorum in deserto, in statutis patrum vestrorum nolite ambulare, & judicia illorum ne observetis, nec idolis eorum polluamini: Ego Jehova DEUS vester, in præceptis meis ambulate, & judicia mea observate ac facite ea.

QUÆSTIO IIX.

An Paulus Apostolus fuit tantùm gentium Apostolus, siquidem scribit, se Apostolatum accepisse in gentibus v.5?

Resp. Vocatio Apostoli extendebat se ad omnes omninò populos, sive sint Judæi, sive gentiles: ita enim habent verba Actor. 9,15. Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israel; *unde & in Synagogis Iudæorum paßim prædicavit: sed ex conventione ipse plus operæ impendit in convertendis gentibus, unde & scribit, sibi creditum esse Evangelium præputij, Petro circumcisionis* Galat. 2. *sibi datam hanc gratiam in gentibus Evangelizare impervestigabiles divitias Christi, seq; ipsum Doctorem gentium, quasi peculiari epitheto, appellare fuit solitus* Rom. 11, 13, 1. Tim. 2, 7.

QUÆSTIO IX.

Cũ Filius Dei dicatur factus esse ex semine Davidis secũdũ carnẽ; quæritur, an nõ particula distinctiva, Secundum, tollat majestatem

tem carni Christi communicatam; ita, ut quemadmodum dicitur Filius DEI natus ex Davide secundum carnem, ita vicissim dicendum sit, filius hominis omnipotens est aut omnipræsens secundum divinitatem?

Resp. Ita quidem sophisticantur adversarij Calviniani, ut Sadeel *de ver. hum. naturæ pag. 83. Cum Christo homini tribuuntur ea, quæ humanæ naturæ conveniunt, ea intelligantur esse καθ' ἄλλο; ut cum dicebatur, Filius hominis esse in cœlo ratione τοῦ λόγου assumentis, & Dominus gloriæ dicitur crucifixus, ratione humanæ naturæ assumtæ.* Paræus *inprimis in hunc locum Apostoli nostri sic scribit pag. 55.* Unde primum fit manifestum, quod communicatio idiomatum non sit alternata idiomatum impressio aut permixtio in naturis: Sed sit τρόπος ἀντιδόσεως naturarum propria vicissim tribuens personæ propter unionem, nõ juxta utramque naturam, sed juxta eam, cujus sunt propria. Ut enim hîc Filius DEI dicitur factus, nempe secundum carnem: ita alibi filius hominis dicitur venisse de cœlo & esse in cœlo, nempe secundum Deitatem, *Hæc ille. Sed in his Paræi verbis nota 1. calumniam. Nostrarum enim Ecclesiarum sententia non est, quod communicatio idiomatum sit Idiomatum impressio aut permixtio in naturis. Credimus enim & confitemur, propria unius naturæ nunquam fieri propria alterius naturæ, neq; per permixtionem, neq; per inhærentiam, neq; etiã quocunq; modo, oportet enim manere naturarũ differentiam & proprietatũ distinctionẽ: quia tamen unitatẽ personæ etiam servari necesse est; idcirco dicimus, uni & eidem*

Propria naturarum in Christo non permiscentur, sed cõmunicãtur.

eidem personæ, quæ in duabus naturis consistit, communicari seu attribui omnia idiomata, sive divinæ, sive humanæ naturæ essentialiter conveniant: ne tamen fiat confusio naturarum, additur, exemplo scripturæ, secundum quam naturam de persona prædicetur, siquidem idiomata utrique naturæ simul essentialiter competere non possunt. Verißimum enim est illud Ambrosij libro 5. de fid. cap. 3. pia mens, quæ leguntur secundum carnem divinitatemq;, distinguit, sacrilega confundit: *quod sacrilegium Paræus per suam excogitatam impreßionem & permixtionem nobis libenter adfingeret.*

2. *Nota* ἀλλοίωσιν *Zvinglij ab istis Sacramentarijs subinde ab orco revocari. Nam quando communicationem Idiomatum per* τρόπον ἀντιδόσεως *definiunt, à prædicationibus illis rei vera alterutram naturam, cujus proprium in prædicato essentiale non est, excludunt, exempli gratiâ, hanc propositionem,* Filius DEI est factus ex semine David secundum carnem; *ita intelligunt, ut nativitas illa ex semine David, nihil ad Deitatem pertineat, sed ad solam carnem, cui illa nativitas sit essentialis, referatur: Atque sic in ista propositione subjectum,* Filius DEI, *juxta* τρόπον ἀντιδόσεως *explicandum erat per carnem Filio DEI unitam: hoc verò est in prædicato quidem adserere naturarum proprietatem, in subjecto verò dirimere personæ unitatem: hoc est evertere Symbolum Apostolicum, in quo credimus & confitemur, Jesum Christum Filium DEI unicum esse Dominum nostrum, QUI natus sit ex Maria Virgine, non cujus caro nata sit: imò hoc est tollere omnem & verbalem & realem communicationem respectu divinæ naturæ, qui fuit ipsißimus Nestorianismus. Neque quidquam juvat Paræum, quod scribit, esse verbalem communicationem Idiomatum, quatenus verbis enunciatur, & propria alternantur in na-*

in naturis: Realem verò imò realissimam, quatenus naturarum propria personæ essentialiter conveniunt. Nam si in ista propositione; Filius DEI est ex semine Davidis secundum carnem, fit ἀντίδοσις ὀνομάτων *(hanc enim intelligit per* ἀντιδόσεως *τρόπον,) illa nativitas ne quidem verbaliter prædicatur de filio DEI, sed de carne tantum. Et, si caro Christi ne quidem verbaliter est omnipotens, ut blasphemavit* Beza in Respon. ad thes. Wirtemberg. de persona Christi in colloqu. Mompelg. p. 205, *vice versa, ne quidem verbaliter filius DEI natus est ex semine Davidis, quia juxta Calvinianorum hypothesin una eademq; utrobiquè est prædicandi ratio. Si autem ne verbalis, multò minus realis aut realissima communicatio est: Nam realitas Paræana ludibrium est in re seria. Novit enim ut suos digitos* Tò Realiter, *in hoc mysterio nobis non esse idem ac* Essentialiter, *sed, idem ac* Verè, *& opponitur verbali. Deinde non est quæstio, num naturarum propria personæ conveniant; sed an & quomodo suas proprietates naturæ invicem communicent. Talem communicationem prorsus nullam sese credere, Paræus semetipsum prodit, quando propria naturarum ESSENTIALITER personæ convenire scribit. Essentialiter autem cujuslibet naturæ propria suæ naturæ tantum conveniunt; ergò relinquuntur naturæ* παντάπασιν ἀκοινώνητοι, *quod est Samosatenianum.*

Calviniani non credūt idiomatum communicationem in Christo.

3\. *Nota, Paræum & Sadeelem in propositis exemplis confundere primum & tertium genus communicationis Idiomatum. Nam hoc exemplum;* Filius DEI est factus secundum carnem, *pertinet ad primum genus, ubi proprium humanæ naturæ prædicatur de divinâ in concreto; alterum exemplum;* Filius hominis est in cœlo, *ad tertium genus pertinet, ubi majestas omnipræsentiæ filio DEI propria communicatur filio hominis, qui tum revera erat in cœlis invisibili modo præsen-*

Primum & tertium genꝰ communicationis idiomatum confunditur à Calvinianis.

tiæ: nam & λόγος, cum quo personaliter & illocaliter unitus, ibi erat: licet visibiliter adsisteret Nicodemo in terris. Non ergo est necesse, ut huic dicto Calviniani suam affingant glossam, secundum deitatem, *quæ neque in textu neque ad marginem reperitur.*

Vsus particularum distinctivarũ.

4. *Nota Paræum & socios genuinum usum Particularum distinctivarum tollere. Nam hæ particulæ, secundum, & κατ' ἄλλο, &c. in primo genere communicationis Idiomatum* naturam *monstrant, cui proprietas in prædicatione sit essentialis, ut in hoc exemplo, Filius Dei natus est ex semine David secundum carnem: item, Filius passus est in carne 1. Petri 4. v. 1. In tertio autem genere ostendunt* causam, *unde hoc habeat natura assumta, ut tam sublimia de se prædicetur, nimirum ex unione cum λόγῳ, ut, cum Cyrillus dicit, carnem Christi esse vivificam, non secundum se, sed secundum aliud, non notatur natura alia: hinc enim fieret ἀλλοίωσις & ludificatio vocum: sed causa alia, seu alia istius præeminentiæ origo, quod nimirum hanc virtutem habeat non ex naturæ suæ proprietate, sed ex unionis personalis gratia.*

Ex hac confusione primi & tertij generis communicationis Idiomatum, & genuino intellectu particularum distinctivarum oritur illud alterum cavillum Paræi, quo dicit, falsam esse hypothesin nostram; Totam personam Christi dicere, esse utramq; Christi naturam dicere; & toti personæ aliquid tribuere, esse secundum utramque naturam tribuere, &c. Siquidem Christus hic dicatur totus ex semine Davidis factus, nec tamen secundum totum sui, sed secundum carnem tantum. Ad quod cavillum sciendum est 1. Si tota Christi persona non est utraq; ejus natura: jam facta est naturarum solutio, quia in Christo, non nisi unam personam agnoscimus duabus constantem naturis. 2. hypothesis illa, quicquid toti personæ tribuitur, secundum utramq; naturam tribuitur, à

Tota Christi persona sunt duæ ejus naturæ.

nobis usurpatur, inprimis in tertio genere communicationis Idiomatum, ubi de donis carni Christi collatis agitur, quando Christus, exempli gratia, suam nobis promittit præsentiam Matt.28, & 18. *ubi Calviniani personæ vocabulum EGO restringunt ad divinam duntaxat naturam: nos verò rectè attributum illud omnipræsentiæ ad totam personam, & ad utramq; ejus naturam referimus, ostensa tantum diversitate causæ, quare filius DEI suam nobis promittere poßit præsentiam, nimirum propter naturæ perfectionem: quare itidem Filius hominis, nimirum propter unionis gratiam. Alia verò ratio est in primo genere; ubi non de donis, sed infirmitatibus potius naturæ humanæ agitur, ubi in subjecto rectè quidem ponitur tota persona propter personæ unitatem: in prædicato autem limitatio additur ad naturam, cui propriè competit, ob necessariam proprietatum distinctionem.* †

† [*Nota hîc sententiam Leonis Epist.11. Nec verbum in carnem, nec caro in verbum mutata est: sed utrumque in uno manet, & unus in utroque est. Non diversitatē divisus, non permixtione confusus: non alter ex patre, alter ex matre: sed idem aliter ex patre aliter ex matre. &c.*]

QUÆSTIO X.

Cum D. Paulus Patrem quidem Deum nominat, Filium autem non Deum, sed Dominum v.7. annon hoc derogat aliquid divinitati Christi, quemadmodum Ariani recentiores ex hoc loco & similibus divinitatem Christi impugnant?

Resp. Nihil quidquam derogat: nam qui hîc vocatur Dominus, alibi expreßè nominatur Deus Rom. 9, 5. 2. Cor. 5, 9. Tit. 2, 13. Hebr. 1, 8. 1. Joh. 5, 20. &c. *Observarunt autem*

 orthodoxi

orthodoxi Patres, Apostolo nostro hunc fuisse morem, ut cum Patrem & filium conjungeret, Patrem Deum, filium Dominum appellavet. Ratio hujus consuetudinis hæc fortasse reddi potest, quia loquitur de Filio ut redemptore & Mediatore nostro, ideo frequentissimè ipsum JESUM CHRISTUM appellat, quæ sunt nomina officij. Per redemptionis autem beneficium verè noster factus est DOMINUS, qui nos manu adsertos ex captivitate Satanæ emancipavit, & in libertatem filiorum Dei transtulit: atque sic hac appellatione D. Paulus non tam ad essentiam, quàm officium Christi respexit, quod vel inprimis Auditoribus suis inculcare voluit, &c.

Aphorismi Theologici ex hac parte Capitis.

1. *Professio nominis in scripto præsertim publico candoris est ingenui, nam qui benè agit amat lucem Ioh. 3. Anonyma verò & Neministica scripta olent spiritum tenebrarum, & legibus etiam civilibus libellis famosis æquiparantur.* vid. cod. de fam. lib. & leg. 13. falsi digest. ad leg. Cornel.

2. *Servire Deo optima est libertas Christianorum: valedicit enim servus Dei peccato, à quo naturâ captivi tenebamur, juxta illud:* liberati à peccato servi facti estis justitiæ Rom. 6, 18.

3. *Vocatio legitima est substantialis pars ministerij: nemo enim sibi sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo* Heb. 5, 4. *& non potest sibi homo sumere quidquam, nisi ei datum fuerit de cœlo* Joh. 3, 24.

4. *Pulcerrima est harmonia Veteris & Novi Testamenti, scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, adumbrata alis duorum*

duorum Cherubinorum super arca fœderis Exod. 20, 25. *mutuò se respicientium, quo refer locum ex 2.* Petri. 1, 19.

5. *Evangelium est lætum nuncium de Filio DEI, ejus nimirum merito & beneficijs: ergo non est concio pœnitentiæ.*

6. *Evangelij doctrina sonuit etiam in Veteri Testamento, sed partim promissionibus contenta, partim sacrificiorum & typorum nebulis involuta, unde Novum Testamentum diei, Vetus nocti comparatur.* Rom. 13.

7. *Gemina est Christi generatio, una ab æterno, de qua* Mich. 5. Psal. 2. *ex substantia æterni Patris, in qua non habuit matrem: altera in tempore ex Semine Davidis, in qua non habuit Patrem* Luc. 2. Gal. 4. *utriusq; respectu dicitur ἀπάτωρ & ἀμήτωρ* Hebr. 7.

8. *Exemplum primi generis communicationis idiomatum notetur: quod filius Dei factus esse diciur ex semine Davidis secundum carnem. Etsi enim illis distinctionibus semper opus non est: tamen ita nos scriptura loqui docuit ad evitandas ambiguitates hujus distinctionis. Synonyma sunt in scriptura, vel particula, IN, ut, Christ9 solvit inimicitias in carne* Eph. 2. *seu in corpore carnis suæ* Col. 1. *vel ablativus naturæ humanæ, ut Christus passus est carne.* 1. Petri. 4. *vel præpositio* Ex, *ut, Christus crucifixus est ex infirmitate* 2. Cor. 13. *vel præpositio* Per, *ut innovavit nobis viam in sancta per* proprium *sanguinẽ, item per velum, hoc est, per carnem suã* Hebr. 9, & 10. Particulæ distinctivæ.

9. *Insigne Deitatis Christi testimonium est, quod hîc doctrina Pauli vocatur Evangelium Dei, alibi verò Evangelium Christi vocatur, ut in hoc capite.* v. 9. 1. Cor. 9, 12. 2. Cor. 9, 13. Gal. 1, 7. *Ergo Christus est verus Deus.*

10. *Testimonium divinitatis Spiritus sancti est, quod Paulus hic dicitur segregatus in Evangelium Dei: hoc verò DEI*

proprium est, mittere Apostolos & doctores Ecclesiæ Joel. 2, 23. *alibi verò dicitur segregatus à Spiritu Sancto* Act. 13, 2. *Ergo Spiritus Sanctus est verus DEUS.*

11. *Opera Christi sunt testimonia divinitatis Christi, qualia hic recensentur tria I. miracula, ad quæ provocat* Joh. 5, 36. & Joh. 2. *dicitur, miracula declarasse gloriam suam.* 2. *Spiritus Sancti effusio: eam enim Deus promiserat* Joel. 2, 3. *à mortuis resuscitatio, quod extra controversiam solius DEI opus est.*

12. *Finis doctrinæ Evangelicæ est, partim ut credatur, partim ut obediatur. Fides enim est ex auditu verbi* Rom. 10. *& miracula Christi descripta sunt, ut credamus* Joh. 20. *Fides verò absq; obedientia, vacua, imò mortua est* Jacob. 2. *Fidelis ergò & verè Evangelicus Christianus esse non potest, qui non utriusq; testimonium habet.*

13. *Doctrina Evangelij est universalis, omnibus omninò gentibus proposita, cum quo consentit Apostolus noster alibi.* Col. 1. Rom. 15. *Falsum igitur est adfirmatum Calvinianorum, DEUM noluisse ut omnibus verbum suum prædicetur.*

14. *Candoris Theologici est nemini adulari in rebus salutis, sicut Apostolus Paulus Romanos cæteris gentibus æquiparat; quia in Christo nulla est προσωποληψία, & in Ecclesia maximi minimi pares sunt, quia iisdem omnes beneficiis priviulegiisq; gaudent.*

15. *In Ecclesia tantùm, qui est cætus vocatorum, sunt verè sancti, sanctificati sanguine Christi, & vocati vocatione sancta, operamq; dantes operibus sanctis* Heb. 9, 2. Tim. 1. Eph. 2. Phil. 2. &c.

16. *Gratia, quæ pacem conscientiarum adfert, à solo Deo est, nullis hominum meritis paratur: unde sequitur, nos naturâ DEO ingratos, id est, ut Apostolus alibi declarat,* Ephes. 2. *Filios iræ esse, & nequaquam in gratia aut fœdere*

DEI

DEI nasci, ut Calviniani somniant. Vide Bezæ resp. 2. ad colloq: Mompelg. p. 130.

SECUNDA PARS TEXTUS.

Πρῶτον μὲν εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ ὑπὲρ πάντων ὑμῶν, ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ.

Μάρτυς γάρ μου ἐστὶν ὁ θεὸς, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι.

Πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος εἴ πως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ, ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς.

Ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς.

Τοῦτο δέ ἐστι συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ.

Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὅτι πολλάκις προεθέμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς (καὶ ἐκωλύθην

8 PRimum quidem gratias
ago Deo meo per Jesum
Christum pro omnibus vo-
bis, quia fides vestra annun-
ciatur in universo mundo.
9 Testis enim mihi est De-
us, cui servio in spiritu me-
o, in Evangelio Filij ejus,
quod sine intermissione
memoriam vestri faciam.
10 Semper in orationibus
meis obsecrans, si quomo-
do tandē aliquādo prospe-
rum iter habeam in volun-
tate Dei, veniendi ad vos.
11 Desidero enim videre
vos, ut aliquid impertiar
vobis gratiæ spiritualis ad
confirmandos vos.
12 Id est simul consolari in
vobis per eam, quæ invi-
cem est fidem vestram atq;
meam.
13 Nolo autem vos ignorare
fratres, quia sæpe proposui
venire ad vos, (& prohibitꝰ
sum

χρι τῦ δεῦρο) ἵνα καρπόν τινα σχῶ καὶ ἐν ὑμῖν, καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν.

Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί.

Οὕτω (τὸ κατ' ἐμὲ) πρόθυμον, καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ, εὐαγγελίσασθαι.

Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ, δύναμις γὰρ θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι.

Δικαιοσύνη γὰρ θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν καθὼς γέγραπται, ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus.

14 Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.

15 Itaq; quod in me, promptum est, & vobis qui Romæ estis, evangelizare.

16 Non enim erubesco Evangelium: virtus enim DEI est in salutem omni credenti Judæo primum & Græco.

17 Justitia enim DEI in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivet.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Speciale Exordium hujus Epistolæ summo constat artificio. Scribebat enim Apostolus ad sapientissimos & potentissimos homines in universo mundo, quos ut cum fructu docere posset, ne ulla ex parte offenderet, maximopere cavebat. Complectitur tres usitatas Exordij partes, quas Rethores recensent: Captationem benevolentiæ, Attentionem, & Docilitatem. Captatio benevolentiæ sumitur à gratulatione, de præclaro fidei

incre-

incremẽto, quod jam innotuisse dicit in universo mundo. De eo dicit sese PRIMUM *Deo gratias agere, non quasi eo nomine aliquid amplius acturus sit, sed quia hoc inprimis sibi curæ esse indicat.* Primùm *enim non ordinis, sed intentionis adverbium est hoc loco, idem ac Inprimis. Gratulaturus autem Romanis, Deo gratias agit, partim ostendens bonorum omnium, adeoq́; fidei Romanorum fontem Deum, partim suæ, quam alijs præscripsit, regulæ memor, omnia ad gloriam Dei facite,* 1. Corin. 10. *gratulatur autem eis non de orbis imperio, non de urbis præstantia, sed de fidei excellentia, quam omnibus mundi thesauris antefert, eamque annunciatam ait in universo mundo, quod Origenes κατ' ὑπερβολὴν dictum esse putat, sed quia tunc temporis Roma caput erat Imperij, fieri quàm facilè potuit, ut propter hominum affluxum ipsorum conversio ad fidem Christianam longè lateque increbresceret. Hominum enim celebrium & vitia & virtutes facilius innotescunt.*

Attentionem *movet significatione ardentissimi sui studij & desiderij, quo tam absens, quàm præsens ipsos juvare studeat, tam memoriam ipsorum indesinenter conservando, quàm ipsos invisendo, quod quidem maximopere se à* DEO *precari, & tamen providentiæ divinæ committere dicit, ideò enim se submittit voluntati Dei* v. 10. *Quia verò Romanis ignotus erat, & propter Pseudoapostolos, qui simpliciores circumveniebant, hæc ejus obtestatio suspecta fieri poterat, ideò affectus sui* testem *invocat* DEUM, cui se servire dicit, *non dicis caussa ut solent hypocritæ, sed serijs & interioribus motibus Spiritus, in doctrina Evangelij, quam & à Filio & de Filio prædicandam acceperat, hoc enim vocat Evangelium Filij* v. 9. *Cur autem eos invisere tantoperè desideret, rationem affert triplicem. Primam petit à caussa finali* v. 11. ut aliquid spiritualis gratiæ impertiatur eis ad confirmationem

 corum.

eorum: *Spiritualem gratiam nominat augmentum fidei & notitiæ mysteriorum Dei, quo in istis mundi delitijs & imbecillitate naturæ humanæ maximopere indigebant: id verò per Dei gratiam se eis impertiri posse sperabat. Quod ne arrogantius dictum videatur, quasi ipse in viros tam sapientes magisterium sumere, aut de hominum fortissimorum constantia dubitare velit, mox correctionem addit v.12. qua se quoq; includit, & ex illa mutua collatione cum ipsis, se quoq; consolationem aliquam consecuturum sperat. Ne verò ipsi obijcere possent, cur non citius venisset, subijcit* v. 13. se in maximo suo desiderio hactenus impeditum fuisse, *sive quod Spiritus sanctus probibuit, qui ipsum per sesquiannum Corinthi subsistere jussit,* Act. 18, 10. *sive quod Satanas bonum hoc propositum impedivit, quo pacto adventum suum ad Thessalonicenses impeditum fuisse scribit,* 1. Thes. 2, 18. *Secundam desiderij sui rationem petit ab utili,* ut nimirum ipse fructum aliquem habeat in ipsis, sicut in cæteris gentibus, *Fructum intelligit non auri aut argenti, didicit enim & abundare & penuriam pati: ideoq; protestatur, se non quærere data* Phil. 4, 17. *& hanc mercedem suam vocat, sine sumptu prædicare Evangelium* 1. Cor. 9. 18. *sed fructum spiritualem, profectum nimirum in fide & agnitione Dei, qui ad Apostolum redundaturus erat, siquidem inde æstimare poterat, laborem suum non fuisse inanem in Domino. Tertiam desiderij sui rationem petit ab officio suo* v, 14. Græcis *inquit*, ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. *Vniversam gentilitatem in duas classes dividit, una Græcorum altera Barbarorum erat: Græci enim omnes alios extra nationem suam vocabant Barbaros & insipientes, quia ipsi in universo orbe sapientiæ laude excellebant. In universalitate igitur illa Romanos etiam includit, quorum se debitorem non minus ac cæterorū profitetur.*

His ergò modis attentos reddere voluit Romanos, ut eò diligentius auscultarent Apostolo suo tam ardenter & tot nominibus ipsorum salutem desideranti.

Docilitas *denique in eo consistit: quod paucis exponit, quamnam ipsis propositurus sit doctrinam, nimirum Evangelium, non ut asservatur in scriptis, sed ut legitur, prædicatur, discitur: quod licet gentibus aliàs sit stultitia, se tamen ejus non pudere, ait, esse enim non hominum, sed Dei doctrinam, imò virtutem DEI & ordinarium medium, per quod fides & salus conferatur mundo, hoc tantum ordine, ut Iudæi in consilio Dei primi esse debeant, deinde Græci, licet paulò post, ob contemtum Iudæorum inversus hic ordo fuerit, qua de re vide* Matth.22 Actor.13 *Quomodo autem Evangelium hanc virtutem exerceat, ostendit ver.17. quando ait,* Iustitiam Dei revelari ex fide in fidem, h.e. *ex Evangelio patefieri, homines justificari coram Deo non suâ justitiâ, quæ est justitia operum; sed justitia DEI, quæ vocatur justitia fidei,* Roman. 3. Philipp.3. *patefit autem ex fide in fidem, vel quia patres eandem habuerunt justitiam in veteri Testamento, quam nos hodie in Novo: vel quia Evangelium docet, fidem nostram paulatim incrementa capere, & ex fide minore in majorem paulatim proficere, vel ut Ambrosius interpretatur, patefit ex fide DEI promittentis in fidem credentis, quia in credente Deus apparet justus, in incredulo injustus, qui negat Deum esse veracem: vel denique patefit Dei justitia ex sola fide, quemadmodum in 2.* Corinth. 3. *transformamur ex gloria in gloriam, illa ἀναδίπλωσις perennitatem significat: & alibi eodem sensu dicitur, à seculo in seculum, à progenie in progeniem, de virtute in virtutem. Et hîc orditur Apostolus principalem hujus Epistolæ Tractatum de Justitia fidei, quam mox Prophetico Habacuci testimonio*

dilucidius proponit ex cap. 2, 4. Iustus ex fide vivit, de qua propositione plura in progressu.

† [*Per justitiam Dei intelligit Origenes justitiam distributivam, qua Deus retribuit omnibus prout meriti sunt. Ambrosius justitiam promissam, quatenus nimirum Deus verax est in promißis, Chrysost. bonitatem & misericordiam Dei. Theodoretus satisfactionem Christi, qua solvit debita nostra. Augustinus & Pontificij habitualem justitiam, qua Deus hominem induit.*]

Paraphrasis hujus partis.

Gratulor inprimis vobis ô vos mei Romani, & gratias habeo Deo meo pro illuminatione vestra; quia jam lætus ille nuncius omnes mundi angulos longè lateq; pervolavit, Romanos orbis terrarum Dominos Evangeliū de Christo accepisse. Quo nomine magna animi cum lætitia honorificam vestrûm mentionem facio, nihilq; magis in votis habeo, quod Deum testor, quem pura mente colo, quàm, ut Dominus pro benevola voluntate sua commodam vos invisendi occasionem mihi largiatur. Maximoperè enim cuperem mea conversatione vestram confirmare fidem, nihil dubitans, quin & ego ex mutuo nostro congressu colloquioq; fructum laborum meorum accepturus sim non pœnitendum. Etsi verò quàm sæpissimè proposuerim ad vos proficisci, semper tamen impeditus, etiamnum hîc subsisto, majorem in modum desiderans, ut & apud vos, sicut apud gentes cæteras, Apostolatus mei fructum aliquem consequar. Agnosco enim me omnibus gentibus ad hæc sacra ministerij Evangelici officia obstrictum; cur ergo vobis tanquam populorum omnium medullæ studium meum denegem? Sciatis autem, ut ut doctrina, quam profi-

profiteor, contemtim habeatur, ab ijs, quibus nil nisi mundana sapiunt, est tamen revera ejus virtutis & efficaciæ, ut per hoc, tanquam ordinarium organum Deus & fidem & salutem operetur in hominibus. In eo enim clarè dilucideq; docetur, unde coram Deo sit Justitia, nimirum ex fide in Christum, planè sicut jam olim per Prophetam prædictum fuit, eum demum verè esse justum, qui fide in Christum vitam æternam cõsequetur.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

De Ecclesiâ Romanâ prædicat Apostolus, quod fides ejus annuncietur in universo mũdo: annon ergò rectè Ecclesia Romana hodieq; vocatur Catholica quia fides ejus est Catholica? ut pugnat Staplet. lib. 4. de Princip. fid. cap. 18. & Perer. disp. 4. in cap. 1. ad Rom.

Ecclesia quomodo dicatur catholica.

Respond. Quomodo illa annunciatio fidei Romanæ in universo mundo intelligenda sit, in explicatione textus diximus: jam ad quæstionem respondeo 1. Catholica dicitur Ecclesia duobus modis: 1. ratione loci. 2. ratione fidei & doctrinæ. Ratione loci, quia est Christiana hoc est, nulli certo loco inclusa, ut Iudaica, sed per totum orbem terrarum diffusa, omnes locos gentes atq; nationes complexa. Et hoc sanè sensu Romana Ecclesia catholica dici non potest, quia particularis est Ecclesia, neq; omnes locos, gentes atq; nationes complectitur, & si sole Ro-

læ Romanæ titulus Catholicæ Ecclesiæ competeret; sequeretur ante fundationem Ecclesiæ Romanæ nullam fuisse in mundo Catholicam Ecclesiam. Romana enim tunc esse cepit Ecclesia, quando Romæ prædicatum fuit Evangelium. Ubi vero & quales essent Ecclesiæ, Hierosolymitana, Antiochena, Samaritana, Ægyptiacæ, Græcæ Ecclesiæ multæ, quæ omnes ante Romanam fundatæ fuerunt. Ratione fidei vero & doctrinæ dicitur catholica Ecclesia, quia est custos fidei & doctrinæ Catholicæ, id est, orthodoxæ, Propheticæ & Apostolicæ, quam & publicè profitetur: & hoc respectu Romana olim Ecclesia dicta fuit Catholica, sed non sola: quia plures particulares Ecclesiæ eandem fidem tenuerunt, & proinde ab hoc elogio non sunt excludendæ. Atq; sic Ecclesiæ illæ particulares sunt partes Ecclesiæ catholicæ, non ipsa catholica Ecclesia.

† [Nostra hodie Ecclesia est catholica: 1. quia Christiana. 2 quia non hæretica. 3. quia custos fidei catholicæ. 4. quia ex Iudæis & gentibus in toto orbe collecta. 5 quia ad nullum certum locum in mundo alligata.]

Et hæc de Ecclesia Romana, prout tunc fuit tempore Apostolorum. Longè vero alia ratio est hodiernæ Ecclesiæ Romanæ, quæ ementito Catholicæ titulo sese jactitat, non secus ac meretrix virginitatis ornamento, aut quemadmodum Sardicensis Ecclesia dicebatur & videbatur vivere, cum mortua esset Apoc. 3, 1. Nam quoad locum, in aprico est Romanam hodiernam non minus ac illam primam, & Apostolicam, appellari nō posse Catholicam, quia particulare non potest esse universale. Quoad fidem & doctrinam, impudentissima jactantia Papicolarum est, Romanam Ecclesiam fidem, quam semel ab Apostolis perceperat, semper usq; adhuc inviolatam atque incontaminatam conservasse, nullaq; ab illo tempore ad usq; præsentem diem hæreticæ pravitatis labe infectam & fœdatam esse, ut scri-

Romana hodierna non est. catholica Ecclesia.

ut scribit Perer. disp. 4 in cap. 1. thes. 23. *Contrarium hactenus à nostratibus ad oculum fuit demonstratum, nimirum, in hodierna Roma impletum esse illud, quod de Ecclesia Hierosolymitana olim conquerebatur Dominus.* Esa. 1, 21 *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? ibi enim neq; pes neq; caput suum facit officium, id est, neq; Episcopos habent verè Apostolicos, quales describuntur in 1.* Tim. 3. *neq; populum verè Christianum: neq; doctrinam aliam, quàm quæ ex hæresibus quàm plurimis est consarcinata, quemadmodum alibi ostenditur, & examen doctrinæ Papisticæ juxta doctrinam in hac Epistola contentam edocebit. Quam ob causam non immeritò hodierna Roma à Sanctis patribus sedes Antichristi, Meretrix illa magna, mater omnium scortationum, de quâ D. Iohannes* Apocal. 17. *fuit nuncupata. Unde est illud Hilarij ad Auxentium sub fin.* Cavete Antichristum: malè vos parietum amor cœpit, malè Ecclesiam in tectis ædificijsq; veneramini: malè sub his pacis nomen ingeritur; anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum?

QUÆSTIO II.

Apostolus Paulus Deum testem invocat, & juramento assertionem suam confirmat: id verò videtur esse contra illud Christi Matth. 5, 34. ne juretis omninò: & iterum v. 37: sit sermo vester, est, est, quod autem his abundantius est, à malo est.

Resp. Iuramenta esse licita in re præsertim seria, constat ex præcepto Dei, Exo. 22, 8. 11. ex ipsius & sanctorum exemplo, Amos 6, v. 8. Ier. 5. 14. Nu. 14. 21. Deut. 32, 40. Apoc. 10, 5. 2. Cor. 1, 21. Huic verò non adversantur loca allegata. Nam in genere prohibet Iuramenta sunt licita.

Serva-

Servator juramenta levia & temeraria, in re levicula, & absq; omni metu perjurij præstita. Itaq; in primo loco universalis, Omninò, *cum restrictione intelligēda est, nimirum de illegitimo & temerario juramento: qualis restrictio in alijs quoq; exemplis locum habet ut* Exo. 20, 10. *cum dicitur, nullum opus faciendum esse in sabbatho: ubi* Nullum *tantum prophana excludit opera, & Luc. 7, 28. Matth. 11. nemo surrexit major Iohanne Baptista: universalis restringenda est ad eos, qui vulgariter ex virili semine nati sunt. Alij illud* omninò *interpretantur per frequenter ac subindè, sicut* διὰ παντὸς *usurpatur, Syr. 23, 21. In altero loco ea verba,* quod his abundantiùs est, à malo est, vel ex malorum genere est, *ita declarat D. Augustinus serm. 1. de verb. domini in monte: quod non respectu jurantis malum sit, si quid simplici adseverationi addatur, sed respectu incredulitatis ejus, cui juratur, ea enim incredulitas mala est.*

† [*Alij illud omninò exponunt, in quolibet casu non jures: ergò in aliquo jurare licet. Inhibitio Christi Matth. 5, 37. sermo vester sit, est, est, opponitur levitati & hypocrisi, quasi dicat: ne sitis versipelles, qui ex uno ore calidum & frigidū proflare possunt, nihil agatis dolosè aut futiliter, sed candidè & apertè.*]

QUÆSTIO III.

D. Paulus desiderat mutua collatione cum Romanis in fide sua confirmari v. 11. num ergo fidem suam ab homine accepit aut didicit, saltem si non in totum, tamen in tantum, quod tantopere negat, Gal. 1, 12?

Resp. In græco textu duo sunt distincta vocabula. Nam quan-

quando Apostolus de solis Romanis loquitur, utitur voce στηριχθῆναι, cum autem se quoq; includit, voce συμπαρακληθῆναι, prius illud, confirmationem significat, posterius mutuam consolationem. Sensus igitur est, Romanos fuisse confirmandos adventu Pauli, Paulum autem solatium mutuum accepturum ex illorum confirmata fide. Deinde si maximè dicendum esset, Apostolum Paulum quoque ex mutua illa conversatione fuisse confirmatum, distinguendum tamen esset inter donum cognitionis & donum regenerationis: In dono cognitionis, id est, doctrina sua non fuit confirmatus ab homine, sed immediatè à Deo eam accepit, & veram esse scivit, antequam ullum eâ converteret. In dono regenerationis autem confirmari potuit, hoc est, fiducia sua in Deum crescere potuit, cum videret, laborem suum non inanem fuisse, sed quotidiè apud diversas gentes fructificare.

QUÆSTIO IV.

Scribit Apostolus v. 13. se prohibitum esse, quo minus citius venerit ad Romanos: ea verò prohibitio facta est à Deo: is enim Paulum subsistere jußit Corinthi Act. 18, 10. quæritur ergò, an Deus fortè Romanis Evangelium inviderit, quia propositum & desiderium Apostoli Pauli impedivit?

Resp. Absit hoc ut cogitemus, quomodo aliàs vel tandem ad gremium Ecclesiæ eos vocari passus fuisset. Sed observanda hic est consuetudo dispositioq; Dei, qui istis plerũq; hominibus primũ omnium & quàm diutißimè prædicare jubet Evangelium, apud quos plures lucrifieri posse videt: quod cum in Ecclesia

Corinthiaca quoq; usu veniret, per sesquiannium adhuc Apostolo sibi subsistendum erat, quam rationem Dominus ipse ibi allegavit: populus multus mihi est, inquit, in hac civitate v. 10. Ex eadem ratione Paulus & Silas cum in Asiam profecturi essent, prohibiti sunt à Spiritu sancto, & divina visione ire jussi sunt in Macedoniam, ubi uberiorem fructum ipsorum prædicatio erat allatura Act.16,6. *suo tamen tempore Asiaticis quoq; populis Evangelium prædicatum fuit, quemadmodum constat ex inscriptione prioris Epistolæ D. Petri: & ex Epistolis D. Johannis ad Asiaticas Ecclesias exaratis Apocal, 2. & 3. &c,*

[*Ita Christus cum videret, non ita multum fructificaturum verbum apud Nazarethanos, scribitur pauca apud ipsos edidisse miracula. Mar. 6.*]

QUÆSTIO V.

Cum Evangelium propriè sumtum nihil aliud sit quàm publica gratiæ & redemtionis Christi annunciatio, non immeritò quæritur, quare hîc vocetur & quomodo sit virtus Dei ad salutem omni credenti?

Definitio Evangelij.

Resp. Definitio hæc est Evangelij, ut Origenes loquitur, qua voce Apostolus non intelligit libros quatuor Evangelistarum, sed doctrinam inibi comprehensam, nec tamen doctrinam chartis & membranis inclusam, sed lectam, prædicatam & auditam, atq; sic idem, quod alibi vocat verbum fidei, quod prædicamus Rom. 10, Ea verò doctrina est de Dei gratia & remissione peccatorum per Christum parta & fideli corde apprehensa: vocatur Dei virtus seu potẽtia, nõ quia potẽtia Dei tantum manifestatur in Evangelio, sed potius quia Deus vim & efficaciam

caciam suam exerit in animis auditorum per hanc doctrinam tanquam ordinarium suum organum. Non autem tribuitur ista efficacia seu operatio magica quadam ratione ipsi sono verborum, ut à ministro editur, ab auditore percipitur, neque tamen etiam absque externo illo ministerio, seu saltem cum eo exeritur, sed Deus vim & efficaciam illam verbo prædicato divinitus attribuit, & per hoc ipsum ordinarium suum organum potenter operatur salutem in animis audientium. Perperam ergò faciunt Schvvenckfeldiani, qui Deum sine medijs nobiscum agere contendunt: potentiam autem Dei in hoc textu interpretantur de verbo essentiali Christo ipso, sed falsò: nam de Evangelio Paulus ibi loquitur, non de Christo, qui nuspiam dicitur Evangelium: perperam agunt etiam Calviniani, qui quidem nomen interdum ejusmodi mediorum admittunt, sed omnem vim & efficaciam in conversione, regeneratione aut vivificatione nostrâ ei adimunt: ideo apertè negat Beza, verbum externum esse medium & organum, per quod nobis confertur gratia Dei, Resp. 2. ad acta coll. p. 115. & p. 116. *scribit, actiones ministrorum verbi nullomodo cum Spiritus sancti actione commiscendas esse. Nam etsi* Paræus. *in hunc locum scribens, Evangelium nominat organum potentiæ Dei, efficax ad salutem credentium, PER quod Deus efficaciter moveat corda electorum, tamen non nisi ludibria verborum sunt. Nam in rei veritati efficaciam Deo non nisi immediatam tribuit, quando alibi scribit* in Exeg. germ. fol. 80. & 81. *nullam vim aut efficaciam in verbo illo externo inclusam, aut ad illud alligatam esse: externo verbo Dei ne tantillum quidem divinæ virtutis hominibus renovandis & æterna vita in Christo servandis attribuendum esse: quo sensu & Beza scribit,* Resp. 1. ad coll. Momp. pag. 31. *Deum non remittere peccata verè & efficaciter per homines, sed ex se & per se, id est, immediatè.*

Evãgelium quando sit potentia Dei ad salutem.

Calviniani evacuant ministerium verbi omni efficacia.

Quando igitur Paræus scribit, Deum PER Evangelium efficaciter movere, vocula PER idem ei est, ac adverbium SIMUL, UNA, ut sensus sit, Deum efficaciter operari salutem in credentibus simul & unà cum prædicato externo verbo Evangelij: aliter si intelligat, hæc sanè verba cum ijs, quæ in Exegesi scripsit, conciliare non potest. Sed esse hanc ipsissimam mentem & Paræi & sociorum, nimis clarè prodidit Grynæus in disput. Heidelberg. de Eucharistia thes. 6. *ubi de hujusmodi Pauli locis, in quibus Evangelio aliquam tribuit efficaciam, aut ubi ministerium Spiritus nominat, sic scribit:* Meminerint pij, ministerio externo, ejus cohonestandi ergò phrasi sacramentali effectum ministerij interni hoc Pauli dicto *(in 2. Cor. 3. de ministerio Spiritus)* alijsq; similibus tribui. *Ergòne tantum honoris gratiâ Evangelium est potentia Dei ad salutem? Ergò non nisi phrasi sacramentali, hoc est, significativè, est potentia ad salutem, quam Deus etiam absq; Evangelio operatur &c. Quid hoc est aliud, quàm omnem efficaciam prædicato verbo adimere, ad Enthusiasmos Schwenckfeldij homines remittere, contemtum verbi prædicati augere, & Apostolo nostro in os contradicere? Hoc sensu Beza suam illam, quam interdum verbo prædicato tribuere videtur, efficaciam declarat.* Resp. 2. ad colloq. Mompelg. p. 115. & 117. nullam vim Spiritualem & extrinsecam vocibus Dei esse insitam, quàm res illas significandi, de quibus dicuntur: quando Spiritus Dei solus sua vi intus præstat ea, quæ per vocem hominum declarat, & tum verbis, tum adjunctis signis visibilibus significat. *Ex his apparet, organum efficax Paræo, Bezæ ac socijs idem esse ac significans ea beneficia, quæ Deus solus confert, vel medium aut organum declarans & significans ea, quæ solus Deus sua vi interno homini præstat.*

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quia Evangelium dicitur potentia Dei in ſalutem omni credenti, annon univerſalitas promiſſionum Evangelicarum reſtringenda erit ad credentes tantùm, præteritis cæteris?

Reſp. Ita quidem hunc locum depravat Paræus his verbis: promiſſiones Evangelij univerſales ſunt reſpectu fidelium, non infidelium, quibus nihil pollicentur, quoad manent infideles; rectè tamen dicuntur univerſales reſpectu omnium hominum diſtributivè, quoniam nullo gentis, nationis, ſtatus, ſexus, ætatis diſcrimine omnibus ſunt Dei potentia propoſitæ ad ſalutem. *Sed errat Paræus, dum non diſtinguit inter promiſſiones merè univerſales quæ ſpectant ad omnes omninò homines abſque diſcrimine, & inter eas, quæ ad ſolos credentes ſunt determinatæ. Illæ ad voluntatem Dei reſpiciunt, quæ neminem excludit: hæc ad applicationem gratiæ, quæ excludit infideles, in quibus illa applicatio deſit. Primi generis promiſſiones ſunt: Deus vult omnes homines ſalvos fieri, 1. Tim. 2. Deus non vult ullos perire, 2. Pet. 3. Vivo ego nolo mortem peccatoris, Ezech. 33. neq; tamen ſic ſimpliciter & abſolutè univerſales ſunt, ut effectum ſuum conſequantur, quicquid demum homines faciant, ſed determinatæ ſunt ad media, ut nimirum omnes convertantur, omnes ad agnitionem veritatis perveniant, omnes pœnitentiam agant, & ſic demum effectum ſuum conſequentur: interim tamen voluntas illa Dei manet univerſalis, licet actu non omnes veniant aut convertantur. Secundi generis promiſſiones ſunt reſpectu totius mundi particulares, ut hæc noſtra: Evangelium eſt potentia in ſalutem omni credenti:*

Promiſſiones Evangelij duplices.

item ut omnis qui credit in eum non pereat Joh. 3. Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit, Rom. 10. &c. Universalitas autem illa primi generis de omnibus intelligenda est non distributivè sed collectivè, nisi velimus facere ex Deo προσωποληπτην, *siquidem adæquè omnes pares invenit, quando eis beneficia sua promittit.*

QUÆSTIO VII.

Distinguit Apostolus inter Iudæos & Græcos, ita ut Iudæis primas tribuat. Infra autem cap. 3. v. 22. dicit, non esse distinctionem in negotio Iustificationis, & Gal. 3, 28. scribit, non est Iudæus neque Græcus, omnes vos unum estis in Christo Iesu.

Resp. In ipsa Iustificatione nulla est distinctio: non enim personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est ei, Acto. 10. *idcircò in vinea Domini æqualem mercedem accipiunt, primi & novißimi, Matth. 20. Ratione verò ordinis Iudæi primi sunt, quemadmodum Apostolus Paulus dicit ad eos Act. 13. v. 46. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternâ vitâ, ecce convertimur ad gentes. Hinc primum omnium ad Iudæos emittuntur Apostoli, Matth. 10. & ex Iudæis salus esse dicitur Ioh. 4. tum ratione Salvatoris ex Iudæis oriundi juxta carnem; tum etiam ratione ordinis in prædicatione salutis. Ratio hujus ordinis redditur Rom. 3. 7. & cap. 9, 4.*

QUÆ-

QUÆSTIO IIX.

Principalis quæstio in hac parte est, quænam sit illa Iustitia Dei, quæ revelatur in Evangelio?

Resp. Ad hanc quæstionem ut rectè respondeatur, sciendum est, Iustitiam Dei quinq; potissimùm modis accipi in scriptura. 1. pro essentiali Dei Iustitia, quâ ipse Iustus est in se naturâ suâ, ut quotiescunq; Deus justus dicitur Deut. 32, 4. Psal. 11, 7. de tali Iustitia hic non agitur: nam Dei essentia tàm in Lege, quam in Evangelio revelatur. 2. pro justitia distributiva, quàm vulgò Legalem vocant, quâ bonis benè, malis malè facit, ut Rom. 3, 6. iniquitas nostra Dei justitiam commendat, & Iacob. 1, 20. ira viri justitiam Dei non operatur: hæc quoq; justitia non revelatur in Evangelio, sed in lege: lex enim est regula justitiæ divinæ. 3. pro ejus omnipotentia, quæ itidem non ex Evangelio revelatur, sed ex omnibus Dei operibus ut Psal. 97, 6. annunciant cæli justitiam ejus. 4. Pro veritate promissionum divinarum, ut quando David orat Esa. 63, 1. ego Dominus, qui loquor justitiam. 5. Pro beneficentia & benignitate Dei, quâ miseretur peccatoris, remittit peccata, & in gratiam recipit peccatorem, ut Psal. 31, 2. In Iustitia tua libera me, & Psal. 36, 7. Communica benignitatem tuam scientibus te, & justitiã tuã rectis corde. Ita usurpatur in Psal. 40, 10. Annunciavit justitiã tuã &c. & mox, non celavi misericordiam & veritatem tuam, ubi justitia κατ' ἐξήγησιν exponitur per misericordiã &c. Et hæc aliàs justitia Evãgelica seu imputata dicitur, Phil. 3. Ro. 3. quia satisfit per meritũ Christi legali justitiæ Dei, & hæc Christi satisfactio dicitur nostra justitia, quia per fidem Christi nobis imputatur Ro. 3, 23. De hac justitia scribit Apostolꝰ hoc loco, quod reveletur per Evãgelium: & alibi quod absq; lege mani-

Iustitia Dei quinquè modis usurpatur in scriptura.

manifestata sit per fidem Iesu Christi Rom. 3, 22. ubi mirum sit temperamentum misericordiæ & justitiæ divinæ legalis: justitia legalis exerit se in Christo, qui λύτρον præstitit; Evangelica verò Iustitia seu Misericordia Dei in nobis, qui hoc Christi λύτρον per fidem nobis imputat, qua de re ne verbum quidem extat in lege.

[*Iustitia & Misericordia invicem permutantur, 1. quia justitiæ Dei legali satisfactum est à Christo, qui propterea nostra dicitur justitia. 2. quia Deus promittit credentibus in Christo dare vitam; justum est igitur, ut detur promissum, 2. Thessal. 1.*

QUÆSTIO IX.

Quæ verò est illa fides, per quam revelatur Evangelica Iustitia, & ex qua justus vivere dicitur? v. 17.

Fidei significata præcipua in scriptura.

Resp. Quia vocabulum Fidei planè est Apostolicum, & in hac Epistola sæpius recurrit, hic statim in limine ejus evolvemus præcipua significata. 1. significat doctrinam Evangelij in genere, ut supra ver. 5. ad obediendum fidei, & infra cap. 3. lex fidei vocatur doctrina Evangelij. 2. Christianæ religionis prima capita, quod vulgò dicitur symbolum, ut Hebr. 6, 1. ne rursum jaceamus fundamentum pœnitentiæ & fidei ad DEVM, baptismatum doctrinæ &c. 3. cognitionem mysteriorum divinorum, ut Deus unicuiq; divisit mensuram fidei, id est, cognitionis in rebus sacris Rom. 12, 3. 4. Professionem doctrinæ sonantis in Ecclesia ut sup. v. 8. Fides vestra annunciatur in universo mundo. 5. Fidem miraculorum, ut Matth. 17, 20. Si habueritis fidem, sicut granum sinapi &c. 1. Cor. 13, 2. si habuero omnem fidem &c. 6. Conscientiam per Evangelium

lij doctrinam confirmatam, ut quando D. Paulus dicit in 2. Cor. 1, 24. Non quasi dominemur fidei vestræ. 7. Constantiam & veritatem in dictis & factis, ut Ier. 5, 3. Domine oculi tui respiciunt fidem, & cap. 7, 28. perijt fides & ablata est &c. Hæc significata omnia nihil faciunt ad præsentem locum, sed ea quæ jam sequuntur. Igitur 8. Fides significat primùm notitiã historiæ de Christo & rebus divinis, quæ si sola est, nondum facit ad salutem; Nam & Dæmones fidem habent, sed contremiscũt Iac. 2, 9. deinde assensũ, ita Procõsuli fides tribuitur, id est, assensus corũ, quæ dicebãtur à Paulo Act. 13, 8. 10. tertiò παῤῥησίαν *certamq; fiduciam, quæ Christum, cum omni suo merito amplectitur, ut suum. Et hæc est demum salutaris & justificans, de qua Propheta dicit: Iustus sua fide vivet; & quam Apostolus Paulus, tanquam mendicam manum apprehendentem Dei beneficia, & ex parte nostra unicum instrumentum salutis nostræ in Epistolis suis tantopere urget & commendat.*

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Ea gratulatio omnium optima est, quæ consistit in agnitione beneficiorum Dei, & hinc subsecuta gratiarum actione. Nihil enim quod in genere bonorum est, humanis adscribendum est viribus, sed ei, qui solus bonus est Matth. 19. juxta illud, non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam, Psal. 115.*

2. *Natura fidei justificantis est, non tantùm nosse Deum in genere, sed & in specie, nosse Deum esse* meum, *h. e. Patrem, Redemptorem & sanctificatorem meum. Nam applicatio meriti Christi & beneficiorum hinc dependentium est quasi anima fidei: exemplo Pauli Gal. 2, 20. & Thomæ Ioh. 20, 28.*

3. Professio veræ fidei facilè omnes mundi angulos pervolat, ideo comparatur lucernæ super candelabrum positæ, & illuminanti qui in domo sunt, Matth. 5, 16. item fulguri penetranti uno momento ab oriente versus occidentem, Matth. 24, 27. Non igitur existimemus prædicationem Evangelij universalem esse impossibilem, aut fidem nostram latere semper posse in abscondito.

4. Iuramentum est species invocationis, quia Deus invocatur in testimonium, ut vel opituletur rectè juranti, vel puniat peierantem. Unde sequitur, neq; temerè jurandum, ne judicium Dei nobis acceleremus; neq; juramenta penitiùs repudianda, ne testimonium ipsius Dei contemnere videamur.

5. Spiritualis nostra servitus, qua Deo sumus obstricti, duobus quasi cruribus ingreditur, veritate fidei, & sinceritate animi. Illud est servire Deo in Evangelio filij sui, hoc, servire Deo in Spiritu: illud excludit omnem hæresin: hoc hypocrisin. Unde est illud Syracidæ: væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs Syr. cap. 2. Servite Deo in timore &c. & illud Apostoli, nolite jugum trahere cum infidelibus. 2. Cor. 6, 14.

6. Orandum est pro communi piorum salute: ideò formula precum à Christo præscripta, non tantum unum in specie, sed aliorum quoque necessitates in communi complectitur: talis etiam intercessio mutua specialem promissionem exauditionis habet, Matth. 18, 19. & hoc est alterius onera portare, Galat. 6.

7. Nihil faciendum est absq; conditione voluntatis divinæ, præsertim in temporalibus: habemus hîc exemplum Apostoli Pauli v. 10. & alibi exemplum leprosi Matth. 8, 2. & præceptum Apostoli Jacobi cap. 4, 13.

8. Ex mutua collatione sententiarum fit confirmatio fidei: qua

qui sanè fructus disputationum Theologicarum inter cæteros, non est postremus. Verißimum enim est illud Nazianzeni: Veritas Logicis disputationibus trita in lucem profertur, & ut lapidum conflictu attrituq; ignis, ita inventis argumentis exploratisq; verum elicitur, & veluti exprimitur.

9. Conversatio doctoris & auditorum utrinq; facit ad ædificationem: Auditoribus ad confirmationem fidei; doctori ad confirmationem laboris in Domino suscepti: hoc enim Apostolus v. 12. consolationem suam nominat. Hinc est exhortatio Apostoli ad auditores 1. Cor. 15, 58. abundate in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non sit inanis in Domino.

10. Ministri verbi officium suum non pro arbitrio suo faciunt, sed ex debito: ideo Apostolus Paulus debitorem se vocat v. 14. & alibi necessitatem sibi scribit incumbere, ut evangelizet 1. Cor. 9, 16. unde maledictus vocatur, qui opus Domini facit fraudulenter, Jerem. 48.

11. Absit à ministerio verbi προσωποληψία: *ibi enim non est distinctio, neq; in docendo, neque in consolando, neque in corripiendo. Omnes enim vocati sunt in una spe vocationis, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium Eph. 4.*

12. Doctrina Evangelij vulgò contemtim habetur, unde Apostolus Paulus eam alibi scribit esse stultitiam 1. Corinth. 1. Coram Deo tamen magnum habet pondus, tanquam ordinarium medium salutis nostræ, ideoq; tanquam verbum ipsius Dei operantis in nobis excipiendum esset, exemplo Thessalonicensium, 1. Thess. 2, 13.

13. *Professionis Evangelicæ neminem pudere debet: ideò Christus Salvator noster dicit Matth.10,32. omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre, qui in cœlis est, &c.*

14. *Sapientia humana est stultitia divina, & contra: ideò Evangelium vulgò contemnitur in mundo, quod tamen coram Deo omnes mundi thesauros superat, usq; adeò cogitationes hominum non sunt cogitationes Dei Esa.55. Si quis ergò videtur sibi sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens 1.Cor.3, 18.*

15. *Evangelium non est concio pœnitentiæ, quia salutem annunciat, pœnitentia verò propriè loquendo consternationem efficit.*

16. *Salus æterna absque fide nulla est. Unde rectè concludimus: Ubi fides ibi salus, & contra: hinc de credentibus scribitur, quòd jam sint filij Dei 1.Ioh.3,2.*

17. *Evangelium in sese semper habet virtutem operandi salutem: non tamen actu eam operatur in omnibus, sed tãtum in credentibus: cæteris fit odor mortis ad mortem. 2.Cor.21,6.*

18. *Salus omnium hominum æqualiter dependet à Deo: attamen ratione ordinis præmittit ipse, quos vult: ita olim Iudæi primi erant; hodie gentiles, juxta illud Christi: erunt novissimi primi, & primi novissimi, Matth.20,16.*

19. *Discrimen Legis & Evangelij in eo potissimum consistit, quod illa justitiam operum urget, hoc justitiam fidei requirit: illa nihil de fide: hoc nihil habet de operibus: illa revelat, hoc tegit & tollit peccata.*

20. *Anima sanctorum fides est: hæc enim ipsorum vita est: fides autem vitam animamq; suam à Christo habet, non ab operibus: hæc enim de fide duntaxat testantur, ut respiratio de vitâ Iacob.2,26.*

PARS

PARS TERTIA.

TEXTUS.

Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ, ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων.

Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε.

Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους.

Διότι γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν· ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία.

Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν.

Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ, ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν.

Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς.

Revelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem in injuſtitia detinent.

19. Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit.

20. Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ut ſint inexcuſabiles.

21. Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum.

22. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.

23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & ſerpentium.

24. Propter quod tradidit illos Deus in deſiderio cordis eorum in immunditiem, ut contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis.

Οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν.

25. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui est benedictus in secula, Amen.

Διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας. αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν.

26. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: nam fæminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum, qui est contra naturam.

Ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄρρενες ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλους, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι, καὶ τὴν ἀντιμισθίαν ἣν ἔδει τῆς πλάνης αὐτῶν, ἐν ἑαυτοῖς ἀπολαμβάνοντες.

27 Similiter aũt & masculi relicto naturali usu, exarserũt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris sui semetipsis recipientes.

Καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα.

28. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non cõveniũt,

Πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ. μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος, δόλου, κακοηθείας, ψιθυριστάς.

29. Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia; plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate.

Καταλάλους, θεοστυγεῖς, ὑβριστάς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κακῶν, γονεῦσιν ἀπειθεῖς.

30. Susurrones, detractatores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos elatos, inventores malorũ, parentibus non obediẽtes.

Ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας.

31. Insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.

Οἵτινες

Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες (ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν) οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι.

32. Qui cum justitiam Dei cognovissent non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solũ qui ea faciunt, sed etiã qui cõsentiũt faciẽtibus.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Hic demum principalem Epistolæ partem aggreditur Apostolus de Iustitia hominis peccatoris coram Deo: quod thema hac in parte capitis ἀνασκευαστικῶς *tractare incipit. Ostensurus enim hominem justificari fide, probat prius, eum non justificari operibus: hæc enim duo in hoc negotio semper opponit immediatè. Cum autem suprà, universum mundum in duos hominum ordines distribuisset, quorum quosdam Judæos vocavit, quosdam Græcos seu gentiles: jam de gentilium operibus primo loco agit, hoc est, de ijs, quæcunque ex lumine naturæ benè & prudenter agere potuerunt. Ex his autem operibus, id est, ex lege naturali, justitiam non esse, deinceps probat, usque ad finem capitis. Probatio petitura à contrario. Nam summa fuit in operibus gentilium injustitia. Ergo nullam habuerunt in eis justitiam. Injustitiam illam ostendit ex effectu, quia proritavit* iram Dei de cœlo, *hoc est, pœnas justissimas promeruit cœlitus, & ex singulari Dei gubernatione inflictas, non casu obvenientes (ira enim Dei hoc loco pro indignatione Dei & justissima vindicta accipitur, qua punivit præcedentia delicta) quas pœnas* revelatas esse *scribit, hoc est, pulchrè multorum exemplis declaratas, qui in peccatis suis miserè perierunt. Constituit autem illius injustitiæ duas species,* 1. ἀσέβειαν, 2. ἀδικίαν, *impietatem & injuriam: illa complectitur profanitatem seu peccata prima*

prima tabulæ; hæc tabulæ secundæ peccata, seu violationem sui & proximi. Ἀσέβειαν *gentilium perstringit usque ad v. 24. in qua duo potissimum reprehendit, notitiarum naturalium abusum v. 18. & abusus istius modos diversos v. 21. Prius illud ita describit; quod* veritatem Dei in injustitia detineant, *h.e. quod notitijs illis ex lapsu in homine residuis scientes volentes abutantur in ignominiam Dei & detrimentum proximi. Nam* ἀλήθεια *seu veritas hoc loco significat notitias naturales, seu veros conceptus naturæ notos & ex principijs naturæ deductos, de Deo colendo & proximo diligendo, quòd aliàs lumen naturæ nominant: has notitias detinere dicuntur in injustitia, quando neq; Deum colunt, neque proximum diligunt, ut quidem faciendum fuisse ipsimet intelligunt, sed datis illis à Deo bonis ad proprias voluntates & voluptates injustè abutuntur, quemadmodum D. Paulus jam ipsemet explicabit. Nam quod paulò antè veritatem Dei appellabat, jam vocat* γνωστὸν θεοῦ, *id quod de Deo cognosci potest, nimirum ex lumine naturæ, quod deinde ad potentiam & divinitatem restringit. v. seq. Illud verò* γνωστὸν θεοῦ *gentiles habere scribit* ex manifestatione Dei. *Ne enim obijci posset, quomodo gentiles detinere potuerunt veritatem Dei, cum eam ignorarint, respondet Apostolus, non ignorarunt, sed* Deus illis eam manifestavit. *Non autem loquitur de revelatione scripturæ, sed naturæ: illa enim tantùm ad cives Ecclesiæ, hæc etiam ad exteros pertinet; & est duplex, una* σύμφυτος *& innata; altera* ἐπίκτητος *adquisita, quæ ex effectibus & operibus Dei colligitur: illa vocatur liber naturæ, hæc, liber Creaturæ. De priore specie agit, quando non simpliciter dicit, manifestatum esse eis, sed* ἐν αὐτοῖς, *IN EIS, notans corda ipsorum, quibus illæ de Deo notitiæ sunt naturaliter inscriptæ in prima creatione, quemadmodum infra, opus Legis in cordibus*

Quid sit veritas Dei?

Quomodo facta manifestatio?

bus

bus scriptum esse ait Rom.2,15. & hæc inscriptio insita complectitur naturales illas ἔννοιας, esse Deum, esse Deum puram mentem, esse purâ mente colendum, esse discrimen honestorum & turpium &c. De posteriore loquitur v. 20, ubi scribit, invisibilia Dei, quæ ex rebus creatis intelliguntur, conspici ex creatione mundi. *Etsi enim Deum nemo vidit: tamen sui aliquam imaginem quasi disposuit in creaturis, ex quibus elucescit, ipsum & potentissimum & divinissimum Ens esse: adhæc enim duo restringit Apostolus τὸ γνωστὸν θεοῦ in Ethnicis, ad δύναμιν ejus & θειότητα. Nam ex ipsa fabrica mundi colligere potuerunt, Deum esse potentissimum: ex ordine, quo singula sunt disposita in usum hominum, colligere potuerunt, ipsum esse summè bonum, qui divinâ planè curâ prosequatur genus humanum, eiq; omnibus in rebus apprimè consuluerit: in eo enim divinam majestatem consistere sciebant, ut omnibus benefaciat. Finis istius manifestationis additur,* ut sint inexcusabiles. *Deus enim illis ipsis residuis notitiys de Deo convincere voluit Ethnicos, se non esse damnationis ipsorum causam, quasi illis nullam occasionem reliquerit agnoscendi Deum. Ideò enim residuæ sunt illæ post lapsum notitiæ, ut ijs quasi manu ducantur ad quærendum & colendum Deum: sed dum pravitas mentis humanæ notitiys illis non insistit, pravas opiniones de Deo sibi spontè fingit, & ad ductum rectæ rationis vitam suam non instituit: hinc fit, quod jam homo suapte spontè in errorem labitur, suoq; proprio condemnatur judicio, quia bonis illis Dei in natura residuis malè usus fuit; quibus multò melius utendum fuisse intelligebat. Est ergo hic finis revelationis naturalis accidentarius: primarius autem ille est, ut homo hoc pacto excitetur, ad quærendum Deum, de quo Apostolus noster alibi agit Actor.17,27. Et hactenus de priore parte eorum, quæ de ἀσεβείᾳ Ethnicorum prædicavit Apostolus.*

Quomodo gentes veritatem Dei detinuerint in injustitia?

Posterius concernit varios abusus notitiarum, ubi distinctim docetur, quomodo gentiles veritatem Dei detinuerint in injustitiâ. Id factum est. 1. κατὰ στέρησιν τῆς ἀπολογίας, *ut Chrysostomus loquitur, Deum enim non ut Deum glorificaverunt, sicut divinam & omnipotentem illam majestatem coli decebat: sed quidquid sacrorum Deo offerre visi sunt, non Deo obtulerunt, sed Diabolis: gentium enim Dij sunt Dæmonia Psal. 96, 5. neq; omnis boni fontem atq; largitorem ipsum agnoverunt aut deprædicarunt, sed bonam partem eventuum suorum fortunæ aut casui, siderum virtuti, proprijs viribus, genijs bonis aut malis acceptum retulerunt.* 2. *Factum id est* κατὰ ματαίωσιν τῶν διαλογισμῶν *juxta stultitiam cogitationum humanarum. Cum enim omnem sapientiam suam divinitus concessam ad promovendam Dei gloriam adhibere debuissent: ipsi* evanuerunt in cogitationibus suis. *Quicquid enim ipsi excogitarunt, id rectæ rationis dictamini & externis de Deitate testimonijs opposuerunt, existimantes, vel Deum nullum esse, vel plures, vel unum, sed rerum humanarum curam non agentem: quæ omnia corrigere potuissent, si non suis saltem speculationibus indulsissent, sed partim internum rationis suæ testimonium, partim externum creationis opificium consulere voluissent. Igitur* διαλογισμοὶ *ipsorum seu disputationes etiam optimæ* vanæ *fuerunt, vel quia circa res vanas atq; ludicras occupatæ, nam pro vero Deo larvas deorum multiplicium sibi effinxerunt; vel quia finem suum non impetrarunt, dum oracula sua consuluerunt, & ambigua accepêre responsa: numina placare voluerunt, & Deum magis magisq; irritaverunt: summum bonum quæsiverunt, & de eo ultrò citroq; disputarũt, & in summis infortunijs semetipsos subinde involverunt. Atq; in hoc genere non tantum vulgi opiniones, sed & sapientissimorum hominum studia arguit:* Dicentes enim

se esse

se esse sapientes, *inquit*, stulti facti sunt: *h.e. licet* σόφοι *&* φιλόσοφοι *appellati fuerint, licet etiam multa coram mundo sapienter & prudenter egerint: attamen in rebus divinis stolidissimè impegerunt, ut, quod Socrates vir sapientissimus moriturus Æsculapio offerri jubet Gallinaceum, quod Plato Delphium Dæmonem paternum Græciæ interpretem appellat, & divinis laudibus libenter celebrat: quod item Plato, cum in Timæo multa bona de Deo dixisset, tandem in fine doctrinam suam commaculat eo pronunciato, quo censuit, etiam Dijs, quos gentes coluerant, fidem haberi & Divinum cultum atque honorem propter legum observantiam exhiberi oportere: quod Cicero magna animi devotione Floralia celebravit, mysteria nimirum impudentiæ incestuumq; plena &c. Ita sapientissimorum hominum sapientia sibi relicta, mutata est in stultitiam. 3. deniq; facta est illa veritatis detentio κατ' ἰδωλολατρείαν, quam v. 23. allegat, tanquam memorabile exemplum stultitiæ gentilium, alludens ad locum Ierem. cap. 10, 8. omnes insipientes & fatui probantur, quia doctrina vanitatis eorum lignum est &c. Ita v. scribit Apostolus de Idololatria gentilium:* mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucris, & quadrupedum, & serpentum. *Gloria veri Dei in eo potissimùm consistit, partim quod nihil simile extra se habet, sed simplicissimum Ens est; partim quod neque principium neque finem habet, atque sic mortalitati non est obnoxius, utriusq; respectu Iehovah appellatur. Hanc ergo DEI gloriam mutarunt Ethnici, quando divinitatem tribuerunt creaturis extra Deum, & Deos immortales appellarunt mortales creaturas, non tantum hominum, sed & vilissimorum animantium, quin & lapidum & lignorum,*

Vide Eusebium lib. 13. de præparat. Evangel. cap. 8. & 11.

quo in genere stultitiam hominum passim in scriptura Dei ridet Spiritus sanctus Psal. 106, 20. 115. Esa. 44. Jerem. 10. Sap. 13.

[*Gloriam Dei mutaverunt*] 1. *non quoad Deum, sed quoad se. 2. non in veritate, sed sua opinione. 3. non faciendo in Deo Mutationem, sed in suo cerebro aberrationem.*]

Idololatriæ variæ species: de quibus vide Cyprianum lib. de vanitate idolorum.

Crassa hæc est idololatriæ species, qua homines mortales pro Diis immortalibus fuerunt habiti & honorati, quemadmodum de Ægyptiorum Æsculapio & Mercurio testatur Augustinus lib. 8. civ. Dei cap. 33. *de Græcorum Apolline & Pythiâ* Herodotus lib. 2. *de Romanorum Jove, Saturno, Mercurio, Cerere, Vesta, Diana, & cæteris deastris Hesiodus &* Augustinus lib. 7. de civ. Dei cap. 14. *multò crassior est Idolomania, qua bestiæ, feles, canes, accipitres, Lupi, Crocodili, boves, hirci, divinis cultibus fuere honorati, quod Ægyptiis inprimis familiare fuit. Subtilior est idololatria, qua in imagine hominum, vitulorũ, Draconum & aliarum creaturarum verus Deus repræsentatus fuit, qualis fuit in populo Israelitico Idololatria Baalitarum, 2. Reg. 17. cultus vitulorum, 1. Reg. 12. & c. de quibus Psal. 106, 19. Ier. 2, 8. Ezech. 16. & passim alibi in scriptura. Coincidit cum hac Idololatriæ specie cultus Papisticus, quem exhibent statuis & reliquiis sanctorum, quas venerandas esse scribunt, non tantum per accidens, vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solùm ut vicem gerunt exemplaris; quæ sunt verba* Bellarmini lib. 2. de sanct. imag. cap. 21. *cum quo consentit* Costerus in Enchirid. p. 458. *Non alius in imagine honoratur, quàm ipsum πρωτότυπον. Ex quo non obscurè sequitur, omnem honorem, qui prototypo debetur, etiam exhiberi imagini ipsi. Sed hoc ipsum est gloriam Dei incorruptibilem mutare & creaturæ tribuere. Et ita impietatem*

tem gentilium carpere, cosq; in prima Decalogi Tabula reos esse ostendere voluit Apostolus.

Iam pergit ad secundam Tabulam, quæ dilectionem proximi complectitur, in quâ ἀδικίαν Ethnicorum reprehendit, h. e. injuriam illam, quam sibÿpsis & alÿs intulerunt. Primùm de ÿs peccatis agit, quæ gentiles commiserunt in seipsos v. 24. propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. *Particula διὸ notat, idololatriam esse omnium scelerum fontem, & facinora hominis idololatræ in se & alios commissa, esse antecedentes idololatriæ pœnas. Ideò dicit, Deum eos tradidisse in desideria cordis, non αἰτιολογικῶς, sed ἐκβατικῶς, id est, non ut causa istorum scelerum efficiens, sed ut justus Iudex peccata peccatis puniens, & Idololatris gratiam suam detrahendo cupiditatibus seu libidinibus suis permittens. Nominat autem peccata in semetipsos commissa ἀκαθαρσίαν fœdationem seu impuritatem, qua se suaq; corpora contaminarunt, ex justo Dei judicio & lege talionis, quam mox seq. v. 25. repetit. Nam quod antè dixerat, mutare gloriam Dei incorruptibilis, id jam alÿs duabus phrasibus exprimit, quando dicit,* eos mutare veritatem Dei in mendacium, *h. e. falso cultu Deum verum venerari. 2.* ipsos colere & servire creaturæ potiùs, quàm creatori Deo benedicto in secula. *Rectè ergò factum, quod, qui Deum sua spoliarunt gloria, ipsi quoque in proprio suo corpore pleni fiant turpitudine & ignominiâ. Turpitudinem illam appellabat. 1. generali vocabulo πάθη ἀτιμίας,* passiones ignominiæ: *talia enim passi sunt in semetipsis, à quibus & oculi & aures castorum hominum abhorrent. 2. Specialius exprimit, quid per illa πάθη intelligat,* Sodomiam, *& nefariam illam Venerem, qua fœminæ præpostero usu se substituerunt*

Deus quomodo tradat homines in desideria cordis.

maribus, & mares relicto naturali usu fœminæ exarserunt in se invicem, cujus propudiosæ libidinis exemplum suppeditat Suetonius in Nerone suo cap. 28 & 29. & Catullus in Thallo & Hypsitbilla sua &c. Et hanc impuritatem vocat mercedem Idololatriæ, quam in seipsis receperint. *Hoc enim pacto Deus iram suam ostendit in impijs istis hominibus, ut, quia* non probaverunt Deum habere in notitia, *ut loquitur v. 28, h.e. quia notitias illas de Deo sibi ingenitas neglexerunt, & pro libidine cogitationum suarum alia de Deo sibi commenti sunt, quàm recta dictabat ratio; ideo Deus gravius eos punire in hac vita non potuit, quàm ut talia tamq; nefanda in seipsis perpetrarent, à quibus natura pecudum & animantium omnium abhorret. Et hactenus de sceleribus, quibus in seipsos facti sunt injurij.*

Iam usq; ad finem Cap. perstringit facinora, quibus alijs fecerunt injuriam. Et quemadmodum in præcedentibus Deum ut justum Judicem introduxit, tradentem eos Satanæ, sceleribus illis fœdissimis excarnificandos: ita nunc facit, dicens, Deum eos tradidisse in sensum reprobum, ut facerent, quæ non conveniunt, v. 28 *νοῦν ἀδόκιμον vocat, mentem hominis ita corruptam, ut nihil recti neq; sentire, neq; probare possit, sed cœco quasi impetu fertur in ea, quæ neq; lege naturæ, neq; jure gentium patrare licebat. Ea verò quæ in proximum peccabant, generali vocabulo vocat πᾶσαν ἀδικίαν omnem iniquitatem, qua oppletos esse dicit, notans, eos adversus omnia secundæ tabulæ præcepta nefariè egisse.* 1. scortatione, *qua aliorum quoq; pudicitiam temerarunt, sicut impuritate Sodomitica suam.* 2. Improbitate *(πονηρίᾳ) seu versutia, qua insidiosè alios circumveniunt.* 3. Avaritia, *qua bonis proximi inhiant.* 4. Nequitia, *qua data opera malè agunt, & omittendo facienda, & committendo omittenda: κακία enim*

simpli-

simpliciter τῇ ἀρετῇ opponitur. 5. Invidiâ, *quâ de felicitate proximi dolent.* 6. Cædibus, *contentionibus, dolis, quibus omnibus vitæ proximi insidiantur. His addit prolixum catalogum aliorum delictorum v. 30 & 31. quibus non tantùm externa scelera verbis factisq́; commissa comprehendit; ut sunt* detractio, obtrectatio, calumnia, inanis jactantia, inobedientia, perjurium *&c. verùm etiam interiores cordis affectus, ut sunt*, odium, despectus proximi, ἀστοργίαι *&c. De quibus omnibus tandem generalem attexit conclusionem, quod cum gentiles ex lege naturæ & propriæ conscientiæ dictamine edocti sciant τὸ δικαίωμα θεοῦ, h.e. judiciariam Dei potestatem, quæ cuiq́; tribuit secundum opera sua, facilè colligere poterant, talia scelera esse morte digna, ipsi tamen non tantùm ea faciunt, sed & facientibus consentiunt, & in Rebuspubl. suis impunita relinquunt, quod est peccatum peccato augere, seq́; alienorum & scelerum & pœnarum facere consortem. Hoc ergo pacto generalis sui syllogismi majorem propositionem, ejusq́; partem priorem satis apertè demonstravit, nimirum gentiles nequaquam ex operibus suis justos esse; quò tota hæc tractatio de gentilium impietate & injustitia pertinet.*

Paraphrasis hujus partis.

QUum justus fide sua vivere dicitur, scitote, omnem justificandi vim derogari operibus hominum; quod ut vobis ordine probem, videte mihi gentilium nondum renatorum cœtum. In ijs enim nihil est, quod Deo placere potuit, sed maxima impietas & profanitas in cultu divino, summa etiam iniquitas & injuria in conversatione proximi, unde ira Dei justissima & vindicta singu-

ſingulari zelo cœlitus, & q. ab ipsâ Dei dextrâ inflicta in ipſos exarſit. Nam quod impietatem pariter & profanitatem ipſorum attinet; non quidem ipſis ignotum eſſe potuit, eſſe Deum, eumq; tanquam ſummum illud & æternum Ens, à quo cætera dependent omnia, ſummæ potentiæ & divinæ ſolùm majeſtatis eſſe. Deus enim hanc ſuam & divinitatem & omnipotentiam eis revelavit, partim in primâ creatione, in notitijs de Deo, rebusq; divinis etiam poſt lapſum jam reſiduis: partim in opere creationis, in quo & cœli enarrant gloriam Dei, præſentemq; refert quælibet herba Deum; ita ut ignorantiam planè nullam prætexere poſſint: ipſi verò licet ſcirent, eſſe Deum, neq; ad ejus gloriam omnia ſua ſtudia contulerunt, ſed lumen illud rationis & præclarum ſpeculum in creaturis nobis propoſitum obfuſcare & tantum non extinguere conati fuerunt, evanidis ſuis diſputationibus & imaginationibus de Deo rebusq; divinis, quibus ſuam mundo probaverunt non ſapientiam, ſed puerilem fatuitatem, homines alioquin ſapientiſſimi: quin & ipſo facto ſuã oſtenderunt ſtultitiã in eo, quod loco Dei immortalis, plures conſtituere ipſi Deos revera mortales non modò ex nobiliori creatura hominum, quos qualitercunque benè de alijs meritos per ἀποθέωσιν ſuam in numerum deorum retulerunt, verùm etiam ex grege ignobiliſſimarum creaturarum, volatilium & reptilium; quas omnes & ſacrificijs & adorationis cultu religiosè venerati ſunt, atque ſic contra mentem & conſcientiam ſe & impios & profanos ſatis ſuperq; probaverunt. Iniquitatem ipſorum, quod attinet, ſubſecuta ea eſt quàm plurimis modis idololatriam ipſorum, quam Deus hoc pacto juſtiſſimè vindicare

care voluit, ut, qui fingentes ſibi Deos alienos, Deum verum ignominiæ expoſuerunt, jam viciſſim polluentes ſua corpora propriam ſuam tupitudinem alijs ludibrio exponerent. Nam non contenti naturali venere, Sodomiticis inſuper congreſſibus, præter naturæ ordinem, & contra omnium animantium conſuetudinem corpora ſua fœdiſſimè polluerũt, toti in ſemetipſis obbruteſcentes, & neque Deum vindicem ſcelerum, neq; proprium, quem gerebant ſub pectore teſtem, metuentes. Præterea quemadmodum in ſeipſos hac ratione facti ſunt injurij: ita in alios quoque fuerunt ſummè iniqui: alienam pudicitiam per vim & fraudem violantes, ſua proximo bona invidentes, vitæ & fortunis aliorum doloſè inſidiantes; alienæ famæ detrectatores, ſuæ iactatores, nullo metu Dei, nullo timore parentum, abſque omni effectu pietatis, abſque ullo ſenſu miſericordiæ beſtialem prorſus vitam agentes. Quis ergò talibus juſtitiæ laudem tribuat? quinimò cum ſapientiſſimi quiq; inter hos ſciant, talia facinora graviſſima mereri ſupplicia, & tamen ad ea connivent: eo ipſo gravius Dei judicium ſibi ſuiſq; accelerant: tantùm abeſt, ut quis ex gentilium vita moribuſq; juſtitiam & ſalutem æternam ſperare poſſit.

Quæſtiones ex hac parte.

QUÆSTIO I.

Scribit Apoſtolus Paulus, revelari iram Dei de cœlo: quæritur ergo, num illa revela- An Evangelium revelet iram Dei,

tio fiat in Evangelio, quemadmodum superiore versiculo dixit, Iustitiam Dei in eo revelari?

Resp. Ita quidem docet Bellarminus lib. 4. de Iustif. cap. 2. *ubi scribit, Apostolum hoc loco Evangelio tribuere officium terrendi: revelari enim ait justitiam ex fide in Evangelio, ut justificati evadant iram Dei, quam idem Evangeliũ omnibus impijs imminere testatur. Idem habet* Pererius disp. 10. in cap. 1. Epist. ad Rom. *ubi probare conatur, Evangelium revelare iram Dei super omnes peccatores, his rationibus, 1. quia in doctrina Evangelica & Apostolica agitur de futura post hanc vitam æterna punitione, & quod Christus venturus sit ad judicandum omnes homines &c. 2. quia in Evangelio monentur homines, ut agant pœnitentiam peccatorum suorum. 3. quia prædicatio iræ Dei post hanc vitam maximè in die extremi judicij apparebit. 4. quia ira solùm temporaria & corporalibus ac temporaneis pœnis castigans peccatores declaratur in Veteri Testamento: illa verò, quæ revelatur in Evangelio, est ira sempiterna, per quam peccatores post hanc vitam æternis torquentur cruciatibus, & hujus prædicatio propria est N. Testamenti. Ita Pererius. Nec magnopere dissentit ab his Pontificiæ doctrinæ flosculis Paræus in comment. super hunc locum pag. 88. ubi sic scribit:* Nihil videtur prohibere, quo minus revelationem iræ æquè ac revelationem justitiæ ad Evangelium referamus. Est enim utraque vox Evangelij, una justificans credentes, altera damnans incredulos, sicut contrariorum eadem dicitur disciplina: *& huc accommodat dictum Christi Ioh. 3. 36. qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam; qui non credit, super eo manet*

Argumenta Pererij, quod ira Dei in Evangelio reveletur.

Paræus Pererio ὁμόψηφος

ira Dei, qui non credit in filium Dei unigenitum. Hæc illi; quæ si vera sunt; jam uno conatu præcipuum discrimen Legis & Evangelij sublatum est. Legis enim proprium est, revelare iram Dei: Evangelij, ostendere gratiam, misericordiamq́; Dei. Lex ostendit, arguit & damnat peccatum, quod promeretur iram Dei: Evangelium consulit peccato prædicatione de Christo, Sacramento Baptismi, Sacramento Cœnæ, & Potestate clavium, inquit Lutherus part. 3. art. Smalcald. art. 4. *Quin & iram Dei revelare nihil aliud est, quàm maledictionem annunciare peccatoribus; hoc verò non est Evangelij, sed legis Deut. 27, 20. hinc lex dicitur iram operari, Rom. 4, 14. Evangelium autem vocatur potentia Dei ad salutem sup. v. 16. Neq; juvat Paræum, quod distinguit inter munus Evangelij proprium & accidentarium. Accidentarium esse dicit, revelare iram Dei, quia hoc mutuetur ex lege: legem enim in thesi damnare infidelitatem omnem: Evangelium in hypothesi infidelitatem in Christum. Hæc absq; omni fundamento dicuntur. Nam legis proprium est, in quarto modo, inquit Lutherus contra Antinomos, accusare & condemnare. Evangelium autem propriè est lætum nuncium Esa, 52, 7. 61. 2. Luc. 2. Igitur infidelitas sive in thesi sive in hypothesi considerata à lege arguitur, prohibetur & damnatur, tanquam peccatum contra primum præceptum Decalogi: unde peccatum in genere ἀνομία definitur, 1. Iohan. 3, 4. hoc est legis transgreßio, ut Divus* Augustinus *verba Sancti Johannis reddidit* libr. 2. de consensu Evang. cap. 4. *Sive illa transgreßio sit impietas, sive iniquitas, hoc est, sive contra primam, sive secundam tabulam delinquatur. Etiamsi Spiritus sanctus dicatur mundum arguere de infidelitate in Christum, Johan. 16: hoc tamen non facit voce Evangelij, sed voce legis. Quemadmodum enim fides in Christum primi præcepti*

Refutatio istius dogmatis.

Infidelitas arguitur in Lege, non in Evangelio.

virtutis est: ita infidelitas primi præcepti vitium, ac proinde ex eo quoq; redarguendum: & hac ratione contrariorum eadem est disciplina, licet correlatum, in quod & fides, & infidelitas fertur, non ad legem spectet, sed Evangelium. Alius sanè fons salutis est, alius damnationis: salus est ex Evangelio, dicente Paulo nostro: justitia revelatur in Evangelio; damnatio autem ex lege Rom.3,20. 5,13. non enim data est lex, quæ posßit vivificare Gal.3,21. Objectiones Pererij partim manifesta falsitate, partim ambiguitate laborant.

Responsio ad argumenta.

Falsitas hæc est, quod scribit Iesuita, prædicationem iræ sempiternæ propriam esse Novo Testamento seu doctrinæ Evangelicæ. Nam maledictio illa legis Deut.27. quæ veteris Testamenti propria est in quarto modo, non tantum temporales, sed æternas pœnas complectitur: quemadmodum enim vita promissa servantibus legem non tantùm temporalis, sed æterna est: ita & mors & maledictio legis æternas pœnas complectitur. Taceo quod supplicia peccatorum in Veteri Testamento non semper fuère temporalia, sed æterna sæpißimè, quale erat excidium Sodomorum, interitus Pharaonis, descensus ad inferos Abirami, Dathani, Choræ atq; complicum Num. 16. & infinita alia. 2. Ambiguitas est in voce Evangelij, quæ sæpè totum ministerium significat, complectens legem & Evangelium propriè sic dictum: atque sic in Evangelio, id est, in ministerio moventur homines, ut agant pœnitentiam, sed voce legis. Totum autem ministerium ad Novum Testamentum pertinet, unde mirum non est, Christum & Apostolos interdum arguere peccata, annunciare damnationem ac iram Dei, terrere atque increpare contumaces, sed omnia hæc fiunt voce legis.

Regula Lutheri aurea.

Hinc est aurea illa regula B. Lutheri disp. 2. cont. Antinom. & in comment. super cap. 1. Epist. ad Galat. Quicquid ostendit peccatum, iram seu mortem, id exercet officium Legis, sive id fiat in Veteri sive

in Novo

in Novo Testamento: & quandocunq; prædicatur gratia Dei & remißio peccatorum per Iesum Christum, tunc verè Evangelium prædicatur. Manet igitur hoc indubitatum, revelationem iræ Dei non in Evangelio, sed Lege fieri. Nam ira Dei est vindicta seu pœna peccatoribus inflicta. Iam igitur, ad quam ministerij partem referuntur peccata, ad illam quoq; pœnæ peccatorum. Ad legem, non ad Evangelium referuntur peccata, Ergo &c. ""

[*Discrimen legis & Evangelij ex his notis conspicitur quasi in compendio. Lex est 1. ministerium mortis 2. Cor. 3, 7. 2. operatur iram & maledictionem Rom. 4, 15. 3. non est ex fide in Christum Gal. 3, 12. 4. ex lege non est hæreditas.*

Evangelium vicißim. 1. est lætum nuncium. 2. est ex fide Christi. 3. est revelatio justitiæ Dei Rom. 1. 4. est promissio ex qua hæreditas Gal. 3. 5. est promißio vitæ in Christo. 2. Tim. 1. 6. est revelatio fidei Galat. 3, 23.]

QUÆSTIO II.

Cum ira sit quædam perturbatio mentis, quæritur, quomodo ira tribuatur Deo, de quo tamen scriptum est, quod omnia in tranquillitate judicet? Sap. cap. 12, 18 & aliàs ira inter opera carnis refertur Gal. 5.

Resp. Verißima est Regula Cyrilli libr. 11. thes. cap. 1. in Deum non cadunt accidentia, *cum ergò adfectus sint in numero accidentium, propriè Deo tribui non possunt, sed κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν Deus irasci & pœnitere, misereri & reminisci dicitur. In homine autem ira, sed non nisi inordinata, hoc est, vel à persona privata, vel non debito more modoq; usurpata, est opus carnis, quia est perturbatio mentis contra dilectionem* (margin: Deus quomodo dicatur irasci, pœnitere, misereri, &c.)

proximi, lædens conscientiam; de qua scriptum est Iac. 1. Ira viri Iustitiam Dei non operatur. Ira Dei autem non est perturbatio animi ejus, sed judicium, quo irrogantur pœnæ peccatis, inquit August. lib. 15. de civit. Dei cap. 25. *& non cadit in Deum judicem perturbatio, scribit sup. Psal. 6. sed quod in ejus ministris fit, quia per leges ejus fit, ira ejus dicitur. Cum ergò Deus punit peccata, ira Dei venire dicitur super filios hominum Ephes. 5, 6. cum per administros Iustitiæ suæ peccata hominum vindicat, iram & indignationem immittere dicitur Psal. 78, 49.*

[*Ira Dei significat. 1. displicentiam peccati Psal. 2. loquetur in ira. 2. pœnam peccati Rom. 3. Ephes. 5. venit ira Dei in filios hominum. 3. ministros pœnarum Psal. 78. immisit in eos iram & indignationem.*]

QUÆSTIO III.

Apostolus noster hoc loco fatetur, τὸ γνωστὸν θεοῦ gentilibus fuisse notum: cur ergo alibi scribit, mundum per suam sapientiam non cognovisse Deum 1. Cor. 1, 21. cum quo consentit D. Iohannes, qui attestatur, mundum non agnovisse λόγον Ioh. 1, 10? & 1 Thessal. 4, 5 die Heiden die von Gott nichts wissen.

Resp. Duplex est horum locorum conciliatio. Una respectu subjecti. Nam cum Apostolus de mundo loquitur, vulgus Ethnicorum intelligit, quod de uno Deo parum scivit: cum autem τὸ γνωστὸν θεοῦ etiam gentilibus manifestatum scribit, Philosophos intelligit, qui ex operibus mundi & serie causarum

agno-

agnoverunt etiam aliquod supremum Ens, à quo cætera omnia dependeant: Quam suam notitiam cum vulgo communicare, aliisq; de Deo ipsis cognito prædicare debuissent, sed datâ operâ ea occultarunt, ne à promiscua plebe intelligerentur, cujus respectu ipsi admodum pauci, & quasi nulli erant, qui de Deo aliquid cognoverunt. Altera conciliatio petitur ab explicatione objecti: ubi triplex occurrit distinctio: 1. cognitio Dei alia est naturalis, alia salutaris: de illa loquitur Paulus ad Rom. de hac ad Corinthios. Deinde cognitio Dei alia est theorica, qua sciunt homines, Deum esse purâ mente colendum: alia practica, quæ ista non modò scit, sed & juxta illam sententiam vitam & suam & aliorum conformat. Illam tribuit Apostolus gentilibus in Epist. ad Romanos, hanc denegat ad Corinthios. Ethnici enim præclaram illam de Deo notitiam, quam partim ex notitiis naturalibus, partim ex operibus creationis hauserant, impuris suis ratiociniis contaminarunt. sæpe contra conscientiam æterni Numinis providentiam negarunt, quod est negare Deum ipsum Psal. 14. Deum non ut Deum coluerunt, sed cum scirent esse Deum unum, ipsi divinitatem ejus in plures diviserunt, sideribus, animantibus, hominibus eam tribuerunt, existimantes divinam essentiam in his multo melius agnosci posse: neq; summæ potentiæ se regendos commiserunt, sed casui & fortunæ rerum eventus adscripserunt: in rebus dubiis Deo diffidebant, & cum de Deo optimè philosopharentur, pessimam interim vitam agebant. Hoc nimirum est ratiunculis suis vitiare, quod purum ex creaturis haustum erat: hoc est virtutem Dei in injustitia detinere: hoc est profiteri, se scire Dominu & factis abnegare Tit. 1. 16. Tenique cognitio languida, obscura & imperfecta gentilibus tribuitur, qua sciverunt quidem Dei unitatem, potentiam, æternitatem, atq; majestatem: quæ omnia

adhuc

adhuc Paulus noster hoc capite eis tribuit; sed nihil certi de vero Deo, veroq; cultu Dei docere potuerunt, ideò Athenienses servierunt ignoto Deo Act. 17. Renati verò habent ex illuminatione Spiritus sancti notitiam Dei quodammodo perfectam, id est, ad salutem nostram sufficientem, ut quod sciunt Dei Trinitatem in personis & voluntatem de salute generis humani in Evangelio revelatam: sciunt etiam ex scriptura, quem cultum Deus acceptare velit, cujus notitiæ respectu Apostolus naturalem gentium notitiam vocavit ignorantiam Galat. 4, 8.

[Philosophi gentilium circa cognitionem Dei quadrifariam potißimum peccarunt. 1. veritatem occultando, 2. fabellis suis contaminando. 3. providentiam negando. 4. & deniq; turpiter vivendo.]

QUÆSTIO IV.

Si est aliqua naturalis de Deo notitia, cur ea sese non exerit in omnibus: sed multi sunt, qui dicunt in corde suo, non est Deus Psal. 14, 1. & qui in Sylvis aut locis solitarijs habitant, nec audiunt de Deo quidquam, nec notitiæ suæ de Deo indicium aliquod ostendunt?

Resp. Locus Psalmi non tàm de notitia, quàm de malitia hominum loquitur, qua Deum non curant, quem esse credunt. Et si maximè impij, quantum in ipsis est, naturalem illam lucem extinguere conantur: tamen id contra conscientiæ dictamen conantur. Convicti enim sunt in conscientia, esse Deum, & esse vindicem scelerum. Hinc illi terrores & furiæ conscientiarum: hinc illæ consternationes etiam flagitiosißimorum hominum

minum, fulmina & tonitrua audientium: quibus omnibus insita illa animi vis sese, etiam invitis ipsis, exerit, quæ testantur, se reformidare aliquod numen in flagitia hominum animadversurum, ut ut illam notitiam extrinsecus flagitiosa vita & proterva inficiatione suffocare ausint. Si qui verò in locis solitarijs habitant: hi longe puriores de Deo conceptus habere possunt, quàm alij, qui hujus mundi fæce igniculos notitiæ naturalis suffocant, à quibus impedimentis ipsi sunt immunes: ideo nulla gens tam barbara unquam fuit, quæ non agnoverit esse aliquod numen: imò quo major fit ejus barbaries, eo religionis suæ ipsa tenacior. Quod enim alij de Deo habent ex auditu, hoc ipsi ex visu & consideratione ordinis omnium rerum in mundo; imò ex creaturis singulis, quibus cum conversantur, siquidem nihil tàm vile est in mundo, quod non de Deo testimonium perhibeat.

QUÆSTIO V.

Quomodo gentiles Deum à se cognitum non rectè colentes dicuntur inexcusabiles: cum tamen id, ut Deum rectè colerent, non fuerit in viribus ipsorum, sed simpliciter Dei donum: potius in Deo culpa residebit, qui vires illas ipsis non fuit largitus, aut qui verbum eis non concessit, in quo rationem cultus sui manifestavit?

Resp. Loquitur Apostolus Paulus non de excusatione virium aut potentiæ, sed ignorantiæ, hoc est, non prætendere potuerunt Ethnici, se nihil de Deo scivisse: ita enim reclamarent propriæ conscientiæ, quæ ipsos de notitia Dei multipliciter

convincit. Verbum autem suum ipsis non invidit Dominus, sed in Ecclesia gentilibus etiam proposuit, quod lex de proselytis ad sacra Hebræorum admittendis ostendit Ezech. 12, 48. Levit. 17. 8, 13. Cum ergo non essent ignari infirmitatum suarum, quod non possint naturalibus viribus Deum rectè colere. (hoc ipsum enim est, quod probat hoc loco Apostolus noster, ex lege naturæ neminem justificari posse, quia nemo ex lege naturæ Deum rectè colere potest) ipsorum fuisset, quærere Ecclesiam, quam Deus semper in illustri quodam loco in mundo habuit constitutam, fama miraculisq; celebrem; ubi veram colendi Deum rationem discere potuissent, quemadmodum testatur scriptura, semper ex gentilitate aliquos ad gremium Ecclesiæ Israëliticæ se aggregasse, quales erant Iethron socer Mosis ex Midianitis, Gibeonitæ, Iob & amici ejus ex Edomitis, Ruth ex Moabitis, Hiram rex Tyri, Regina Austri, Naaman Syrus, Rahab ex Chananitis, & quamplures alij. Qui vero hoc non fecerunt, sed populum illum Dei contumelia insuper affecerunt, neq; de vero Dei cultu soliciti unquam fuerunt, jam propria sua culpa eo destituuntur, in ignorantia suâ justo Dei judicio relicti.

Gentiles ad Ecclesiam conversi.

QUÆSTIO VI.

Cum non omnes ex gentilitate veritatem illam Dei in Injustitia detinuerint; sed quidam à multitudine Deorum abhorruerint, quæritur, annon meliores illi Ethnici fuerint salvati?

Resp. Minimè. Clara enim est sententia Salvatoris, qui non credit in Filium, jam judicatus est, Iohan. 3. & qui non

bono is

honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit eum, Iohan. 5,23. Neque ad hoc data fuit Ethnicis qualiscunq; notitia Dei & regimen locomotivæ, ut per illud salutem adipiscerentur: sed ut de Deo magis magisq; inquirerent Act. 17, 27. cultibus à Deo præceptis ipsum colere studerent, ut societatem humanam conservarent, quam solutis disciplinæ vinculis corruere necesse est. Salus autem & vita æterna non nisi per fidem in Christum apprehenditur. Falsa igitur & impia est sententia Benedicti Pererij, quam ab Andradio & alijs mutuatus est disp. 18. in cap. 1. in Epist. ad Rom. *his verbis:* Satis erat antiquis hominibus, si qui absque Christi fide manifestata salutem consecuti sunt, habuisse fidem ejus implicitam in fide unius Dei inclusam, credentes videlicet, Deum esse humani generis Salvatorem secundum ordinem & modos ipsi notos, & in mirabili sua providentia occultos. *Falsum est hoc & impium, quin & verè Diabolicum justificationis nostræ ludibrium. Testatur enim scriptura simpliciter, extra Ecclesiam non esse salutem, absq; agnitione Christi nullam esse fidem, fidem justificantem non esse ex naturalibus illis notitijs, sed ex auditu verbi, Item neminem naturâ quærere Deum ut Salvatorem Roman. 3,11. Credere autem esse Deum, esse unum Deum, eumq; bonum, justum, castum &c. non est fidei justificantis, nam & hoc dæmones credunt Iac. 2. sed fidei historicæ, quæ non tantùm ex verbo, sed & aliunde peti potest. Neq; qualiscunq; notitia Christi, qualis est illa implicita, quam fingunt Pontificij, salvat, sed fidelis apprehensio meriti Christi, quæ nullo modo cadit in eos, qui sunt extra Ecclesiam, de quibus apertè testatur Apostolus, quod prædicatio de Christo crucifixo eis sit stultitia 1. Corinth. 1. & quod animalis homo non*

Pontificij credunt, etiam Ethnicos quodāmodo fidē habuisse & salvatos fuisse.

intelligat ea, quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor. 2. qualia profectò sunt illa mysteria de redemptione & salute nostra, quæ æternis temporibus tacita fuisse & abscondita, nunc verò revelata, scribit D. Paulus, non per lumen rationis, sed per Prophetarum scripta Rom. 16, 26. Coincidit ergo error Pontificiorum cum hæresi Pelagianorum, quasi alioqui solâ lege naturæ sine agnitione & fide salvari possint, quos refutavit Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 2. & contra Julian. lib. 4. cap. 3. &c.

QUÆSTIO VII.

Opposita est hæc quæstio Paræo, quem vide dub. 18. in cap. 1. ad Rom.

Reprehendit Apostolus gentiles inter alia propterea, quod mutaverint gloriã incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis &c. ergone planè non licet pingere aut fingere imaginem similitudinẽve Dei, præsertim cum Deut. 4, 15. scriptum sit: cavete diligenter animabus vestris: non enim vidistis ullam imaginem, die quo locutus est ad vos in Horeb è medio ignis, ne fortè corrumpatis vias vestras, & faciatis vobis sculptile, aut imaginem ullius simulacri?

Gloria Dei quomodo mutetur?

Resp. Gloria Dei mutatur non in ipso Deo: is enim est ἀμετάβλητος Mal. 3, 6. sed in opinione, cultu & fide de Deo, quando ei aliquid affingitur, quod est contra revelatum verbum, qualis mutatio gloriæ Dei est in Idololatria gentilium & Pontificiorum, qui non modò sanctis cultum adorationis tribuunt, soli Deo debitum, sed & statuas, imaginesq; Dei & sanctorum religiosè venerantur. Pingere igitur aut sculpere imaginem

Dei

Dei, ut vel ea adoretur, vel Deus in ea, id sanè esset mutare gloriam Dei, qui expreßè prohibuit, facere Deos argenteos vel aureos Exod. 20, 23. sed habere imaginem aut picturam Dei in ea forma, qua apparuit, aut Christi crucifixi, historiæ ergò, nequaquam est mutare gloriam Dei, quin potius est promovere bonam partem Dei gloriam in rudibus & idiotis: Idcirco enim pictura in Ecclesijs adhibetur, ut hi, qui literas nesciunt, saltem parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent, *scribit Gregor. lib. 7. Epist. 109.* & aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, *ait lib. 9. Epist. 9. Neq; contra hanc sententiam quidquam facit, quod obijcitur à* Paræo dub. 18. cap. 1. Rom. *ipsis statuis subinde aliquid divinitatis subesse putari, aliquidq; reverentiæ tribui à pueris, mulierculis superstitiosis, ab advenis idololatris: id enim metuendum non est, ubi opinio falsa & idololatrica ex animis hominum verbo evellitur, neq; compertum est, tale quid in nostris hominibus ex verbo Dei rectè informatis: quod si advenæ idololatræ talem de statuis opinionem habent, alij meliora edocti ipsorum culpam præstare non tenentur, Idolatriam foverent nihilominus in animo, etiamsi nullas in templis viderent statuas. Quod si verò evidenter constaret, statuas aliquas scandalum præbere intuentibus, non diffitemur, autoritate Magistratus eas abolendas esse, idq; exemplo Ezechiæ Regis, qui æneum serpentem ipsius Dei jussu fabrefactum penitus confregit; vocavitq; Nehustan, cum videret, Israelitas ei adolere incensum 2. Reg. 18, 34. Locus Deuteronomij agit de imagine Dei, quæ ejus exprimat essentiam & naturam, talis non est facienda: nulla enim creatura aut pictura essentiam Dei exprimere potest: sed imago, quæ repræsentet aliquam visionem*

Pictura est laicorum scriptura.

Quando demoliendæ statuæ.

sionem, qua apparuit sanctis, nequaquam est prohibita: cur enim eam repræsentare formam non liceat, in qua Deus ipsemet se depingere voluit?

Deinde respondendum est, edictum illud propriè Iudæos concernere: his enim prohibitum erat, ne ullas imagines facerent, quia ad cultum idolorum naturaliter erant propensi: cessante hac ratione, ipsum interdictum cessare necesse est. Quando autem subinde crepant illud ex Epistola 2. Ioh. v. ult. filioli custodite vos à simulacris, *& alterum D. Pauli 1. Cor. 6, 10.* idolis servientes regnum Dei non possidebunt *(id quod obijcit Mornæus lib. 2. de Eucharist. cap. 1.) Semper meminerimus, statuas in templis nostris non esse idola, sed imagines: non ex necessitate, sed Christiana libertate, non cultus, sed ornatus gratiâ in loco sancto positas: de quibus nullum prorsus in scriptura interdictum legitur. Concludimus igitur cum Gregorio in Epistola ad Serenum:* Si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imagines omnibus modis devita: sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.

Imagines & idola differunt.

QUÆSTIO IIX.

Cum Apostolus scribit v. 24. tradere Deum gentiles in desideria cordium suorum, & v. 28. tradere eos in reprobum sensum, annon Deum facit autorem peccati?

Resp. Primùm omnium sanctè hoc tenendum est, non esse iniquitatem apud Deum, sed diligere eum omnia quæ sunt, nihilq́;

nihilq; odisse eorum quæ fecit Sap. 11. Ad enodationem autem hujus dubij 1. sciendum est, peccata hominum in quadruplici esse differentia: Quædam nihil aliud sunt quàm peccata: *quædam non tantum peccata sunt, sed &* causæ *subsequentium peccatorum; quædam sunt* peccata & pœnæ præcedentium: *quædam & in se peccata sunt, & pœnæ præcedentium, & causa subsequentium. 2. sciendum est, peccata referri ad Diabolum, ad hominem, & ad Deum diverso respectu.* Ad diabolum *referuntur tanquam causam impellentem malas hominum voluntates & mentes à Deo adversas, quibus & cogitationes malas suggerit, & occasiones eas in actum producendi ostendit.* Ad hominem, *tanquam causam propinquissimam, & ad peccandum naturâ sua promptum, qui instigante Diabolo facit impensius; quod sponte facturus erat.* Ad Deum *deniq;, ut justum judicem, qui peccatis subsequentibus interdum antegressam iniquitatem vindicat, ut præsens Apostoli nostri locus expresse declarat. Ad diabolum igitur & hominem referuntur peccata, quatenus peccata, & causæ peccatorum aliorum sunt, tanquam ad autorem & causam peccati: ad Deum verò, quatenus sunt pœnæ peccatorum, non tanquam ad causam aut autorem, sed tanquam ad vindicem scelerum, peccata peccatis punientem. Ita Deus hoc loco tradere dicitur gentes in sensum reprobum: alibi gentes semetipsas tradere scribuntur lasciviæ ad perpetrandam omnē immunditiem cum aviditate Ephe. 4, 19. Ut autē rectius intelligatur, quomodo Deus tradat homines in peccata, ante omnia removenda est Manichæorum blasphemia, qui ejusmodi actionem adsignarunt malo Deo, habitum malitiæ in animis hominum efficaciter operanti, de quibus August. ser. 88. de temp.*

Peccata hominum in quadruplici sunt differentia.

Peccata referuntur ad Diabolum ad homine ad Deum,

Quomodo Deus tradat peccatores in reprobū sensum?

[*Calvin. lib. 1 instit. cap. 18. asserit, Deum esse caussam impellentem malas hominum voluntates ad peccandum. Hæc*

enim

enim ejus verba sunt: Impij & præfracti homines certa destinatione Dei ad peccandum fuerunt impulsi. Item: Dicitur quidem Satan excæcare hominum mentes, sed unde hoc, nisi, quod à Deo ipso manat efficacia erroris.]

Nos verò non nisi bonum Deum scimus, qui non est Deus volens iniquitatem Psal.5. deinde & hoc tenendum, Deum neque præcipere, neque velle, neque approbare, neque efficere peccata ullo modo, neque etiam tacito quodam motu mentes hominis ad peccandum impellere; neque tamen peccata otiosè spectare & nudè permittere. Sed quando Deus, ut justus judex, tradit homines in desideria cordis, concurrit actione sua vel generali vel speciali. Actione generali gubernat & sustentat omnes creaturas, & sic etiam omnes hominum mentes atque voluntates: ubi actus movendi & volendi simpliciter ad Deum referendus est, juxta illud Act. 17. in ipso movemur & sumus: eadem actione generali præscit & prædicit, omnes hominum actiones bonas & malas, antequam eveniunt. Actione speciali, judiciaria potestate quadrupliciter ad actiones hominum malas concurrit, ita tamen ut nullo prorsus modo caussa peccati fiat: 1. deserit peccantem suâ gratiâ, sine qua nihil boni est in homine, quemadmodum recedente à Saule Spiritu Domini, malus eum invasit Spiritus 1. Sam. 16, 14. qua de re Chrysostomus loquitur homil. 68. in cap. 12. Job. cum deserimur à Deo, tradimur Diabolo, in cujus potestatem redacti in nostris malis afficimur. *2. hominem sibi relictum permittit cupiditatibus suis, quo pacto id, quod Apostolus noster hîc per traditionem exprimit, alibi per permissionem exponit Actor. 14, 15. permisit omnes gentes ingredi vias suas, & Regius Psaltes 81, 13. dimisit eos secundum desiderium cordium suorum, ibunt in adinventionibus suis. Et sic hunc locum Apostoli nostri exponit Ambrosius:* quoniam ad injuriam Creatoris Dei figuras

rerum

rerum Deificaverunt, cum se à Deo avertissent, traditi sunt Diabolo. Tradere autem est permittere, non autem incitare aut immittere: ut ea, quæ in desiderijs conceperant, adjuti à Diabolo explerent in opere.

[*Hanc permissionem agnovit etiam Lutherus tom.3. lat. Ien. p. 206. Deus Pharaonem induravit, dum illum per verbum Mosis velut regimen ablaturi, invasit, & intus spiritum non dedit, sed ipsius impiam corruptionem permisit Satanæ regnanti accendere, intumescere, & procedere cum securitate quadam & contemtu.*]

Vocat quidem Paræus (dub. 19.) dilutam & Deo injuriam, imò Pelagianam glossam, tradidit, id est, permisit ruere in reprobum sensum, sed audivimus, hanc ipsam esse interpretationem scripturæ, quam qui sequuntur, errare non possunt. Sciendum autem est, nos nequaquam statuere permissionem Dei planè otiosam, aut Deum ipsum otiosum spectatorem peccatorũ, sed concurrit utiq; cum permissione DEI aliqua voluntas, invito enim DEO fieri nihil potest; sed hoc discrimine: quod permissio ipsum actum peccandi respicit, quem quia DEUS non vult, ideo permittit; voluntas autem finem actus, quem ex mala actione bonum Deus pro sua sapientia elicere potest; & huc spectant postrema duo membra, quæ jam sequuntur. 3. Tertio igitur determinat Deus malas actiones, ijsq; metas præscribit, quousq; sese extendere debeant; non enim patitur malos furere, quantum & quandiu ipsi voluerint, sed ponit circulum in naribus ipsorum, & sæpè invitos ab instituto revocat in commodum bonorum, quemadmodum exemplo Sennacheribi declaratur. Esa: 37, 29. 4. Deniq; malas hominum actiones ad bonum finem declinat, quem homines malitiosi nunquam attenderunt, quemadmodum Iosephus fratribus suis dicit: Vos cogitastis de me malum: Sed Deus vertit illud in bonũ, ut exalta-

ret me Genes.50,20. *Ex his ergo apparet, non esse necesse ut Deo vel otiosam peccatorum permissionem tribuamus, vel statuamus, ipsum ullo modo velle peccata, vel ad peccandum impellere. Affert quidem Paræus loco dicto, pro confirmanda illa blasphemia, locum Augustini ex lib.5. cont. Julian. cap.3. ubi scribit, Deum nullo modo permittere potuisse peccata, si ea noluisset. Et ex libro de grat. & libero arbitr. cap. 21. ubi scribit, Deum voluntatem hominis proprio suo vitio malam in hoc peccatum judicio suo justo & occulto* Inclinare. *Sed hæc verba, si secundum literam intelligantur, fieri non potest, quin Augustinus & scripturæ, & sibipsi contradicat. Nam scriptura simpliciter fatetur:* Non volens iniquitatem Deus, tu es, Psal.5. *& August. in respons. ad articulos falsò sibi impositos art. 13. scribit:* Si à justitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur: nec in tali negotio quicquam divinæ voluntatis intervenit; cujus ope scimus multos, ne laberentur, retentos: nullos autem, ut laberentur, impulsos. *Hæc Augustinus piè & sobriè. Quod ergo alibi scribit, Deum nulla ratione permittere, si noluisset; id de voluntate finis, non ipsius actionis malæ interpretandum est. Nam malis hominum voluntatibus benè utitur, & finem hunc bonum permissione sua vult & approbat. Quando autem ait, Deum inclinare malam hominum voluntatem in peccatum, ita interpretandum est, non, quod malam hominum voluntatem faciat, neq; quod movendo hominis voluntatem, mala efficiat, aut effecta approbet, sed quod justo judicio peccatori in peccatis suis relicto talia objicit, quæ in sese bona sunt, sed peccator in reprobum sensum traditus eis abutitur in majorem occasionem peccandi: Qualis est Dei tolerantia seu indulgentia, qua peccatores tolerat: ea enim pij utuntur ad pœnitentiam*

[Q]uomodo [d]icatur De[u]s velle ma[l]a & inclinare hominem ad malum.

am

am Rom.2.reprobi ad resistendum Deo : talis est prædicatio verbi, miraculorum multiplicatio & similia, quibus illuminari poterant, & ex intentione Dei debebant homines, ipsi autem per accidens ijs ipsis magis magisq; excæcantur, quod patet exemplo Pharaonis: & Apostolus Paulus testatur, Evangelium, quod per se est odor vitæ ad vitam, impijs per accidens fieri odorem mortis ad mortem 2.Cor.2,16. Atq; sic semet ipsum explicat Augustinus quæst. in Exod. 18. ut tale cor haberet Pharao, *inquit*, quod potentia Dei non moveretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitij proprij fuit. Quod verò facta sunt ea; quibus cor suo vitio tam malignum resisteret jussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratum: quia non flexibiliter consentiebat, inflexibiliter resistebat) dispensationis fuit divinæ, qua tali cordi non solum justa, sed evidenter justa pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur.

QUÆSTIO IX.

Apparet ex præsente Apostoli nostri textu v.24 & 26 peccatum unius alterius esse pœnam: eoq; dicto nihil usitatius est in disputatione de caussa peccati. Sed huic assertioni tria videntur obstare. 1. quod Deus non est autor peccati: est autem autor pœnæ, juxta illud Amos.3.non est malum in civitate, quod nō fecit Dominus. 2. peccatum, quod peccato puniri dicitur, non nisi voluntarium est,

atrocißimum enim est & contra conscientiam perpetratum: pœna autem non est voluntaria. 3. pœna justa est, vindicta nimirum contra transgressores legis; peccatum est injustum. Ex quibus omnibus sequi videtur, peccatum alterius peccati pœnam esse non posse.

Resp. Omnem hanc difficultatem solvit gemina peccati consideratio. Aut enim consideratur juxta formam & naturam in sese, quatenus est ἀνομία; aut secundum causam principiumq́; suum privativum, quatenus est subtractio gratiæ, auxiliiq; divini. Priori respectu non est pœna, ideò nec à Deo est, neq; involuntarium, neq; justum: sed repugnat undiquaq; Deo, Iustitiæq; divinæ. Posteriori respectu pœna est: Deus enim neminem deserit, nisi ab ipso prius deseratur aliquoties, inquit Augustinus: nemini etiam gratiam suam subtrahit, nisi qui semetipsum per contumaciem mediorum contemtum subtraxerit. Etsi ergo non peccatum ipsum, causa tamen illa judiciaria, id est, subtractio gratiæ, à Deo est, justo judicio vindicante præcedentia delicta; atque sic caussa illa justa est, licet actus peccandi sit injustißimus: & quamvis peccatum in seipsum est voluntarium, subtractio tamen gratiæ divinæ est contra voluntatem peccantis; ut & labores & difficultates, quibus expositi sunt peccatores, & deniq; morsus conscientiæ, infamia & alia, quæ peccatum vel comitantur, vel consequuntur; quibus omnibus supersedere vellent peccatores. Vide Lombard. lib. 2. sent. distinct. 36.

[*Peccatum est caussa peccati, non respectu sui, sed respectu adjunctorum suorum. Adjuncta illa sunt triplicia: vel quò ad interio-*

interiorem inordinationem animi: vel quò ad exteriores actus, vel quò ad consequentia peccata, ut morsus conscientiæ, infamia &c.]

QUÆSTIO X.

Tradidit Deus gentes in mentem reprobam, v.28. num ergo prius mentem habuerunt naturâ probam?

Resp. Distinguendum inter reprobationem originalem & habitualem. Habuerunt sanè mentem naturâ reprobam, & ad bonas actiones ineptam, ex vitio peccati originalis: sed habitus malitiæ subindè crevit, ut omni excusso pudore ruerent in scelera, non saltem contra legem Dei, verùm etiam contrà rectam rationem. Mens igitur naturâ reproba, subtractione gratiæ divinæ facta est improbior. Quod autem Deus mentē ex originali vitio impuram non modò non sanavit, sed insuper sibiipsi & desideriis suis reliquit, justissimum fuit antegressæ Idolomaniæ supplicium.

QUÆSTIO XI.

Monet Apostolus Paulus Ephes. 5, 3. Scortatio & omnis immunditia ne quidem nominetur inter vos: cur ergò ipsemet tàm prolixè, tám clarè describit Ethnicorum Sodomiam & impuritatem?

Resp. Nominatio impuritatis, quò ad delectationem est prohibita: quò ad detestationem non item. Ita Spiritus sanctus alibi Sodomitarum libidines, Lothi incestum, Davidis adulterium non modò nominavit, sed & recitavit, & secundum circumstan- Gen. 19. 1. Sam. 11.

cumstantias descripsit, non ut illis impuritatibus delectaremur, sed eas eò vehementiùs detestaremur, & ex lapsibus sanctorum non imitationem cadentium, sed consolationem resurgentium peteremus.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. Delicta hominum non manent impunita. Etsi enim coram hominibus aliquandiu sunt occulta; Deo tamen non sunt ignota, qui revelat ea cœlitus puniens justè & in aperto, quæ perpetrata sunt injustè & in occulto. Quo referatur exemplum Davidis. 2. Sam. 12, 12. & locus Syrac. 16, 16.

2. Duo sunt delictorum summa genera, Impietas, & Injustitia. Illa contra primam; hæc contra secundam tabulam Decalogi fertur; utraq; Dei vindictam promeretur, odit enim omnes, qui operantur iniquitatem Psal. 5.

3. Misericordia Dei non tollit ejus justitiam: sunt enim hæc duo in Deo non contraria, sed subalterna. Ne ergò dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira apud ipsum est, & in peccatores respicit ira ejus Syr. 5 6.

4. Etsi Deus inhabitat lucem inacessam 1. Tim. 6. manifestavit tamen sese hominibus in ipsa natura, ut in admirabili ordine rerum & causarum naturalium: in ipso μικροκόσμῳ homine: in notitijs humanæ menti insitis: in pavoribus conscientiarũ: in conservatione societatis politicæ: in prædictionibus rerũ futurarum, earundemq; complemento: in fine deniq; ad quæ omnia tẽdunt in natura. Quæ omnia hoc in loco veritas Dei appellantur, quia ex his cõstat, etiam extra scripturã, esse Deum.

5. Liber naturæ, unde Ethnici habuerunt aliquam Dei cognitionem

tionem, non meretur dici verbum Dei, quia profertur absq; Spiritus sancti impulsu, uniuscujusq; cordi inscribitur: nō est vehiculum fidei, non sufficit ad salutem, quia est extra Christum. Non tamen pugnat cum verbo Dei scripto, aliàs non citaretur ab Apostolis Act. 17, 28. 1. Cor. 15, 33.

6. *Cognitio Dei naturalis non est salvifica, quia ultra Dei infinitam potentiam, æternamq; ejus essentiam se non extendit: Manet igitur articulus fidei, Deum esse trinū, Deum esse salvatorē mundi &c. ea enim ex lumine naturæ revelata non sunt.*

7. *Penes Deum nulla est culpa damnationis hominum: Deus enim semetipsum gentibus manifestavit, iisq; occasionem inquirendi Deum præbuit: quia verò homines inquirere nolentes notitiam de Deo Naturalem spontaneâ ignorantiâ obruerunt; idcircò jam sunt ἀναπολόγητοι, qui neq; Deum injustitiæ accusare, nec ignorantiam suam excusare possunt.*

8. *Sapientia mundi absq; verbo Dei stultitia est, quod apparet exemplo sapientissimorum Ethnicorum, qui vani facti sunt in cogitationibus suis, cum omnium optimè sapere voluerunt: unde est illud Apostoli Pauli 1. Cor. 3, 18. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens: sapientia enim hujus mundi stultia est apud Deū.*

9. *Discrimen hoc inter Creatorem & creaturam est longè maximum, quod soli Creatori gloria debetur, creaturæ confusio: quàm primum autem gloria soli Deo debita creaturæ tribuitur, fit idololatria, & mutatur Deus opinione hominum, qui in sua natura alioquin est immutabilis. Deus enim gloriam suam alteri non dat, Esa. 48, 12.*

10. *Idololatria committitur non saltem, quando ex creaturæ Deum facimus, sed & quando similitudinem Dei fingimus in creaturis, quod fit,* vel *quando per simulacbra ad Deum contendimus, vel quando sanctos ut mediatores inter Deum*

& nos

& nos honoramus, vel etiam, quando fiduciam in thesauros hujus mundi collocamus; nam ubi thesaurus, ibi cor nostrum, Matth. 6.

11. *Prima tabula cum secunda ita est devincta, ut peccare nemo possit in primam, quin peccet idem in secundam: ideò hic pœna idololatriæ statuitur immunditiеs corporis & animæ contra sextum præceptum. Hinc de iis, qui Deum abnegant, scriptum est, quod non faciant bonum Psal. 14, 1.*

12. *Scortatio eo nomine omnibus aliis vitiis antefertur, quod fit in proprium corpus, & sic homo in seipsum fit injurius, cum tamen nemo aliàs proprium suum corpus odio habeat, Ephe. 5. Quo refer locum 1. Cor. 6, 18.*

13. *Atrocissima pœnæ divinæ species est, quando Deus peccatorem tradit in desideria cordis sui. Destituitur enim gratia resistendi malo, & cæco fertur impetu more brutorum, proclivemq́ue habet viam ad interitum. Nam væ eis, cum recessero ab eis, clamat Dominus Ose. 9, 13. Semper igitur orandum cum Davide, ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me Psal. 38, 22.*

14. *Filius æternus est Patri æterno ὁμοούσιος, quod gemino argumento ex hoc loco probari potest. Nam quemadmodum hic Pater vocatur Creator: ita Filius est qui condidit omnia, Hebr. 3, 4. Deinde sicut hic Pater dicitur benedictus in secula: ita idem elogium tribuitur filio, Rom. 9, 6.*

15. *Religionis contemtus fons omnium scelerum est; ideò tàm crebrò hîc inculcatur, prolixum illum catalogum scelerum apud gentiles inde esse, quod plus servierint creaturæ quàm creatori, quod Deum non habuerint in notitia. Sit ergo fundamentum actionum nostrarum pietas; ea enim ad omnia utilis est 1. Tim. 4, 8.*

16. *Peccatorum distincti gradus sunt. Longè enim graviora*

sunt

sunt quæ contra naturæ ordinem faciunt, quàm quæ tantum contra legem Dei perpetrantur, ordine naturæ tamen non interrupto: itaq; & pœnæ peccatorum suos habent gradus, licet omnia divini judicij reatum mereantur; quo refer locum Matth. 11, 22.

17. *In Catalogum peccatorum referuntur non tantùm externæ hominum actiones contra legem Dei, sed & interiores cordis affectus, ut odium, ira, invidia, dolus, insidiæ, &c. Referatur huc locus Christi Matth. 5, 23. &c.*

18. *Faciens & consentiens sunt eadem pœnâ digni, cujus Regulæ expressum Testimonium hic extat v. 32. Hinc est quod Dominus minatur negligentibus populi pastoribus similem vindictam, cum peccatore in peccatis moriente, eò quod tacendo consentiunt Ezech. 33, 8. similiter eundem interminatur interitum Magistro & discipulo Malach. 2, 12. &c.*

CAPUT II.

Argumentum & Partitio Capitis.

DE *objecto hujus Capitis non est omnium eadem opinio. Certum est continuare Apostolum Paulum probationem minoris propositionis in generali syllogismo ab initio proposito, quæ talis erat:* Non justificamur ex operibus: *idq; hactenus de gentium operibus demonstraverat. Iam multi sunt in ea sententia, Apostolum in hoc capite continuare tractatum de gentilibus, & cum sub finem præcedentis capitis recitasset atrocia quædam & aperta gentilium scelera, eum jam hypocritas taxare aiunt, qui quidem sapientiæ & justitiæ laude in gentilitate celebres, nihilo tamen quò ad naturæ depravatæ*

indolem fuere sanctiores, quales erãt Plato, Socrates, Aristoteles, Cato &c. Alij existimant, Apostolum arguere non hos ethnicorum sapientes, sed eos ipsos Epicuri de grege porcos, & manifestè sceleratos, quos sub finem praecedentis capitis attigerat, alio tamẽ argumenti genere desumto ab ἀντικατακρισία universali. Verosimilius autem est, Apostolum à gentilibus progredi ad Iudaeos, horum enim expressam facit mentionem v. 17. & hi potissimum erant, qui sibi de gentibus superciliosum sumere solebant judicium. Proinde cum Lyrano duas hujus Capitis partes statuimus.

In priore contendit Apostolus Iudaeos in culpa & poena gentilibus esse similes, usq; adversum 17.

In posteriore docet, Judaeos gentilibus, quo ad aliquid etiam esse peiores.

PARS PRIMA.
TEXTUS.

Διὸ ἀναπολόγητος εἶ ὦ ἄνθρωπε πᾶς ὁ κρίνων, ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις. Τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων.

PRopter quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui judicas: in quo enim judicas alterũ, teipsum condemnas: eadem enim agis qui judicas.

Οἴδαμεν δὲ ὅτι τὸ κρῖμα τοῦ θεοῦ ἐστι κατὰ ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας.

2. Scimus enim, quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.

Λογίζῃ δὲ τοῦτο, ὦ ἄνθρωπε, ὁ κρίνων τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας, καὶ ποιῶν αὐτά, ὅτι σὺ ἐκφεύξῃ τὸ κρῖμα τοῦ θεοῦ.

3. Existimas autem hoc, ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?

Ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς, ἀγνοῶν ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει.

Κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς, καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ,

Ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

Τοῖς καθ' μὲν ὑπομονὴν, ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καὶ τιμὴν, καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι, ζωὴν αἰώνιον.

Τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας, καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ, θυμὸς καὶ ὀργὴ,

Θλίψις καὶ στενοχωρία ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακὸν, Ἰουδαίου τε πρῶτον καὶ Ἕλληνος.

Δόξα δὲ καὶ τιμὴ καὶ εἰρήνη παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθὸν, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ ἕλληνι.

Οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ.

Ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται, καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται.

4. Aut divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniã benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit.

5. Secundum autem duritiem tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in diem iræ & revelationis justi judicii Dei,

6. Qui reddet unicuique secundum opera ejus.

7. Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.

8. Iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.

9. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci.

10. Gloria autẽ & honor & pax, omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco.

11. Non enim est acceptio personarum apud Deum.

12. Quicunq; enim sine lege peccaverunt, sine lege & peribunt: & quicunq; in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

Οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ, ἀλλ' οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται.

Ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος.

Οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων.

Ἐν ἡμέρᾳ, ὅτε κρίνει ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

13. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.

14. (Quum enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legē nō habentes, ipsi sibi sunt Lex.

15. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.)

16. In die cū judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Iesum Cbristum.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Principio perstringit temerarios factorum alienorum censores, quales inprimis erant Iudæi, & inter hos sanctiores, Pharisæi, qui extrema illa gentilium scelera detestabantur verbis, in quæ tamen sæpe ipsimet incidebant, si non externo facto, ad minimum tamen interna propensione & delectatione cordis, unde illos inexcusabiles appellat, qui non habeant, quod aliis obiiciant, cum in semetipsis satis superq; inveniant, quod reprehensione dignum sit. Alloquitur autem in singulari & quasi indefinitè hominem, *criticos illos & alienorum vitiorum observatores intelligens, ut unumquemvis suæ cōditionis commonefaciat, qui cum homo sit, humani à se nihil alie-*

num

num putare debet, ac proinde, quorum ipse particeps esse potest vitiorum, ea in alijs exagitare non debet. Vtitur autem eleganti παρανομασία *in Græco; judicanti de alijs tribuit,* κρίσιν, *effectum hujus* κρίσεως *vocat* κατάκρισιν *condemnationem, & ostendit, solere sequi judicium alienorum vitiorum, condemnationem propriorum; idq; ex justo ordine judicij divini: ideò dicit,* judicium Dei esse secundum veritatem, *seu inculpabile,* adversus eos, qui talia agunt, *hoc est, solet hoc justo Dei judicio fieri, ut qui alios temerè judicat, suam sæpè turpitudinem allegat. Taxantur igitur hic non publica & ordinaria, sed privata & temeraria hominum de alijs judicia. Rectißimè autem ea, quæ hactenus de temerario judicio in thesi dicta sunt, applicat Lyranus ad hypothesin, idololatriæ & scortationis; quæ duo scelera publicè, & impunè perpetrabantur à gentilibus, quo nomine Paulus eos sub finem præcedentis capitis corripuit. Iudæi verò talia publicè quidem non faciebant, ne secundum legem punirentur: in occulto tamen gentilibus erant similes. Idcirco eos à temeraria & privata gentilium condemnatione dehortatur in principio capitis secundi duobus argumentis, 1. quia eadem faciunt, licet occultè v. 1. 2. quia Deum, qui occulta judicat, fallere non possunt v. 2. Atq; sic Iudæos gentibus, quoad vitam peccato contaminatam æquat. His verò duo oggerere poterant Judæi, quæ ordine removet Apostolus. Vnum erat de dilatione pœnarum, ex qua illi impunitatem & sic immunitatem à peccatis colligere videbantur, de quo v. 3. & seqq. alterum de privilegio Iudæorum, quod habebant præ cunctis populis in cultu & manifestatione voluntatis divinæ, unde sibi quoq; aliquam impunitatem pollicebantur; de quo agit v. 11. Prius illud operosè & præclarè tractat, redarguens primùm opinionis illius Iudaicæ vanitatem. Eam enim pœnæ dilationem ait esse non ex*

immunitate Iudæorum, sed judex bonitate & mansuetudine Dei, quæ non abblanditur peccantibus, sed gratificatur pœnitentibus, quorum pœnitentiam dilatione pœnæ promovet, cui aliàs locus non relinqueretur, si nullum inter peccatum & peccati pœnam intercederet intervallum. Addit autem gravissimam exhortationem: ne homines istâ Dei benignitate atque patientia abutantur ad licentiam peccandi. Talibus; tribuit σκληρότητα καὶ ἀμετανόητον καρδίαν. *Verè enim lapis aut truncus homo est iste præfractus, quia sua in peccando pervicacia quasi certat cum Dei patientiâ, qualis durities & quasi callositas homini partim adnascitur, partim ex consuetudine peccandi attrahitur, ut jam non amplius pœnitere cupiat, multò minus ad pœnitentiam sese præparare aut disponere possit; Hac vero sua pervicacia ait hominem non Deo, sed sibijpsi nocere:* thesaurizat enim sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, *id est, cum alioquin iræ divinæ reatum peccando contraxerit, jam sua impœnitentia magis magisq; eam sibi aggravat, ita, ut licet in hâc vitâ scelera sua maneant impunita, in extremo tamen judicio, ubi dies ultionis erit, & manifestatio secretorum cordis, tarditas pœnæ gravitate compensetur. Et hac occasione graphicè describit judicium illud Dei ultimum v. 6.7.8.9. Primùm in genere dicit fore justum judicium,* reddet enim Deus unicuique secundum opera ejus; ἀποδώσει, *inquit, REDDET, quasi debitum aliquod, quia redditurum se promisit. Debitorem autem se nobis fecit, non aliquid à nobis accipiendo sed omnia nobis promittendo. Reddet autem VNICVIQVE, ne quisquam conqueri posset, se in justo judicio ex* προσωποληψίᾳ *aliqua præteritum. Et quidem SECVNDVM OPERA reddet, non propter opera: non enim causam notat meritoriam, sed notam, characterem; & testimonium eorum, qui in judicium illud*

illud venturi sunt. Quia enim actus ille futuri judicij visibilis est, oportet & id, quod de personis justificandis testificari debet, in omnium oculos incurrere, qualia sunt opera hominum, quæ de hominum fide vel infidelitate testantur, quam ob causam etiam à Salvatore ut testimonia vel salvandorum vel damnandorum proferuntur, Matth. 25. Deinde in specie pijs præmia, impijs pœnas adsignat. Pios ita describit ab effectu v. 7. quod per patientiam boni operis quærant vitam æternam, *hoc est, quod vel perseverantes in benefaciendo, vel quod patientia Dei usi ad benè operandum ad meliorem vitam contenderint. His præmium attribuit* gloriam, honorem & immortalitatem, *quam generali voce ἀφθαρσίαν vocat, quorũ priora duo respiciunt publicum extremi iudicij, actum in quo coràm universa multitudine Beatorum hominum & Angelorum proclamabuntur hæredes vitæ æternæ: tertiũ respicit subsequentem in altera vita gloriam. Etsi enim damnatorum quoque corpora erunt ἄφθαρτα, Esa. 66, 24. ipsorum tamen immortalitas quotidianæ morti similior erit, quàm perpetuæ vitæ. Porrò impios describit tribus epithetis v. 8, & 9,* quod sint ex contentione, *hoc est, ut Lira non malè exponit, quorum anima semper contendit, & apud quos συντήρησις seu dictamen rectæ rationis malo semper remurmurat.* 2. quod non acquiescant veritati, *hoc est, rectè monentes non audiunt, etiam convicti à propria conscientia.* 3. quod credant iniquitati, *hoc est, Diabolo ad mala instiganti, ipsiusque administris, suggestionibus & sodalitijs pravis obsequuntur. His pœnas attribuit, iram & indignationem, tribulationem & angustiam, quæ est descriptio supremi supplicij damnatorum, quod scriptura aliàs per mortem, per stridorem dentium, per ignem inex-*

inextinguibilem, per vermem non morientem & similes phrases exprimit. Deniq; ne quidquam habeant Iudæi, quod excipiant, totum mundum in duas classes dispescit, In Græcos & Judæos v. 9. & 10. *ijs notans eos, qui sunt extra Ecclesiam, his cives Ecclesiæ: iterumq; operantibus mala* pœnas *prædicit, operantibus autem bona, gloriam, honorem & pacem,* gloriam *apud Deum cui servierunt,* honorem *apud damnatos, quibus præferuntur* pacem *in conscientiâ, quam illibatam custodierunt. Et hactenus primæ Iudæorum exceptioni satisfecit Apostolus. Alteram ita elidit v. 11.* Non est acceptio personarum apud Deum; *quasi dicat, ne existimetis viri Iudæi, vos privilegium aliquod impunitatis habituros in peccatis vestris, licet præ cæteris Dei sitis peculium: nam Iustitia Dei ἄνευ προσωποληψίας super omnes est, & eò citius vos tanget ordo, quo propiores estis Deo. (hoc enim est quod dixit,* Judæo primùm & græco) *ostendit igitur, inter gentes & Iudæos nullam esse inæqualitatem, quoad pœnas, quia ibi eadem est caussa pœnæ nempe peccatum, licet inæqualitas sit & diversitas in eo, quod gentes sine lege, Iudæi accepta lege peccarunt: Idcircò addit:* quicunque sine lege peccarunt, sine lege peribunt, *videlicet nulla eos condemnante lege scripta: &* quicunq; in lege peccaverũt: per legẽ judicabũtur: *lex enim præmia promittit obedientibus, pœnas minatur rebellibus. Rationem addit, v. 13.* Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur: *quibus verbis omnem Judæorum prætextum pessundat. Inanis enim erat gloriatio, quod legem per Mosen acceperint, & singulis sabbatis in scholis suis audiverint: si non doctrina legis vita responderit. Hæc enim est voluntas Domini, ut qui fecerit legem, seu qui perfectè impleverit, vivat in ea: loquitur enim Apostolus de Iustificatione hoc loco legaliter.*

Vt aut-

Vt autem æqualitatem illam pœnæ in populis illis inæqualibus clarius exponat, distinctè agit de gētilibus & Iudæis. De gentilibus dicit, v. 4. quod quidem legem scriptam non acceperint, habeant tamen opus legis naturæ cordibus suis inscriptum in prima creatione, hoc est, agnoverunt discrimen honestorum & turpium, sciebant, Deum esse pura mente colendum, proximo benefaciendū, honestè vivendū, quæ omnia recta ratio ipsis dictare poterat, juxta quā viventes præmijs digni erant; contranitentes verò pœnas merebantur. Et hoc respectu dicit, gentes ipsas sibi esse legem, *quia nimirum recta ratio principalior in ipsis pars est, quam sequentes in omnibus vitæ actionibus legem naturæ sequi dicuntur. Et hanc in ipsis legem esse, probat ex testimonio conscientiæ, quæ reluctatur perperam agentibus, & cogitationibus reciprocis hominem modò accusat, nimirum, cum contra dictamen rectæ rationis agit: modò defendit, quando nimirum illud sequitur. Hæc enim bona pars est reliquiarum imaginis Dei in homine post lapsum, notiones de Deo in mente & conscientia, quam etiam gentes maximè barbaræ sentiunt. Quemadmodum igitur Iudæi ex lege Mosaica, ita gentiles ex lege naturali mentibus & conscientiæ ipsorum insculpta puniuntur quotiescunque peccant, ita ut neutra pars hoc in genere à judicio Dei sit exemta. Adijcit autem denuò & postremo loco, quando illæ peccatorum vindiciæ futuræ sint, nimirum,* in die extremo, *cujus crebrò repetita mentione homines vel maximè à peccatis absterrere voluit, siquidem in hoc seculo multa & occultè perpetrantur & impunita relinquuntur. In illo autem novissimo judicio, manifestationem fore ait eorum, quæ hic secretò committuntur, & quidem manifestationem* secundum Evangelium suum per Jesum Christum, *notans & judicem ipsum Christum Iesum, & normam judicij, doctrinam videlicet suam de Christo*

Quomodo gētes sibi ipsis sint lex?

& sententiam judicis in Evangelio descriptam; Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam, qui non credit, ira Dei manebit super eum. Et hoc vocat Apostolus Evangelium suum, quia doctrina Apostolica cum doctrina Christi consentit.

Paraphrasis hujus partis.

LIcet ergò talis & tanta sit impietas & iniquitas gentilium, nemo tamen sibi facilè sumat de aliis judicium, quasi ipse omni peccato careat. Nam si tu, Judæe, tibi videris probior esse, quia fortasse extrinsecus es aliquantò melior gentilibus, quos superciliosè cōtemnis, vide ne teipsum condemnes, qui in occulto agis eadem, quæ illi in apertâ luce. Deus autem non tantùm manifesta crimina, verùm etiam quæ in occulto fiunt, justè judicat. Neque est, quod existimes, te effugiturum Dei judicium, eò quod pœnæ peccatorū tuorum differuntur. Non enim propterea immunis es à peccato, sed est hæc pars longanimitatis Dei, qui tibi spatiū relinquit pœnitentiæ, qua si tu pervicacia tuâ fueris abusus, ecce tantum abest, ut pœnam peccatis tuis debitam sis evitaturus, ut pòtius metuendum sit, te indignationem iræ divinæ magis magisq; adaucturum, pœnarumq; cumulum in immensum aggravaturum, in die illo magno extremæ ultionis, ubi omnia occulta cordium revelabuntur à Deo justo judice, qui juxta testimonium operum suorum unicuiq; retribuet, pijs & in bono perseverantibus gloriam & honorem nullo fine terminandum; impiis autem & in corruptione sensuum suorum præfractè ambulantibus confusionem & ignominiam perpetuam, absq; ullo populorum discrimine, sive Judæi.

dæi ſint, ſive gentiles. Neque eſt, quod Deum injuſtitiæ arguas, quod populos adeò inæquales æqualiter punire dicitur: Deus enim abſque προσωποληψία peccatores judicat. Et quanquam in eo differant gentiles & Iudæi, quod hi Legem à Deo per Moſen acceperint, iſti non item: in eo tamen pares ſunt, quod utrinque graviter peccatum fuit. Deus enim non reſpicit perſonam, aut privilegium hoc legis Iudæis latæ, ſed facta eorum, qui legem acceperunt. Proinde ſicuti Deus in noviſsimo die, in quo revelabuntur per Chriſtum, ſupremum illum orbis terrarum judicem, omnia in occulto facta, peccata Iudæorum à lege Moſaica exorbitantia judicabit: ita etiam peccata gentilium contra legem naturæ perpetrata, quam ipſi nequiter, reluctante, & meliora ſuadente conſcientiâ, apertè fuêre tranſgreſsi, damnabit, idq; juxta teſtimonium ejus doctrinæ meæ, in qua teſtificatus ſum publicè, Chriſtum fore judicem vivorum ac mortuorum.

Quæſtiones ex hac parte.

QUÆSTIO I.

Cum Paulus dicat, eum, qui judicat aliũ, ſeipſum condemnare: videtur judiciũ aut opinionem de proximo omnino prohibere: ita verò tolleretur quo ad nos omne diſcrimẽ honeſtorũ & turpium, quia qui manifeſtè ſceleratũ pro tali haberet, ſeipſum ex ſententia Apoſtoli noſtri condemnaret?

Reſp. *Diſtinguendum 1. eſt inter judicium diſcretionis &*

judicium temerariæ usurpationis. Judicium discretionis est, quod non tãtùm ab ordinario legitimoq; magistratu legitimè exercetur, sed & à qualibet privata persona in aperto proximi peccato; & ubi peccati signa adsunt evidentia. Ita apertè & actu blasphemus pro tali meritò habetur, secus violaretur octavum præceptum. Tale igitur judicium non est interdictum, sed potius mandatum. Nam qui justificat impium & condemnat justum, abominabilis est uterq; apud Deum Prov. 17, 15. & væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum Esa. 5, 20. Aliud autem est judicium temerarium & usurpatum contra caritatem Christianã, quod Christus vocat judicium secundũ carnẽ Ioh. 8, 15. quod fit; primùm, *cum non studio emendandi proximũ aliorũ peccata judicantur aut arguuntur, sed vel ex fastu aliquo, vel ex odio proximi, vel cũ libidine reprehendẽdi, vel ex præsumtione singularis alicujus sanctimoniæ, quo respectu Christꝰ Pharisæis dixit judicãtibus adulterã, qui inter vos sine peccato est, primũ projiciat lapidẽ in ipsam Ioh. 8, 7.* deinde *cum factum solũ consideratur absq; circumstãtijs, quæ facti speciẽ mutare possunt; absq; fine vel origine ipsius facti, & absque intentione facientis, quæ omnia factum vel excusare vel extenuare possunt, qualia erant judicia Pharisæorum de Christo sanante in Sabbatho: hoc est ante tempus judicare 1. Cor. 4. & prohibetur non tantum hoc in loco, sed & alibi, inprimis autem à Christo Luc. 6.* deniq; *cum rectè facta per calumniam depravantur, fit non modò temerarium, sed & malitiosum judicium, quod plerunq; ab ijs proficiscitur hominibus, qui sibijpsis vel eiusdem sceleris, quod alteri impingunt, vel similium sunt conscij: de his scribit D. Jacobus, qui judicat fratrem, judicat legem, quia nimirum actiones juxta legem institutas condemnat Jac. 4. De hisce temerarij judicij speciebus vide August. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 27. & ho-*

mil.

mil. 50. scribit: Noluit Deus hominem ab homine judicari, ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultrò confessum, sive accusatum atque convictum. 2. *Deinde discernendum est inter forum Soli & forum Poli. Qui legitimè judicat de aliorum delictis, non quidem semper ejusdem delicti reus est in foro Soli: reus tamẽ est in foro Poli, generali ratione, quia qui peccat in uno, reus est omnium Jac. 2, 20. Ergo qui alium propter delictum condemnat, cogitet, se quoq; esse hominem, nec dari posse ullum, qui faciat bonum & non peccet Eccles. 7, 21. ita omne judicium lenitate atq; ἐπιεικείᾳ Christiana temperabitur.*

QUÆSTIO II.

Quomodo homo per impœnitentiam thesaurizare sibi potest iram, cum neq; pœnitentia neq; conversio sit in nostris viribus, sed Dei opus, juxta illud Ierem. 31. converte tu me Domine & convertar?

Resp. Conversio quatenus primam hominis restitutionem in integrũ notat, quâ ex filio iræ fit filius gratiæ, omninò & in solidum est solius Dei opus, ubi homo se pure passivè habet, neq; ad gratiam Dei sese applicare aut disponere, neq; quidquam aliud ad sui conversionem facere potest. Et hic simpliciter locum habet illud Christi Iohan. 6. nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum: sed quia Deus neminem violenter trahit, aut arcano quodã instinctu seu ἐνθουσιασμῷ, sed per verbum, quod homini etiam nondum converso offert, potest ibi sanè homo & Conversio solius Dei opus.

 solet

solet naturaliter reluctari verbo, & sui conversionem ad tempus impedire, quemadmodum Pharisæi faciebant, consiliū Dei adspernantes contra seipsos Luc. 7. Cum ergò homo verbum habere & audire possit, & verò Deus voce præconis sui stans ad ostium & pulsans non modò non admittitur; verùm etiam cum indignatione reijcitur, ibi tum magis magisq; accumulatur ira Dei. Quam ob causam de Capernaitis & inquilinis Corazin & Bethsaidæ dicit Christus, multò gravius ipsorum fore supplicium in novissimo die, quàm cæterarum civitatum, in quibus neq; tanta copia verbi, neq; tantus splendor miraculorū Christi apparuit Matth. 11. Deinde verò conversio sumitur pro pœnitentia, quando vetus homo de die in diem renovandus est, ubi homo jam conversus reluctari potest carni & cooperari Spiritui sancto, ad bonum propagandum, ad malum verò fugiendum, instiganti, impellenti, inflammanti; cooperatur autem non ex viribus suis, sed ex dono Dei illuminantis ipsum, quod cum non facit homo, Spiritus sancti operationem & impulsum non admittit, admonitionem unam post alteram negligit, carnisq; cupiditatibus indulget; jam multò gravius impingit in bonitatem Dei, duriusq; sibi accelerat judiciū, eò quod Spiritui sancto intrinsecus operanti pertinaciâ suâ & sceleratâ peccandi libidine obicem posuit, penitusq; hospitem tam pretiosum fugavit.

QUÆSTIO II.

Testatur Apostolus noster & hoc loco & infra cap. 9. Deū multâ patiētiâ & longanimitate tolerare peccatores & differre pœnas: cū autem multi eâ longanimitate Dei abutantur

adlib

ad licentiã peccandi, quotidie deteriores fiant, interdum etiam prorsus indurentur, haud abs re quæritur, an non Dei longanimitas hoc pacto fiat caussa istius contumaciæ & indurationis: quæ certè non subsequeretur, si Deus statim principijs peccatorum debitis obstaret pœnis?

Resp. Ad hanc quæstionem eleganter respondet Augustinus serm. 88. de temp. Illud firmiter primò credendum est, inquit, quod nunquam Deus hominem deserit, quin prius ab eo deseratur: quin etiam diu expectat peccatorem, ut convertatur & vivat, cum verò in peccatis suis permanet, ex multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione autem obduratio generatur. Et post pauca: obduratio itaq; non Dei potentia compellente efficitur, sed Dei remissione & indulgentia generatur, & ita Pharaonem non divina potentia, sed divina patientia credenda est obdurasse. Hæc ille; ex quibus colligitur, fieri hoc ex accidente, quod longanimitate Dei abutens homo ex malo fit deterior: per se enim hominis conversio intenditur & quæritur; non induratio, quæ vitio hominis recedit, Deo invito: idq; D. Augustinus exemplo vernaculorum declarat, qui cum nimis remissè aut satis delicatè tractantur, plerumq; pejores evadunt, de quibus cum heri dicunt: ego te mea indulgentia talem feci, non hoc dicunt, quod sua voluntate tales facti sint; sed quod abusi bonitate & indulgentia heri propter improbitatem suam peiores evaserint. Ad illud autem, cur Deus non à principio statim pœnâ peccatoribus resistat, ita re-

ita respondet Augustinus libro dicto, cur Deus non ita omnes misericorditer flagellet, ut non contra se obdurari permittat, aut illorum iniquitati, qui obdurari merentur, adscribendum est, aut referendum ad inscrutabilia Dei judicia, quæ sæpè sunt occulta, nunquam tamen injusta.

QUÆSTIO IV.

D. Paulus conjungit hîc duritiem & impœnitentiam cordis v. 5. numquid ergo unũ & idem peccatum est, induratio, & impœnitentia? hac verò ratione omnes peccatores impœnitentes nominandi essent indurati, id quod absurdum est, siquidem non in omnibus impœnitentibus sunt omnia requisita hominis indurati?

Duplex impœnitentia.

Resp. Impœnitentia duobus modis considerari potest. Interdum est simplex perseverantia in malo, absq; malitioso proposito ex consuetudine aliqua peccandi, & quotidiana dilatione emendationis, ubi tamen propositum emendandi vitam adhuc adest: & hæc est vel temporanea, quæ adbuc ante mortem corrigitur, vel perpetua, quæ ad ultimum usq; vitæ terminum durat. Talis impœnitentia cum induratione nondum pari passu ambulat: sed induratione latior est, neq; in sese peccatum, sed conditio seu adjunctum peccati est. Et de taliter impœnitentibus adhuc benè sperari potest, quamdiu in vivis sunt, ubi autem signa indurationis apparent, jam fermè actum & desperatum est. Interdum impœnitentia significat propositum perseverandi in malitia, cum ipsa perseverantia finali conju-

Ctum-

ctum: & eâ qui laborant, dicuntur habere cauteriatam conscientiam 2. Tim. 3. reprobamq; mentem Rom. 1. quæ nullo amplius sensu ducitur comminationum divinarum. Tales cum induratis hoc loco conjunxit Apostolus noster, qui & patientiam Dei in tolerandis malis contemnunt, & stimulos ac judicium propriæ conscientiæ accusantis ipsos petulanter prosternunt. Et de hac postrema specie dicit Dominus Apoc. 2, 21. dedi ei spatium pœnitentiæ, & non vult pœnitere. Hoc inde est, vel quia non credunt Deum esse aut Diabolum, vel quia gloriantur de amplissima damnatorum societate. Tales inprimis describuntur Sap. 1. & 2. &c.

QUÆSTIO V.

Numquid ergo Impœnitentiam simpliciter vocare possumus peccatum in Spiritum sanctum?

Resp. Ita quidem statuit D. Augustinus serm. 11. de verbis Domini in monte, & Epist. 50. ad Bonifac. lib. 4. contra Crescon. cap. 8.

[Sententiam Augustini amplectitur Pererius disp. 2. in hoc caput num. 26.]

Sed, quod cum venia tanti Doctoris dixerim, minus commodè. Nam peccatum in Spiritum Sanctum tantùm est in fide & doctrina Hebr. 10, 28. impœnitentia autem omni peccato accidere potest. Impœnitentia esse potest etiam in peccato ignorantiæ: peccatum in Spiritum sanctum non nisi pleno mentis & voluntatis consensu perpetratur. Impœnitentia etiam finalis interdum fit cum luctâ mentis, quæ emendationem vitæ sibi proposuerat: quale propositum in peccantibus in Spiritum sanctum non reperitur. Est igitur impœnitentia finalis non ipsa

Peccatum in Spiritum sanctum non est ipsa impœnitentia.

R blasphe-

blasphemia in Spiritum sanctum, sed adjunctum potius aut effectum hujus peccati, quod semper cum induratione conjunctum impœnitentes reddit.

QUÆSTIO VI.

Promittitur perseverantibus in bono opere, honor, gloria, & vita æterna v. 7. quæritur, an intuitu æternæ mercedis benè operari liceat?

Resp. Concilium Tridentinum sess. 6. can. 31. cap. 16. promiscuè damnat eos, qui negativam in hac quæstione tuentur. Ita enim habent verba Canonis: Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema sit. *Et ita nostros docere scribunt Bellarm. lib. 5. de justif. cap. 8. & Pererius disp. 3. in cap. 2. ad Rom. num. 32. p. 268. Sed expedita res est, si distinguamus inter mercedem meritoriam, & gratuitò promissam. Hoc enim est, quod ex scriptura constanter negamus, hominem propterea benè operari debere, quia operibus ejus vita æterna debeatur, ut meritum ex condigno, seu ex vera & propria ratione meriti, quemadmodum Pontificij contendunt. Id enim scripturæ multis modis est contrarium, quæ testatur, nos etiam in perfectißimis operibus nostris esse Dei debitores: ubi ergò debitum, ibi nullum habet locum meritum, multo minus Deus nobis ex debito obligatus est, ad reddenda præmia pro bonis operibus. Hinc sunt illa scripturæ dicta: cum omnia feceritis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus Luc. 17. & : non estis vestri, pretio enim emti estis 1. Cor. 9. debitores sumus, non ut secundum carnem vivamus, Roman. 8. 12. 2. docet opera nostra*

stra propter corruptionem naturæ nostræ, & summam legis ἀκρίβειαν esse valdè imperfecta: ergò quod præmijs ornantur, id sane non est ex debito justitiæ, sed ex gratia misericordiæ divinæ; Lex enim dicit, qui non permanserit in omnibus, quæ in lege scripta sunt, maledictus esto, Deut. 27. Evangelium autem benedictionem promittit operibus etiam imperfectis, modò ex fide profectis 1. Tim. 4. Apoc. 3. 3. dignitatem æternæ gloriæ operibus & passionibus nostris expreßè derogat Roman. 8. 4. docet illa opera non esse nostra, sed Dei per nos operantis 2. Cor. 3. ergo Deus præmijs ornat non nostra merita, sed sua dona. Hactenus igitur peccatum esse dicimus ob caussas jam modò indicatas, si quis benè operaretur intuitu mercedis ex condigno nobis debitæ, hoc est, ut operibus suis aliquid mereri cupiat, & præmium à Deo, quasi debitum meritorium, jure quodam exigat: opponuntur enim gratia & debitum Rom. 4. Interim non negamus, homines excitandos esse præmijs benè operantibus ex gratiâ promißis. Quo pertinent omnia ea dicta, quæ longo catalogo à Bellarmino & Pererio locis allegatis laudantur. Scimus enim habere pietatem promißiones hujus & futuræ vitæ; sed promißiones ex solâ Dei gratia, nullis nostris meritis dependentes. Cumq; hæc præmia gratuitò quidem promittantur, non tamen otiosis, sed laborantibus dentur: rectè fit, quod illorum sive intuitu sive recordatione studium bonorum operũ in nobis excitatur: hinc enim intelligitur, Deo etiã inchoatam nostram obedientiam tantopere placere, ut eam insuper hac in vitâ spiritualib. ac corporalibus bonis, & in altera vita æternâ gloriâ ex mera gratiâ per Christũ ornare velit.

QUÆSTIO VII.

Frequens est hæc sententia in scriptura: Reddet unicuiq; Deus secundũ opera sua Rom. 2.

Iob.34. Psal.26. Matth.16. Apoc. 22. 1. Cor.3. 2. Corin.5. in qua Pontificij pro meritis operum reperisse sibi videntur, nō quod pueri in faba: quæritur ergò, annon hac sententiâ illud inferatur, quod Deus propter bona opera, seu pro qualitate ac merito dignitateq; operum unicuiq; sit retributurus, quemadmodum hunc locum Pererius exponit disp. 5. in cap.2. Epist. ad Rom. num. 39. p. 279.

Resp. Primum *omnium extra controversiam esse judico, nusquam legi in scriptura, vitam æternam dari* PROPTER *bona opera hominum, aut quenquam propter opera sua salvari vel justificari: absurdum itaq; est, locum dubium exponere per id, quod nō modo dubium, sed omnino ignotum est in scriptura.* Deinde *precisè opponuntur in negotio justificationis & salutis nostræ opera & gratia: si ex operibus non ex gratia Rom. 11. gratiâ salvati estis non ex operibus Ephes. 2.* Tertiò *Apostolus Paulus apertè testatur, bonorum operum qualitatem sive dignitatem nullam esse respectu vitæ æternæ Rom. 8. Neq; juvat Pererium, quod dignitatem operum æstimat non ratione substantiæ, sed originis suæ, id est, quia à Spiritu sancto profecta: sunt enim Spiritus sancti opera in renatis etiā ipsorū renatorū propria, quippe qui Spirit⁹ sancti sunt συνεργοί, 1. Cor 3. & 2. Cor. 6. sunt imperfecta, sunt finita, licet essent perfectissima, ac proinde ad infinitam illam futuri seculi gloriam non æquiparanda.* Quartô, *fides & opera in negotio justificationis quoad actum justificandi directè opponuntur, licet aliàs ut*

caussa

caussa & effectus sint conjunctißima: cum ergò fidei perpetuò tribuatur beneficium justificationis, excluduntur utiq; opera, ut deinceps in hac Epistola sæpißimè audiemus. Sufficiant hæc ex multis alijs pauca, quæ absurditatem & impietatem interpretationis Pontificiæ ostendunt. Verißima ergo est nostra expositio, quod in locis illis allegatis omnibus, nihil aliud doceatur, quàm DEUM redditurum unicuiq; secundũ testimonium operum suorum. Cum enim actus judicij extremi sit futurus visibilis, fides verò proximi in oculos non incurrat, nisi per bona opera: ex operibus sanè de fide fiet judicium, & juxta illud testimonium operum pronuncietur sententia de fidelibus ac infidelibus, descripta Johan.3. Et hoc satis manifestè apparet ex loco illo classico Matth. 25. ubi processus novißimi judicij depingitur, sententiaq; pronunciatur secundum opera, uti patet ex textu, & expreßè dicitur Matth. 16,27. non autem notari vel qualitatem vel dignitatem vel meritum operum, inde constat, quod qui secundum opera Beati pronunciantur, vocantur benedicti v.34. benedicuntur autem in semine benedicto, qui est Christus: dicuntur κληρονομεῖν hæreditate poßidere regnum Dei: habuerunt ergò ex hæreditate non ex merito: regnum illud paratum eis dicitur à constitutione mundi, ubi nondũ erant, nedum benè operari poterant. Quæ omnia meritũ & dignitatem operum excludunt, & interpretationem nostram validè stabiliunt. Similia vide apud Gregorium in Psal. 7. pœnitent.

Quomodo Deus nobis tribuat secundum opera nostra.

QUÆSTIO IIX.

Cùm D. Paulus bona opera hîc tantoperè commendet, annon malè, imò hæreticè scribit Lutherus, bona opera etiam justorum esse peccata

cata mortalia, & opera etiam optimè facta esse quotidiana peccata?

Resp. Negari non potest, talia scripsisse B. Lutherum in adsertionibus articulorum à Leone Pontifice damnatorum art. 2. 31, 32. & 36. qua ut hæretica & ex Simonis Magi ac Eunomij schola profecta magnis clamoribus exagitantur à Pontificijs. Sed in sensu, non in verbis est hæresis, dicebat Hieronymus suis calumniatoribus. Integra igitur sententia diligenter inspecta ostendit, B. Lutherum ista respective pronunciasse, non de operibus in se consideratis, sed respectu judicij divini, id quod calumniatores isti per insignem Sophisticam simpliciter accipiunt. Ita enim habent verba Lutheri art. 32. ex germanico Idiomate in latinum translata: omne bonum opus etiam optimè factum est mortale peccatum, in rigido Dei judicio consideratum. Et art. 35. Nemo dubitet, omnia nostra bona opera esse peccata mortalia, si secundum rigorem judicii divini æstimentur, & non ex mera Dei gratia pro bonis acceptentur. *Ratio hujus Aphorismi verè Christiani & Apostolici est; quia lex summam à nobis requirit bonorum operum ἀκρίβειαν, & exactissimam perfectionem, quam cum nemo hominum præstare possit, opera ejus in foro justitiæ divinæ consistere non possunt: idem enim apud Deum est, imperfecta & planè nulla obedientia, juxta illud Iac. 2, 10. qui in uno delinquit, reus est omnium. Ideò David precatur Psal. 143, 2. Ne venias in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quod si ad imperfectionem illam operum bonorū accedit insuper opinio meriti, jam non amplius Lutherus, sed Paulus noster, ea non peccata tantùm, sed quod majus est, σκύβαλα* & *ζημίαν nominat Phil. 3. licet videantur extrinsecus justissima. Esaias insuper omnes suas justitias respectu imperfectionis panno menstruatæ adsi-*

Opera bona quomodo dicantur esse peccata.

adſimilat Eſa.46. Ex quibus ſcripturæ fundamentis D. Auguſtinus ſcripſit lib.9.Confeſſ. cap.13. quem locum crebrò allegat Lutherus: Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam. *Et D. Gregorius in cap. 9. Iobi, iiſdem verbis utitur, quæ ex Gregorio Lutherus noſter mutuatus eſt.* Sanctus Job videbat, *inquit*, omnia noſtra bona opera eſſe mera peccata, ſi judicantur à DEO: ideò dicit, ſi voluerit homo contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille. *Sic igitur calumnijs Pontificiorum per jugulum Lutheri, ipſius Spiritus ſancti & orthodoxorum patrum doctrina, unde adſertionem ſuam habet & defendit Lutherus, petitur. Diſtinguendum autē eſt inter actiones ſeu ipſa opera, quæ legi conſentiunt, & inter imperfectionem & opinionē meriti, quæ duo operibus adhærere poſſunt, vel in ſcholis loquuntur, inter opera materialiter, & formaliter conſiderata. Priori reſpectu, ſeu materialiter bona ſunt, quia legi conſentiunt; poſteriori ſeu formaliter virtutes dici non poſſunt, quia partim cum ἀκριβείᾳ legis, quæ ſummam perfectionem requirit non conveniunt, partim fini legitimo repugnant: is enim eſt, non mereri aliquid, ſed Deo proximoq; ſervire. Et hoc diſcrimen agnovit ipſe Lutherus in cap. 5. ad Gal. ubi ſcribit.* Paulus non agit de ipſo opere per ſe, quod ſine opinione juſtitiæ nihil obeſt: ſed de fiducia & juſtitia operi adjecta. *Et cap.3.* extra cauſſam juſtificationis nemo poteſt verè bona opera ſatis magnificè commēdare: quis vel unius boni operis, quod Chriſtianus ex fide & in fide facit, utilitatē & fructū ſatis prædicare poteſt? eſt enim pretioſius quàm cœlum & terra &c. *Vnde conſtat, Lutherum noſtrum, neque Legis neq; bonorum morum contemtorem fuiſſe, quod Simoni Mago & Eunomio, (quorum hominum hæreſis per calumniam Beato Patri ſatis*

Auguſtinus.

Gregorius.

Opera materialiter & formaliter conſideranda ſunt.

Lutherus de bonis operibus.

Vide Irenæum lib. 1. cap. 20. & Euseb. lib. 2. cap. 13.

satis impudenter affingitur) tribuunt scriptores Ecclesiastici: sed ad exemplum Prophetarum & Apostolorum, ut & orthodoxorum Patrum hoc suo pronunciato Iustitiæ fidei suam integritatem adseruisse.

QUÆSTIO IX.

Apertè fatetur Apostolus v. 13. factores legis justificabuntur; nunquid hoc non est patrocinari justitiæ operum; aut quomodo secum ipse consentit Apostolus, qui infrascribit, ex operibus legis non justificabitur omnis caro Rom. 3, 20. Gal. 2, 16. & Gal. 3, 21. non est data lex, quæ possit vivificare?

Pontificiorum certamina de certo sensu dicti Paulini: factores legis justificabuntur. Bellarminus Stapletonus.

Resp. Mirè digladiantur invicem Pontificij in interpretatione hujus loci. Bellarminus lib. 2. de justificat. cap. 16. tres affert interpretationes. Aut enim justificationem illam intelligit de augmento justitiæ, quam alibi vocat justificationem secundam, ut sensus sit: factores legis justificabuntur, hoc est, augmentum justitiæ merebuntur. Aut de nota eorum, qui legi obedirè possunt, hoc sensu: qui cupiunt verè legis esse factores, dent operam, ut justificentur: aut de declaratione justitiæ, hoc sensu, in divino judicio justi judicabuntur. Primam interpretationem agnovit etiam Stapletonus super hunc locum in antidotis Apostolicis: sed falsa & Papistica est. Nam opera etiam justificatorum nihil mereri possunt, quia sunt imperfecta, & ipsa justificantur, ut B. Lutherus loquitur in articul. Smalcal. hoc est, opus habent, ut tegantur merito Christi, non ergò possunt augmentum justitiæ mereri. Pererius etiam

disp.

disp. 7. cap. 2. Rom. hanc expositionem, ut ad hunc Apostoli locum ἀπροσδιονύσων reijcit. Secunda interpretatio est Augustini lib. de spir. & lit. cap. 26, qui eos demum legem facere docet, qui justificati sunt, ita ut non factoribus justificatio accedat, sed factores legis præcedat. Quæ sanè sententia vera est, sed ad expositionem & contextum hujus loci non satis apta. Tertia deniq; interpretatio non omnino reijci potest, quatenus opera legis sunt notæ hominum justificatorum. Ex operibus enim fides justificans, tanquam ex fructu arbor agnoscitur, & juxta testimonium bonorum operum in extremo judicio justi declarabuntur Matth. 25. stante autem hac sententia, concidit altera Pontificiorum, quasi opera legis non declarent justos, sed ex injustis justos faciant per infusionem novarum qualitatum. Pererius similiter quatuor opiniones de hoc loco inter se confert, & tandem pro ea concludit, quæ vocabulum justificationis pro declaratione Iustitiæ interpretatur, pag. 295. Sed non est opus prolixa circuitione. Vt enim hic locus cum alijs Apostoli concilietur, in quibus operibus legis omnis nostra justificatio simpliciter derogatur, distinguendum est inter dicta legalia & Evangelica. Dicta legalia ostendunt, quid Deus à nobis requirat, quidq; nos præstare debeamus, præstare autem, propter corruptionem naturæ, non valemus. Et talia justitiam certò pollicentur, sed non nisi cum conditione perfectissimæ obedientiæ, qualia sunt Levit. 18, 5. faciens leges meas, vivet in eis, Ezech. 21, 11. faciens homo judicia mea, vivet in eis Matth. 19, 17. si vis ingredi ad vitam, serva mandata, Luc. 10, 28, fac hoc & vives: & hoc nostrum, factores legis justificabuntur. Evangelica dicta promittunt justitiam & vitam credentibus in Christum, absq; conditione operum, qualia sunt illa ex Paulo allegata Rom. 3, 20. Gal. 2, 16. 3, 21. Legalia Evangelicis minimè sunt contraria: Verissimum enim est, factores

Pererius.

Dicta legalia & Evangelica distinguenda.

Legalia dicta Evangelicis non sunt contraria.

ctores legis justificari, si perfectè illam implerent: quod cum in hac imbecillitate naturæ sit impossibile, sequitur Evangelica illa sententia; non esse legem, quæ vivificare posset; & justificari nos non ex operibus sed fide tantum. Rom. 3.

QUÆSTIO X.

Dicit Apostolus, gentes legem non habuisse, & sine lege peccasse v. 12. 14. quæritur ergo, num lex Mosis nullas alias gentes obligarit, quàm Hebræos?

Pererij paradoxon: legé moralem tantum genti Hebreæ latam esse.

Resp. De lege ceremoniali & forensi non est dubium, quin ad populum Hebræum duntaxat pertinuerint: erant enim hoc modo latæ à Deo, ut durarent usq; ad Iohannem Matth. 11. ideò exhibito Meßia, cessarunt Levitarum Ceremoniæ, & forensis ratio Reipublicæ Iudaicæ desijt: sed de lege morali quæstio est, quæ in decalogo Mosaico continetur. De hac scribit Pererius Esauita disp. 6. in cap. 2. Rom. v. 44. Lex Mosis non alij genti, quàm Hebræorum lata est, nec alios nisi Hebræos tantùm obligabat: & hoc impudentißimo pronunciato refutare audet Ambrosium, qui scribit super hunc locum Apostoli nostri, gentiles non credentes ideò reos futuros coram Deo, quia legem Moysis accipere noluerunt. Pronunciati sui has rationes habet Esauita. 1. quia nuspiā legitur in sacris, mandatū Mosi aut ulli Prophetarum, ut legem Iudaicam promulgaret gentibus, quemadmodum quidem de promulgando evangelio præceptum habuerunt Apostoli Matth. 28. Marc. 16. 2. quia David ait, Deum justitias & judicia sua annunciasse tantum Israeli, non alijs nationibus Psalm. 147. 3. quia circum-

προοχήματα hujus paradoxi.

cisio

cisio tantùm ad Iudæos pertinebat, in qua tamen continebatur obligatio istius legis Mosaicæ observandæ, teste Paulo Galat. 5. Verum enim verò, quamplurima sunt, quæ hanc Pererÿ opinionem falsitatis & impietatis arguunt. Primùm *enim certum est, notitias naturales gentibus in prima creatione insitas cum Decalogo Mosaico exactè convenire: ideò vocat Paulus noster notitias illas opus legis in cordibus gentilium scriptum: decalogus autem est publica illarum notitiarum declaratio: quos ergò notitiæ naturales obligant, hos etiam decalogus: notitiæ naturales omnes homines, etiam gentiles obligant: ergò & decalogus.* Deinde, *Lex de diligendo Deo & proximo obligat etiã gentiles, id quod communis ratio dictat. Lex moralis Mosaica est lex de diligẽdo Deo & proximo Matt. 22. Ergo obligat etiam gentiles.* Tertiò, *In quibus transgressio legis punitur, hos ipsa lex obligat. In gentibus punitur transgressio legis moralis, ut patet ex cap. 1. Rom. ubi dicitur, ira Dei revelari super talia peccata, quæ in decalogo expressè sunt prohibita, item ex Ephes. 6. 1. Cor. 6. exemplo Herodis Matth. 13. &c. & de Cananæis scriptũ est, quod propter incestum & libidines (quæ sunt contra legem Mosis) puniti fuerint, Levit. 18, 24. Ergò.* Quartò, *Leges, quæ Hebræum duntaxat populum obligabant, non habent locum in Novo Testamento. Sed Lex moralis Mosaica subinde repetitur, explicatur & inculcatur in Novo Testamento à Christo & Apostolis Matth. 5. 6. 7. Rom. 13. Ephe. 6. Gal. 5. Ergo non tantum Hebræum populum obligat.* Quintò, *à quibus etiam gentiles, quorum mens non est prorsus reproba, naturâ abhorrent, eorum opposita etiam gentiles attinent. Sed à sceleribus in lege Mosaica prohibitis etiam gentiles abhorrent: quod exemplo incestus probat Apostolus 1. Cor. 5, 1. ergò oppositæ virtutes unà cum sua norma etiam gentiles attinet.*

Refutatio.

Lex moralis etiam ad gentes pertinet.

Præcepta gentilium erant, inter cætera & hæc.

Ne maneas cœlebs, pereas ne inglorius olim: Vxorem ne destituas, ne pollue prolem. Et Gell. lib. 20. cap. 1. Qui falsum testimonium dixerit, de saxo præcipitetur.]

Rationes Pererij duplici distinctione solvuntur. 1. distinguendum est inter publicum ministerij exercitium & Propheticum Doctorum Ecclesiæ officium: Illud in veteri Testamento tantum erat penes populum Israeliticū, in quo habuit DEVS & focum & ignem suum, & cui concredidit eloquia sua Rom. 3, 2. cujus erat adoptio, gloria, testamentum, legislatio seu externa legis promulgatio Rom. 4, 9. & taliter non fecit omni nationi; non enim inter omnes gentes publicum & ordinariū habuit ministerium, sicuti postea tempore Novi Testamenti factum. Jnterim tamen, quando Prophetæ etiam gentilium vitia perstrinxerunt, nullam aliam habuerunt normam, quàm legem moralem Mosis, ut patet inter alia ex Esa. 34, 16. & Ezech. 22, 10. Amos 2, 7. 2. distingendum est inter leges morales, ceremoniales, ac forenses. Illæ vocantur præcepta, istæ, ceremoniæ, hæ, judicia Deut. 6, 1. Iam verò David in Psalmo 147. non de præceptis, sed de judicijs loquitur, hoc est, de statutis ac legibus forensibus ad Rempublicam Iudaicam in specie accommodatis: Præcepta enim Domini, ob rationes iam modò allegatas, sunt universalia, quæ omnes omninò homines obligant, sic circumcisio quoq; de qua in ratione tertiâ, ad leges ceremoniales pertinebat, hodie enim abrogata est Col. 2. ideò non nisi Iudæos obligabat. Continebat autem obligationem totius legis servandæ, quia erat signum fœderis inter Deum & hominem; fœdus autem illud gratiæ nullum erat, nisi lex impleretur idq; vel ab eo, qui circumcidebatur, vel, quia hoc ipsi erat impossibile, ab alio, nimirum Christo, semine promisso, quem circumcisi fide apprehendebant, ideò circumcisio dicebatur signaculum Iustitiæ fidei Rom. 4. Non ergò sequitur

quitur: gentiles non sunt circumcidendi, ergo lege Mosis morali non obligandi; quia circumcisio non est pars legis moralis, sed observatio legis moralis est circumcisionis conditio, vel ab his, quibus circumcisio præcepta est, vel à Christo necessariò præstanda. Relinquitur ergò, legem Mosis moralem ad omnes pertinere homines, omnesq; obligare, modò hoc observetur; in lege morali, quemadmodum in Mose proponitur, quædam reperiri ceremonialia, quæ tantùm Hebræos obligāt, quale est in præcepto tertio, de celebrando die septimo: in quarto id, quod attexitur de terra Chanaan, & sic consequenter. Vbi regula notanda est: Morale est in decalogo, quicquid convenit cum notitijs naturalibus: quicquid in pleno usu reperitur in Novo Testamento: & quicquid Prophetæ ostendunt etiam ad gentes pertinere: quæ ex his tribus non sunt, inter ceremonialia sunt referenda.

Lex moralis habet quædam ceremonialia.

Regula de decalogo probè observanda.

Quando autem Apostolus noster scribit, gentiles legem non habuisse, id de externa promulgatione legis intelligit, hoc enim respectu, legislationem penes Israelem fuisse scribit Rom. 9,2. habuerunt autem legem cordibus suis inscriptam, ut ipsemet exponit hoc capite v. 14.

QUÆSTIO XI.

Si gentes non habuerunt legem, ut scribit Paulus noster v, 14. quomodo peccare potuerunt sine lege, ut idem scripsit paulò antè v. 12. cum omne peccatum sit transgreßio legis dicente D. Iohanne 1. Iohan. 3. & quomodo constabit universale illud pronunciatū Regij

Propheta Psal. 119, 119. prævaricatores reputavi omnes inhabitantes terram?

Lex Dei triplex juxta Augustinum

Resp. Movet hanc quæstionem Augustinus in enarratione Psalmi 119. concione 25. ibiq; respondet, distinguendo inter triplicem legem Dei. Una est in Paradiso data homini, & in ipso toti posteritati, videlicet, de prohibita arbore: & hujus legis prævaricatores sunt omnes filij Adam: omnes enim eramus ille unus homo, inquit Augustinus lib. 1. de remiss. peccat. cap. 10. & in hoc primo parente genus humanum velut in radice putruit, & ariditatem traxit in ramis, scribit Gregorius lib. 7. Epist. 53. fuit enim Adam & in illo fuimus omnes; perijt Adã & in illo perierunt omnes, ait Ambros. lib. 7. in Lucam. Secunda lex est naturalis omnibus hominibus in prima creatione insita, secundum quam quilibet scit discrimen honestorum & turpium, de qua ex professo agitur in hoc capite. Tertia est lex in literis promulgata ministerio Mosis, & à Deo ipso in duas tabulas inscripta. Secundum hanc tertiam speciem gentiles dicuntur non habuisse legem; promulgatio enim illa Israelitis in deserto Sinai facta est Exod. 20. juxta primam autem & secundam speciem omnes sunt prævaricatores legis, & peccarunt contra legem quotquot peccarunt: partim, quia Adamus peccando cõtra legẽ in Paradiso omnẽ suam stirpem in seipso, tanquam in radice vitiavit, ut loquitur Anshelmus in cap. 5. ad Rom. partim, quia dictamen rectæ rationis violarunt, quod cum lege Mosaica coincidit.

QUÆSTIO XII.

Cum lex naturæ eadem sit, cum ea, quæ scri,

ſcripta fuit in tabulis Moſaicis, quid opus fuit eam demum tabulis inſcribi?

Reſp. Etſi Deus factorum ſuorum rationem reddere tenetur nemini, poſſunt tamen quatuor facti hujus rationes adferri, 1. quia (ut Ambroſius loquitur Epiſt. 71.) propter inobedientiam prærogativa naturalis legis corrupta atq; interdicta eſt, ideò ſcriptum legis teſtimonium eſt neceſſarium, ut vel partem habeat, qui univerſum amiſerat, & cui perierat quod naſcendo aſſumſerat, diſcendo ſaltem cognoſceret & cuſtodiret. 2. quia Deus hac nova legis promulgatione docere voluit, ſe, ut naturæ, ita notitiarum naturalium, quin & omniū bonarum legum inter homines inventarum autorem eſſe; ipſe enim hominem ab initio rectum condidit, adiecitq; mandata & præcepta, ſicut Siracides ſcribit cap. 13, 14. 15. 3. quia voluit Deus extare publicam vocem judicij adverſus peccatum, ut conſtaret, neminem caſu puniri, ſed iram Dei de cœlo revelari, ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum Rom. 1. 4. quia voluit Deus extare inter homines expreſſam normam vivendi: non enim delectatur ἐθελοθρησκείαις: ſed in præceptis meis ambulate, & judicia mea cuſtodite & facite ea; inquit apud Ezech. 20, 19.

Cur lex naturæ nota ſcripto fuerit comprehenſa in decalogo?

QUÆSTIO XIII.

Quando Apoſtolus ſcribit, gentiles naturâ feciſſe ea quæ ſunt legis, annō patrocinatur Pelagio, qui hoc loco abuſus perfectionem naturalem gentibus tribuebat: aut Pontificijs & Synergiſtis, qui gentiles ex proprijs ſuis viribus

bus aliquid ad sui conversionem afferre posse contenderunt?

Resp. Nihil omninò. Errant enim qui ita sentiunt, partim in quantitate, partim in qualitate operum gentilium. In quantitate errat Pelagius, Non enim dicit Apostolus, gentiles νόμον fecisse, id est, totam legem implevisse, hoc enim ne quidem renatis est possibile, ut suo loco audiemus: sed τὰ τοῦ νόμου, alis quæ legis; quædam enim facta cum laude conjuncta præstare potuerunt ethnici; omni vacare culpa non potuerunt, propter extremam naturæ corruptionem. In qualitate errant cæteri: Non enim loquitur Apostolus de operibus gentilium in rebus spiritualibus: in ijs enim omnem ipsis ἰδιότητα & ἱκανότητα ademit alibi 1. Cor. 2. & 2. Cor 3. sed de operibus externis & ad gubernationem locomotivæ pertinentibus, quæ ad fidem & conversionem hominis nihil prorsus faciunt.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. Iudicium privatum incipit à seipso: quilibet enim quod in se ipso reprehendat, semper invenit: unde Christus graviter objurgat eos, qui festucam in oculo fratris vident, & trabem in oculo proprio non animadvertunt Luc. 6, 41.

2. Regula ex lege naturæ depromta est: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quæ omnium optimè temeraria de alijs judicia cohercet, ex qua Salvator privatos & inordinatos hominum affectus castigavit, loco dicto Luc. 6.

3. Apud Deum nulla potest esse injustitia: sed juxta veritatem

ritatem judicat, etsi judicium ejus rationi nostræ repugnet: cogitationes enim Dei non sunt cogitationes nostræ Esa. 55. Suspendamus igitur judicium nostrū in operibus Dei: mirabile enim consilium ejus, & magnificat justitiam suam Esa. 28, 29. quinpotius, si quis in operibus Dei videtur sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens 1. Corinth. 3, 18.

4. *Temeraria hominum de se invicem judicia promerentur justum Dei de hominibus judicium: illa falluntur, hoc non fallit, illa fiunt secundum faciem, hoc secundum veritatem Iohan. 7, 24. Satius igitur est, per caritatem tolerare alios, quàm per temeritatem vindictam Dei provocare; horrendum enim incidere in manus Domini Hebr. 10, 31,*

5. *Verè nemo bonus est, nisi unus Deus Matth. 19. nam cùm multa sit malitia hominum in terra Gen. 6, 5. ipsi divitiæ bonitatis ab Apostolo nostro tribuuntur v. 4. Est enim principium & perfectio omnis boni, à quo etiam omne donum optimum, & omne bonum perfectum descendit. Jac. 1.*

6. *Vera pœnitentia non est nostrarum virium, sed solius Dei opus, qui ad eam nos invitat vel directè, per verbum; vel indirectè, per dilationem pœnæ; non enim vult mortem morientis Ezech. 18. sed si pœnitentiam egerit gens à malo, aget & ipse pœnitentiam super malo, quod cogitavit facere ei, Ierem. 18, 8.*

7. *Dilatio pœnæ non aufert, sed auget iram Dei in impœnitentibus: misericordia enim & ira citò ab eo venire possunt, & in peccatores respicit ira illius Sir. 5, 7.*

8. *Dies novissimus impiis & impœnitentibus est dies iræ, piis autem dies redemptionis Luc. 21. Illis metuendus, his exoptandus: illis exitialis, his salutaris; cujus seria recordatio odium peccati parit, juxta illud Syr. 7. memorare novissima*

& nunquam peccabis: crucem etiam & calamitates tolerabiliores reddit, quia tunc momentanea & levis nostra tribulatio, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur 2. Cor. 4, 17.

9. *Iudicia Dei in mundo nunquam quidem sunt injusta, sæpè tamen occulta: revelabuntur autem in solenni illo die judiciali, in quo Deus judicabit orbem terrarum, per virum in quo statuit Act. 17.*

10. *Nemo sibi blandiatur, quod deliquerit in occulto. Etsi enim de occultis non judicat Ecclesia: Deus tamen judicabit, & judicabunt cum ipso omnes sancti in die illo magno, in quo illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium 1. Cor. 4, 5.*

11. *Necesse est esse aliquod publicum Dei judicium, in quo cujusq; opera manifesta fiant, & impij à pijs secernantur, qui perverso mundi judicio sæpe confunduntur, tunc apparebit, quid intersit inter justum & impium, inter servientem Deo, & non servientem ei, Malach. 3, 18. quo pertinet illa separatio ovium & hircorum, de qua Christus agit, Matth. 25.*

12. *Immensa Dei bonitas est, quod non tantum vires benè operandi largitur hominibus: verùm etiam ista sua dona in nobis ex mera gratia alijs beneficijs coronat. Quo sensu Apostolus noster bonis operibus hîc tribuit vitam æternam: alibi largam retributionem in hoc & futuro seculo 2. Tim. 4, 8. 1. Tim. 4, 8.*

13. *Pertinacia in opinione, qua auditam & agnitam veritatem adspernatur, iram & indignationem Dei provocat, & ad indurationem proximus gradus est, quin & eâ puniri solet, quemadmodum exemplo Iudæorum docetur Esa. 6, 9. 10. Johan. 12, 39.*

14. *Apud Deum nulla est personarum acceptio. Non*

enim

enim est in regno Dei respectus gentis, ætatis, sexus, dignitatis, externæ honestatis, aut aliarum rerum, quibus in hoc maligno seculo persona à persona discernitur, sed oculi ejus tantùm respiciunt fidem Ierem. 5. quam qui habet, quiq; timet Deum, & operatur justitiam, acceptus ei est, quicunq; aut qualiscunq; sit Actor. 10, 35.

15. Cum ij, qui cum imperio sunt, Dij appellentur in scriptura Psal. 82. ipsorum quoq; est, imitari Deum, ne sint προσωπολῆπται, qui non causæ merita, sed personæ dignitatem attendant, quemadmodum August. προσωποληψίαν descripsit, lib 2. ad Bonifac. cap. 7, contra duas Pelagij epistolas: id enim gravissimè judicibus interdictum est Levit. 19. Deut. 1.

16. Lex naturæ & lex scripta Mosaica non differunt re ipsa: quia utriusque transgressores puniuntur æqualiter v. 12. quin imò lex naturæ fons est scriptarum legum. Excusari itaq; gentiles non possunt, eò, quod legem Mosis non habuerint: nam Lex Mosis derivata est ex fontibus naturæ suæ insitis: gravius ergò peccant, qui malitia sua fontes obstruunt, quàm qui rivulos turbant.

17. Lex absque executione est campana absq; pistillo: quia non habere bonas leges, sed ea quæ sunt legis facere, Deo placet, & Reipubl. Christianæ utile est: juxta illud Apostoli nostri, non auditores, sed factores legis justificabuntur.

18. Discrimen Legis & Evangelij non postremum in eo consistit, quod lex faciendo impletur, Evangelium credendo: lex opera, Evangelium fidem requirit. Tribuitur ergo Legi justificatio cum conditione operum, Evangelio absq; ista conditione. saltem cum inclusione fidei.

19. Conditione promissionis non impleta, nulla est pro-

missio. Cùm ergo conditio promissionum legalium desit: (infirmatur enim lex per carnem Rom. 8,3.) ideo ex lege nulla speranda est Iustitia, sed Divus Paulus eam ob causam clarè scribit, non esse datam legem quæ vivificare possit; Gal. 3, 21.

20. *Animus hominis non est instar rasæ tabulæ, cui nihil inscriptum sit, omnia autem νοητὰ inscribi possint, quemadmodum voluerunt olim Philosophi: (vide Platonem in Philebo; Aristotelem lib. 3. de anima cap. 4.) sed Deus in prima creatione legē inscripsit cordibus hominum: unde cæteræ honestarum actionum normæ & præcepta artium in vita communi promanant.*

21. *Peccatum originis non est ipsum cor hominis, ut errant Flaciani: quomodo aliàs lex cordi posset inscribi: lex enim, & legis transgressio ita sunt opposita, ut nunquam simul stare, nedum unum pro altero esse possit; distinguendum igitur vitiū à natura, in hac est lex naturæ eliter, illud est transgressio legis.*

22. *Magna vis est conscientiæ in utramq; partem: in ijs qui benè sibi sunt conscij, est juge convivium Prover. 16: in malè conscijs est perpetua carnificina: gestant enim sub pectore & judicem & reū, & accusatorem, & testem, & tortorem: quo referantur loca Sap. 17,3. seqq. Esa. 48,22. 57, 21. Iob. 15, 21. Levit. 26, 36. &c.*

23. *Habuit & Paulus noster in suis Epistolis Evangelium de Christo, quemadmodum apertè loquitur v. 16. non quidem historiam, sed doctrinam Evangelicam. Frivolum igitur & ineptum est, quod Papisticus quidam scriptorculus, ex ijs locis, ubi Paulus Evangelij sui meminit, contendit, Paulum etiam scripsisse Evangelium, sed illud esse deperditum. Ubicunq; enim D. Paulus de persona, officio, meritoq; Christi agit, Evangelium de Christo scribit.*

24. Evan-

24. Evangelium Pauli de Iesu Christo erit norma novissimi judicij: quia in Evangelio revelata est vox & sententia decisiva judicis: Qui credit in filium, non judicatur: qui non credit, jam judicatus est Iohan. 3, 18.

PARS POSTERIOR.

TEXTUS.

Ἴδε σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ, καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ καὶ καυχᾶσαι ἐν θεῷ:

Καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα, καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου.

Πέποιθάς τε σεαυτὸν ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει.

Παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων, ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ.

Ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; ὁ κηρύσσων μὴ κλέπτειν, κλέπτεις.

Ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν, μοιχεύεις; ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς.

Ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι, διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν θεὸν ἀτιμάζεις.

Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ θεοῦ δι' ὑμᾶς,

17. SI autē tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege & gloriaris in Deo,

16. Et nosti voluntatem, & probas utiliora, instructus per Legem.

19. Confidis teipsum esse ducem cæterorum, lumen eorum qui in tenebris sunt.

20. Eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in Lege.

21. Qui ergò alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?

6. Qui dicis non mœchandū mœcharis? qui abominaris Idola, sacrilegium facis?

22. Qui in Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum inhonoras?

23. Nomen enim Dei per vos blas-

phematur

βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι, καθὼς γέγραπται.

Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ ἐὰν νόμον πράσσῃς· ἐὰν δὲ παραβάτης νόμου ᾖς, ἡ περιτομή σου ἀκροβυστία γέγονεν.

Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ, οὐχὶ ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται.

Καὶ κρινεῖ ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία τὸν νόμον τελοῦσα, σὲ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου.

Οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ, Ἰουδαῖός ἐστιν, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ, ἐν σαρκὶ, περιτομή.

Ἀλλ' ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος καὶ περιτομὴ καρδίας, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι, οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ.

phematur inter Gentes, ſicuti ſcriptum eſt.

25. Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator Legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt.

26. Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur.

27. Et judicabit id quod ex natura eſt præputium, Legem cõſummans, te qui per literam & circumciſionem prævaricator Legis es.

28. Non enim, qui in manifeſto, Iudæus eſt; neque qui in manifeſto in carne, eſt circumciſio.

29. Sed qui in abſcondito Judæus eſt, & circumciſio cordis, in ſpiritu non litera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

HActenus Iudæos gentilibus in peccatis æquales fecerat Apoſtolus: jam etiam deteriores eos in quibuſdam eſſe docet, idq́; ſummâ cum gravitate, ac prudentia, quia cum populo ſuperbo & ſuperciliosō negotium ſibi eſſe ſciebat. Gravitatis eſt, quod ea omnia ipſis exprobrat, in quibus privilegium

gium præ gentibus habere videbantur, quod tamen ipsis propter turpem abusum in ignominiam jam cedere arguit: prudentiæ est, quod propria ipsorum confeßione & jactantia ipsos refutat. Duo autem sunt, in quibus eos gentilibus postponit. 1. legis acceptio. 2. circumcisio: quæ quò sublimius eos evexissent, si ijs rectè fuissent usi, eò profundius jam illorum abusus eos damnat. Appositè autem & miro artificio ista duo cōjungit Apostolus. Hæ enim erant præcipuè notæ Ecclesiæ, verbum & Sacramenta, quæ cum penes se esse gloriarentur Judæi, hinc se solos splendido Ecclesiæ titulo jactare solebant. Paulus autem ostendit tertiam notam ipsis deesse, videlicet obedientiam fidei, cujus defectus omnem ipsorum jactantiam vanam & inanem efficit. De priore Iudæorum exorbitantia agit v. 17. usq; 25, ubi primum privilegium ipsum nominat, videlicet, quod legem acceperint, & per eam in peculium Dei recepti Exod. 19, 5. & ex omnibus nationibus terræ electi fuerint Amos 5, 2. deinde multiplicem istius privilegij abusum recenset, longo catalogo. Primus abusus est, vana nominis jactantia, *quam particula δεικτικῇ, ἴδε,* Ecce, *exprimit (ita enim legendum esse monuit Erasmus non εἰδὲ)* Ecce, *inquit,* tu Iudæus cognominaris, *hoc est, civis Ecclesiæ vocaris, unus ex populo peculioq; Dei, sed vocaris tantum: talis enim nomine es, rem tua inobedientia perdidisti: peculium enim Judæis cum conditione promissum erat, si nimirum audierint vocem Domini, & custodierint pactū ej9 Exod. 19, 5. Deut. 29, 32. 2.* Inanis legis ostentatio: Requiescis, *inquit,* in lege, *hoc est, contenstatus, legem tibi latam esse, licet à te nunquam observatam 3.* inutilis de Deo gloriatio: Gloriaris in Deo, *hoc est, jactitas te Dei esse populum, neq; similiter fecisse Deum omni nationi Psal. 147. sed jactitas tantum ista,* [illegible] *vitam*

vitam verò populo Dei prorsus indignam agis. 4. Vana scientiæ jactantia. Nosti, *inquit*, voluntatem ejus: *quasi dicat, gentiles non nisi potentiam & æternitatem, hoc est, essentiam Dei norunt, quòd suprà τὸ γνωστὸν θεοῦ appellaverat, tu verò insuper voluntatem Dei de salute generis humani, & quomodo coli velit, nosti, sed theoriam duntaxat & scientiam voluntatis divinæ habes, non praxin.* 5. Periculosa conscientiæ læsio. Probas utiliora per legem instructus, *quasi diceret, sciens volensque legi contraniteris, quotiescunque aliena à vocatione tua facis, ita ut satius esset, te neque legem neque voluntatem Dei unquam scivisse.* 6. Temeraria confidentia erudiendi alios, *quam sibi vel imprimis tribuebant Iudæi; præsertim Pharisæi, quia propterea 1. Tim. 1, 7. vocantur νομοδιδάσκαλοι, qui tamen non intelligebant, quid loquantur, vel de quibus adseverent. Penes hos erant Synagogæ, in quibus non Ciceronis Paradoxa, non Platonis Politica, non Aristotelis Ethica legebantur præcepta, sed tabulæ Mosis per singula Sabbatha Act. 13. Verùm prolixa ironiâ horũ doctorum exprobrat partim stultitiam, quod cum ipsi cæci sint alios illuminare, & ipsi quasi φωστῆρες & lumina mundi esse velint; partim inscitiam, quod cum ipsi sint legis ignari, alios ex lege docere velint, siquidem* non nisi formam *sive speciem, hoc est verba de lege habeant, quam nunquam verè servaverint: idque per species aliquot præceptorum, septimi, sexti, & secundi ordine explicat.* Furti *eos arguit, quia peccata populi comedere dicuntur Ose. 4, 8. & prætextu longarum precum viduarum domos devorare Matth. 23.* Adulterij, *quia pleni erant hypocrisi & iniquitate Matth. 23, 28.* Sacrilegij, *quia honorem verbo Dei debitum, tribuebant suis ἐθελοθρησκείαις. Et hac ratione ait, eos non modò inaniter de Deo gloriari, verùm etiam Deum ignominiâ adficere: hinc enim* *genti-*

gentiles occasionem calumniandi arripiebant, quòd Deus ejusmodi populum delegerit in peculium, legemq; ei dederit, & in eâ voluntatem suam revelaverit, qui tamen nulla prorsus in parte vitam juxta legem instituere conaretur: ita culpa impietatis Deo tribuebatur à gentilibus, de qua ipsorum blasphemia jam pridem locutus est Dominus per Prophetas Esa. 52, 5. & Ezech. 36, 20. ad quæ loca Apostolus noster obiter alludit. Hactenus de priore Iudæorum enormitate, quæ gentibus pœnam iniquitatis eripuerunt.

De posteriore agit v. 25. ubi primùm nominat ipsum privilegiũ Iudæorũ, quod habebant præ gentilibus nimirũ, circumcisionem, *per quam Deus fœdus gratiæ pepigit cum Israëlitis Genes. 17, 7, 11. deinde abusum hujus privilegij exprimit, qui itidem consistit* in transgressione legis, *quæ circumcisionem Iudæis non modò nõ salutarem facit, sed & noxiam.* Circumcisio enim prodest, *inquit,* si legem observes, *unde alibi, qui circumciditur, debitor universæ legis faciendæ vocatur, Gal. 5, 3. quæ verba non eum habent sensum, quasi quispiam Judæorum legem perfectè servare potuerit, aut quasi nulli Iudæorũ circumcisio sua profuerit: Sed requirit equidẽ hoc fœdus Domini legis impletionem, aliàs non posset homo illo fœdere recipi in gratiam, ideò Deus eam ab Abrahamo in institutione hujus fœderis exigebat, ambula coram me & esto perfectus, Gen. 17, 1. Quod verò homini deerat, hoc perfecta Christi satisfactio compensavit, quam cùm circumcisi vera fide amplecterentur, ipsi pro ijs, qui legem servaverint, habebantur; unde & circumcisio signaculum justitiæ fidei appellatur Rom. 4. Abusus igitur circumcisionis erat, neq; legem implere neq; Christum agnoscere, qui pro nobis legem implevit, quorum utrumq; Iudæi faciebant, ac proinde vana ipsorum de circumcisione erat gloriatio: talium enim hominum cir-*

Quomodo circumcisus teneatur ad servandum legem.

cumcisio versa dicitur in præputium, quia carent circumcisione cordis, quæ fit per observationem legis, qua superflua carnis vitia præciduntur. Et hanc ob causam præfert circumcisioni præputium, id est, Iudæis circumcisis gentiles non circumcisos, si legem servaverint, quod consequi poterant partim per inchoationem, cum & ipsi secundum spiritum ambulare, & carnem mortificare inciperent. Qua ratione Ethnicus non circumcisus (hoc enim vocat præputium, quod ex natura est) fidelis tamen, & juxta legem in Spiritu incedens (hoc enim vocat consummare legem v.27. in Christum credere, qui est perfectio legis Rom. 10. & absq; hypocrisi ac sincerè pietati studere) non tantùm melior erit Iudæo circumcisio, sed & cõdemnabit eum, quod per circumcisionem in fœdere esse vult, absque ulla legis impletione, vel sua vel Christi. Vt autem hanc praeeminentiam fidelium gentilium & infidelium Iudæorum manifestam faciat, distinguit inter duplicem circumcisionem. Quidam Judæus est in manifesto, quidam in occulto, quædam circumcisio est aperta seu carnalis, quædam occulta seu spiritualis & in corde. Iudæus in manifesto, est Iudæus sanguine, & circumcisus tantùm carne non corde: Judæus in occulto est non sanguine, sed fide in eximium illum Iudæum Jesum Christum: circumcisus itidem non carne, sed corde. Circumcisio carnis est literæ, hoc est, secundum literam intellecta, fit enim per amputationem carnis, circumcisio cordis est Spiritus, hoc est, spiritualiter intellecta, fit enim per amputationem vitiorum. Illa laudem habet ab hominibus, hominum enim manibus administratur: hæc non ab hominibus sed à Deo, quia Deus est, qui circumcidit cor nostrum, ut diligamus eum Deut. 30, 6.

Lex quomodo servetur à circumcisis.

Iudæus duplex, Circũcisio duplex.

Para-

Paraphrasis hujus partis.

INtelligis nimirum, Iudæe, quàm omninò nihil distes à gentilibus in judicio Dei: sed cave, ne & deterioris cõditionis inveniaris. Nam tantò gravius tibi imminet supplicium, quo protervius privilegiis illis divinitùs tibi concessis, abuti nõ fuisti veritus. Vide verò mihi quid agas! Multùm jactitas eximium nomen Iudæi: gloriaris de lege in monte Sina tibi tradita, gloriaris de cognitione Dei & voluntatis suæ: hinc tibi tribuis insignem mysteriorum divinorum scientiam, magnumque tibi in alios sumis magisterium: sed verba sunt: sed tituli sunt sine re: jactatio est, non vera prædicatio. Téne Iudæum, qui præter nomen Iudæi nihil habes? tibiné legem traditam, cui præter legis nomen nihil innotuit? téne Dei voluntatisq; divinæ conscium, qui voluntati divinæ per omnia reluctaris? téne alios docere velle, quod ipse vel nescis, vel non facis? itane cæcum à cæco duci? stultum à sapiente doceri? hypocritam perfectionem legis profiteri? itáne fur abstinentiæ præcepta à fure, adulter adulterij remedia ab adultero, idololatra denique à sacrilego pietatem discat? Annon pudet te legem jactitare verbis, & interim vitæ pravitate Deum autorem Legis ignominia adficere? Hoc enim dico vobis vos jam adimplere id, quod Prophetæ jam pridẽ prædixerunt. Nã cùm ob peccata vestra justũ Dei judiciũ experimini, Deus eam culpã præstare cogitur apud exteros, quasi meliorẽ populũ vel nolit, vel habere nõ posit. At enim per circumcisionẽ, inquitis, in fœdus Dei recepti sumus, & à gentibus in peculium Dei

ſeparati? Itane verò? quid prodeſt vobis circumciſio veſtra? numquid grati,& per circumciſionem in fœdus Dei accepti eſſe poteſtis ſine perfecta legis obedientia & ſincero pietatis ſtudio? hoc verò non præſtatis: illam non niſi in Chriſto, quem reijcitis, habere poteſtis: videte ergò, qualis veſtra ſit circumciſio. Hoc mihi velim credatis: ſi Ethnicus in Chriſtũ, qui eſt perfectio legis, credit, pieq; ex animi ſententia vivere incipit, is in ſuo præputio Deo longè acceptior eſt, quàm vos cum veſtra circumciſione. Nihil enim facit ad ſalutem externum & carnale Iudæorum nomen, nihil externa & in amputatione carnis conſiſtens circumciſio: ſed hi veri Judæi filijq; Abrahami ſunt, quorum cor fidele & à vitiis perpurgatum eſt: hæc enim eſt ſpiritualis illa Deoq; placens circumciſio, qua cordis vitioſitas amputatur, & in Spiritu ſecundùm Dei voluntatem vivitur: jactantia legis & circumciſionis abſque ſtudio ſinceræ pietatis nõ modò non utilis ſed extremè pernitioſa eſt.

Quæſtiones ex hac parte.

QUÆSTIO I.

Obijcit Apoſtolus Iudæis criminis loco, quòd glorientur in Deo; quòd ſciant Deum & voluntatem ejus; cur ergo Deus ipſe apud Ieremiam dicit cap. 9, 24. in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, ad quem locum alibi reſpici-

ens

ens Apostolus, scribit, qui gloriatur, in Domino glorietur, 1. Cor. 1, 31?

In solo Deo gloriandum

Resp. Primùm distinguendum est inter veram & vanam gloriam. Illam requirit Dominus, hanc probibet Apostolus. Verè gloriatur in Deo, qui non modò verè agnovit Deum & voluntatem ejus de generis humani salute, sed qui etiam omnem cordis fiduciam in illum collocavit, ab ipso omnia bona expectat, & ab ipsius nutu tanquam ab uberibꝰ matris suæ dependet. Hoc faciunt omnes, qui non tantùm titulotenus in Ecclesia vivunt, sed veri & genuini ejus cives sunt: & hoc sensu vult Apostolus scribens ad Corinthios, in solo Deo gloriari, non in nostris aut aliorum hominum viribus aut operibus, talis enim gloriatio exclusa est per legem fidei, Roman. 3. v. 26. Ita verò non gloriabantur Iudæi in Deo: sed titulum saltem Ecclesiæ gerebant, in qua esset genuinus Dei populus, quales ipsi revera non erant, & eo nomine hîc redarguuntur.

Deinde aliud est gloriari in Deo, aliud gloriari in Domino: Illud requirit notitiam Dei & legis ejus: hoc insuper obedientiam, qua promtâ voluntate & obsequio homines subjiciuntur voluntati divinæ, ut servi Dominis suis. Illud Judæis tribuit Apostolus, sed ad solidã gloriationem non sufficere innuit: hoc veris Christianis & genuinis Ecclesiæ civibus seu amicis Christi, qui non modò sciunt mentẽ Christi, sed & ab ipso præcepta faciunt, Ioh. 15.

QUÆSTIO II.

Videtur Apostolus abrogare Iudæorum doctoribus ministerium docendi, propterea quòd benè docentes malè vivant: numquid

 ergò

ergò ministerium verbi dependet à probitate seu vita docentis, quod volebant olim Donatistæ?

Resp. Distinguendum est inter ministerium ipsum & inter salutarem ministerij administrationem: illud Judæis etiam malè viventibus relinquitur, hæc non omni modo. Idcirco Christus jubet equidem audire Pharisæos & scribas in Cathedrâ Mosaica sedentes, & servare quæ præceperint, sed juxta opera ipsorum facere prohibet Matth. 23, 3. hoc ipsum innuens, quod quidem verum habeant ministerium, sed non undiquaq; salutare. Ministerium enim etiam ab impurissimis ministris juxta institutionem Domini usurpatum, verum esse potest & legitimum: neq; enim dependet à vitio vel virtutibus hominis, sed ab autoritate Dei instituentis: sed administratio ejus non semper & undiquaq; est salutaris, idq; fit per accidens tam respectu auditorum, quàm respectu ipsius ministri. Baptismus potest esse sine spiritu, inquit Augustinus lib. 5. de Baptis. cont. Donat. cap. 24. videlicet sine spiritu conferentis. Auditorum respectu, non quidem ita, quasi tali ministerio ad salutem erudiri nequeant: nam & reproborum ministrorum ministerium non caret sua efficacia, sed quia offendiculum eis ponitur, nec inoffenso pede verbum apud plerosq; prædicatur, qui impuritate docentis in securitate sua confirmantur, qua ratione ejusmodi pestes plusquam jurati hostes curriculo Evangelij incommodant. Respectu ministri non est salutaris, quia autoritati suæ & ministerij sui quàm plurimum decedit, quin & ira Dei hoc pacto ipsi accrescit: Ideò vult D. Paulus Episcopum esse ἀνεπίληπτον 1. Tim. 3, 2. operarium inconfusibilem, ἀνεπαίσχυντον, 2. Tim. 2, 15. quin & παράδειγμα seu exemplum fideli-

fidelium in verbo, in conversatione, in fide, in caritate, in castitate, 1. Tim. 4, 12. 1. Pet. 5, 3.

QUÆSTIO III.

Circumcisio prodest, inquit Apostolus v. 25. cur ergo alibi scribit circumcisio nihil est. 1. Cor. 7, 19.

Resp. Distinctio temporum conciliat scripturas: Prodest circumcisio, in suo quasi seculo relicta, hoc est, antequam veniret Messias. Profuit enim Iudæis ante Christum, quia 1. erat signaculum fidei Rom. 4. 2. erat nota, qua agnoscebatur Dei populus inter gentes. 3. erat ordinariũ ὄργανον, quo recipiebantur in fœdus. 4. erat signũ promissionis de venturo semine benedicto. Postquã autem Christus venit in carnẽ, desiit distinctio populorum, quia omnes sumus unum in Christo, jam ergo nihil est circumcisio, quia abrogata est, & in ejus locum surrogatus baptismus, Col. 2, 12. per quem Christo inserimur, & justitiæ nostræ obsignationem accipimus: quo sensu D. Paulus scripsit Gal. 5, 2. Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit, quia nimirum ad elementa illa vetera relabentur, confidentes externæ illæ ceremoniæ, quasi in Christo salus nulla esset.

Circumcisio quomodo profuerit & quomodo jam obsit?

Deinde circumcisio etiam Veteris Testamenti nihil profuit absq; observatione legis, quod in utroq; loco Apostoli additur. Deus enim per Sacramentũ circumcisionis fœdus cũ populo suo pepigit, ita ut ex sua parte gratiã promitteret circumcisionis, & vicissim restipulationẽ obedientiæ ab eis reciperet, qua deficiente fœdus fiebat irritũ ex parte hominũ & circumcisio nulla.

Deniq; circumcisio prodest quatenus cum circumcisione cordis conjuncta: quatenus autem externo tantum operi confidebatur, eatenus extra Christum, ac proinde nulla erat: & hoc præcipuè in Iudæis hoc loco reprehenditur.

QVÆ-

QUÆSTIO IV.

Si circumcisio prodest tum demum, quando lex servatur: Numquid ergò pij in Veteri Testamento, Abraham, Isaac, Iacob, &c. quibus circumcisio utiq; profuit, vel legē impleverunt, vel ex impletione legis salutem adepti fuerunt?

Resp. Ita quidem putat Pererius disp. 17. in cap. 2. Rom. num. 103. p. 361. ubi scribit, hâc sententiâ Apostoli redargui eos, quos nostri temporis hæreticos vocat, qui omnem vim ac rationem justitiæ adimunt bonis operibus & observantiam legis impossibilem esse dicunt. Sed non videt utramq; Apostoli sententiam (Rom. 2. & 1. Cor. 7.) conditionalem esse, quæ nihil ponit. Igitur exinde nequaquam probari potest, observationem legis perfectam homini esse possibilem. Quin & sancti imperfectionem suorum operum agnoscunt, quotiescunq; pro remissione peccatorum orant, teste David Psal. 32. Perfectam autem obedientiam habuerunt in Christo, qui nobis factus est à Deo Patre justitia, 1. Cor. 1. cujus plenariā satisfactionem in tempore subsecuturam fide tum apprehendebant, & accepta circumcisione obsignabant: Ideò non per circumcisionem, non per opera legis, sed per gratiam Dei nostri Jesu Christi salvati esse scribuntur, Act. 15, 11. observantia ergò legis, quæ in circumcisione requiritur, non est vel causa salutis, vel nota legis perfectè impletæ, sed indicium est circumcisionis carnalis rectè usurpatæ, & cū spirituali circumcisione cordis conjunctæ.

QVÆ-

QUÆSTIO V.

Circumcisio cordis consistit in amputatione vitiorum: numquid ergo ea è medio tollitur, si docetur, etiam in homine justificato manere peccata?

Resp. Ita quidem iterũ, colligit Pererius prædicta disputat. num. 106. p. 365. sed valdè ἀπαιδεύτως. Circumcisio enim illa cordis nihil est aliud, quàm subjugatio carnis in obsequium spiritus, ubi extirpatur & amputatur peccatum, non quidem ut non sit, sed ut non regnet in mortali nostro corpore ad obediendum concupiscentijs ejus Rom. 6, 12. Concupiscentias sanè carnis sancti quoq; sentiunt post justificationem, quod D. Paulus suo docet exemplo, eoq; nomine seriò ingemiscit Rom. 7. sed obedientiam concupiscentiarum amputarunt gladio spiritus, quod est verbum Dei Ephe. 6. Manet ergò in justificatis peccatum, quo ad motum, amputatur autem ejus imperium seu dominium. In quam sententiam præclarè scripsit Augustinus tract. 41. in Iohan. Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, non ait (Apostolus) non sit, sed non regnet. Quamdiu enim vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis; saltem illis regnum auferatur, non fiat, quod jubet. *Et hanc ob causam de justificatis scribit D. Iohannes, non quod peccatum non habeant; (quis enim qui faciat bonum & non peccet Eccles. 7, 21.) sed quod peccatum non faciant, nimirum id quod est contra conscientiam, & ab Apostolo Paulo regnans vocatur, 1. Iohan. 3, 9.*

Circumcisio cordis.

QUÆSTIO VI.

Distinguit Apostolus inter circumcisionem carnis & cordis, circumcisionem literæ & Spiritus, quarum illa ab hominibus, hæc à Deo laudem habeat. Cum autem in locum circumcisionis successerit Baptismus; quæratur, num rectè ex hoc fundamento Sacramentarij duos baptismos fabricare possint, quorum unum externum, alterum internum nominant, unum aqua, alterum Spiritu sancto fieri, unum in corpore, alterum in anima percipi, unum noxium, alterum salutarem esse scriptitant?

Circumcisio cordis.

Resp. Strenuè negant Sacramentarij, geminum à se statui baptismum: sed quod de baptismo interno & externo ab hominibus suis docetur, id non duos facere baptismos, scribit Paræus in cap. 2. Rom. p. 218. sed esse duos unius baptismi actus, quorũ uterq; nomen baptismi sermone Ecclesiæ sortiatur. Beza etiam miratur, cuiquam in mentem venire potuisse, ut putaret, quod in duo distribuitur, in totidem tota secari. part. 2. ad acta colloq. pag. 44. Igitur primum omnium ostendendum est, Calvinianos revera geminum statuere baptismum: deinde dogmatis hujus falsitas monstranda, & deniq; docendum, quod ist hæc opinio nullum in hoc loco Apostolico habeat funda-

fundamentum. Prodeat ergo primo loco hujus sectæ antesignanus Johannes Calvinus, qui in cap. 12. prioris ad Corinth. reipsa geminum constituit, baptismum, quorum unum vocat literalem, in quo tantùm aqua sit vel signum sine efficacia, cujus omnes infideles etiam non electi fiant participes: alterum Baptismum fidelium, in quo simul sit Spiritus sancti operatio, signum & res signata. Calvino succenturiatur Beza in colloq. Mompelg. pag. 446. Ita loquens: ut corpus aqua abluitur: ita etiam per interiorem baptismum Spiritus anima à peccatis sanguine Christi purgatur. Hic Baptismus Spiritus est verus Baptismus, quem Baptismus aquæ externus significat & repræsentat, & adoptionem obsignat, etiamsi non statim eo tempore fiat, quo homo baptisatur. *Quibus in verbis duo nota. 1. Baptismum interiorem vocari verum baptismum: baptismum externum aquæ significativum tantum & repræsentativum, ergo non verum. 2. effectum baptismi interioris ab externo baptismo tempore divelli: in quem sensum Tossanus scribit cont. Marbach. p. 350. baptisatos non semper eo tempore regenerari, quando baptisantur, sed longo tempore post. Similia vide in colloq. Mompelg. p. 456, 457, 434. &c. Ex quibus omnibus evidenter colligitur, duos à Calvinianis fingi baptismos, quidquid etiam obmurmurēt. Nam simpliciter duos baptismos nominăt, ne quidē Pareo diffitente, singulis peculiare nomen adsignant, unum externum, alterum internum vocant; definitionibus eos distinguunt, illum vocant ablutionem sordium corporis, hunc ablutionem sordium animæ, Beza part. 2. ad colloq. p. 52. diversos utriq; tribuunt effectus: effectus illos etiam temporibus discriminant, adeò ut ex ipsorum mente, interior baptismus effectum suum, hoc est, regenerationem interdum in adultâ demum ætate, interdum planè non consequa-*

Calviniani geminum statuunt baptismum.

sequatur. Hæc omnia simul & semel uni baptismo & quidem specie uni competere non possunt. Neq; juvat Paræum, quod internum illum & externum baptismum non quidem duos baptismos, sed duos unius baptismi actus, nominat. Hoc enim κρηπφύγετον locum prorsus habere non potest. Nam 1. si actiones tantùm distinctæ sunt, cur utramq; actionem baptismum vocat, unum internum, alterum externum: actio enim à sacramento ipso, lotio à baptismo, est distincta, ut adjunctum à suo subjecto? Respondet ipse: nomen Baptismi sermone Ecclesiæ ambo actus sortiuntur. *Atqui λίαν μέγα αἴτημα: hoc enim probandum prius fuisset, quàm tam audacter pronunciandum, nisi fortè per Ecclesiam intelligat Synagogas Calvinianorum. Actionem in baptismo internam & externam agnoscit orthodoxa Christi Ecclesia, eamq; distinctam quidem, non tamen temporibus separatam: ex actione autem diversa baptismum diversum non facit, sed inter sacramentum & actionem Sacramenti distinguit. 2. Si uterq; ille actus in baptismo sermone Ecclesiæ vocatur Baptismus, cur non utraq; manducatio in sacrosancta cœna vocatur Sacramentum cœnæ. & sic cum gemino baptismo gemina fingitur esse cœna? sacramentorum enim par est ratio. 3. Si uterq; actus baptismi sermone Ecclesiæ vocatur Baptismus: uterq; etiam sermone Ecclesiæ vocabitur sacramentum. De Metaphoricis enim baptismis nulla hîc est quæstio. Sic ergò tria habebimus Sacramenta Novi Testamenti; duo initiationis, tertiũ confirmationis &c. neque amplius constabit sacramentum ex re terrena & cœlesti: neuter enim actus in baptismo Sacramentariorum utrumq; complectitur. 4. Deniq; fatetur ipse Beza part. 2. resp. ad colloq. p. 52. duas illas numero actiones natura ipsa diversas, non posse unica Baptismi appellatione significari, una & eadem definitione: Vnde concludo; Quæ geminam constituunt*

Actiones in baptismo non faciunt duplicem baptismum.

tuunt definitionem, geminum faciunt definitum. Duæ illæ actiones in Baptismo geminam constituunt Baptismi definitionem (una enim significari non possunt, dicente Beza.) Ergo geminum quoq; faciunt definitum. geminum baptismum. Negare itaq; non possunt Adversarij, duos ab ipsis introduci Baptismos, subjectis, objectis, effectus, temporibus distinctissimos. Id verò è diametro pugnat cum adsertione Apostolica Ephe. 4, 5. unum baptisma; *pugnat cum Symbolo Niceno: pugnat cum numero Sacramentorum pugnat deniq; cum institutione Christi, imò cum ipsâ rerum naturâ, dum ex duobus simul agentibus, duo tota temporibus & operationibus separata fiunt. Credimus enim ex Scriptura, Baptismum aquæ, quem illi externũ vocant, non tantùm foris corpore percipi, ut Paræus loquitur, neque sordium corporis ablutionem esse, ut Beza vult: id enim exprèssè negat D. Petrus 1. Petr. 3. sed, Spiritum sanctum (cujus operationem baptismum internum vocant) per aquam baptismi extrinsecus affusam, tanquam per ordinarium suum ὄργανον operari regenerationem, ideò Christus Ecclesiam suam lavacro aquæ mundare dicitur Ephe. 5, 26. Quæ cum ita sint, nihil præsidij habere possunt adversarij in præsente Apostoli nostri loco. Nam Paræus ipsemet fatetur, non circumcisiones duas esse; sed duos Sacramenti legitimè usurpati actus nomine totius insigniri. Vbi tamen nota, Paræum duos actus tempore distinctos, & â se invicem divulsos intelligere, quasi multi circumcidantur, in quibus receptio in fœdus vel longo tempore post, vel etiam nunquam sequatur, sed orthodoxa Ecclesia docet, unius temporis esse illius sacramenti actum, ubi Spiritus sanctus mediante externa amputatione præputij hominem regenerat, & in fœdus Dei recipit: quæ interna hominis regeneratio metaphorica locutione circumcisio cordis appellatur. Vt ergo concludamus: circumcisio carnis & cordis, nõ sunt*

Non sunt duo Baptismi.

" *duæ circumcisiones, sed unius vocabuli in sua significata di-*
" *stributiones: quarũ una propria est, & fit amputatione carnis,*
" *altera metaphorica, & fit emendatione cordis.*

QUÆSTIO VII.

Nunquid ex gemina circumcisionis mentione rectè infertur gemina manducatio in sacramento cœnæ?

Sacramentalis manducatio in cœna differt à spirituali.

Resp. Sano sensu id non fit incommodè, si nimirum circumcisioni propriè sic dictæ, quæ carnis est, respondeat manducatio sacramentalis corporis Dominici; circumcisioni metaphoricæ, quæ cordis est, manducatio spiritualis, quæ fide fit. Quemadmodum enim multi circumcisi carne, incircumcisi sunt corde Ierem. 6, & 9. Ezech. 44. Ita multi sacramentaliter percipiunt corpus Dominicum, absq; manducatione spirituali, seu absq; fide.

[Hi dicuntur accipere panem Domini contra Dominum, apud Augustinum tract. 59. in Iohan.]

Et quemadmodum illi incircumcisi corde judicantur à præputio, hoc est, ab incircumcisis carne, circumcisis autem corde: ita qui spirituali manducatione carent, oraliter Christi corpus percipiunt ad judicium, & judicantur ac condemnantur ab ijs, qui Sacramentum non perceperunt, spiritualiter tamen manducarunt, hoc est, fidem in Christum habent, quod etiam extra sacramentum fieri potest. Aggravarunt enim sibi iram Dei, quod indignè manducando de pane Dominico reos se fecerunt corporis Domini, 1. Cor. 11, 25. Longè aliam ex hoc loco collocationem instituit Paræus p. 217. In circumcisione, *inquit*, duo actus sunt: ita in sacra Cœna gemina est man-

Paræus ex gemino actu circumcisionis infert ge-

manducatio : una signorum externa : altera rerum interna, non duo Sacramenta sunt, sed unius duo actus : conjunctim duo hæc sumuntur à fidelibus, qui soli digni edunt & bibunt : infideles percipiunt Symbola, corpore & sanguine Christi non pascuntur. *Hæc ille ; in quibus diversimodè impingit. 1. quod symbola Sacramentalia à rebus Sacramentalibus, hoc est, panem à corpore, & vinum à sanguine subjectis & temporibus divellit, quod nihil aliud est, quàm divellere ipsam unionem Sacramentalem : nam panis absq; corpore unito non Sacramenti panis est, sed panis domesticus & vulgaris. 2. quod manducationem signorum Sacramentalium ventri tantum tribuit, ideò enim vocat manducationem externam, quod inserviat externo (quem ipse vocat) homini; cum tamen S. cœna non sit esca corporis sed animæ impinguans mentem, non ventrem, ut Hieronymus loquitur. 3. Quod infidelibus symbola saltem tribuit, & tamen totum Sacramentum eos accipere, negare non potest : meminisse verò debebat, Sacramentum duobus constare, re terrena, ut sunt symbola visibilia, panis & vinum; & re cœlesti invisibili, ut sunt corpus & sanguis Domini. Si ergò Symbola tantum percipiunt, integrum Sacramentum non percipiunt : aliter autem docet Apostolus Paulus 1. Cor.* 11. *qui scribit, indignos non tantùm de pane, sed de* Hoc *pane, de illo nimirum pane, qui per unionem Sacramentalem κοινωνία corporis est, edere, licet ad judicium. Non ergo possunt ista duo divelli, ut symbola panis & vinum sumantur ore; corporis & sanguinis fruitio fiat fide, quemadmodum Paræus divellit pag. 219. Sed est una eademq; manducatio sacramentalis, quâ unà cum pane corpus, unà cum vino sanguis Christi sumitur, aliàs non totum Sacramentum perciperetur. Alia est manducatio spiritualis, quæ fide fit, & neque symbolorum, neque corporis*

minam manducationem in cœna perversa ratione.

Christi

Christi est comestio, sed beneficiorum Christi fruitio, & hæc ad fructum Sacramenti pertinet, & tantùm fidelium est.

QUÆSTIO IIX.

Quia Baptismus in locum circumcisionis successit, quæritur, num utriusq; Sacramenti eadem sit necessitas, ut quemadmodũ quidam etiam non circumcisi vivere poterant in populo Dei, ut Iob & amici ejus, Naaman Syrus, Hiram Rex Tyri, Cyrus, Darius, &c. ita etiam baptisati non veri cives Ecclesiæ Dei in Novo Testamento esse possint?

Circumcisio interdum omitti poterat.

Resp. Eadem est utriusq; Testamenti necessitas ratione ordinariæ institutionis Dei, à quo tamen casus partim extraordinarij partim in ipsa institutione excepti eximuntur. Ordinariè in circumcisione includuntur omnes masculi octiduani ad sanguinem Abrahami pertinentes, sicut habent verba fœderis: infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris Gen. 17, 12. Exemti ergò erant per casum extraordinarium Israelitæ in deserto peregrinantes, Iob. 5, 4. exemti, & in ipsa circumcisionis institutione excepti, infantes ante diem octavum defuncti, ut & proselyti, qui neq; pascha neq; connubia Hebræorum desiderabant, quales erant Iob, Naaman & cæteri, quorum quæstio meminit: hi enim non erant de generatione Abrahami, neq; habitabant in terra promissa inter ipsos Iudæos, neq; aliquo jure affinitatis in familiam Iudæorum cooptati sunt, de quibus vide Augustinum

gustinum lib 18. de civ. Dei cap. 4. Sic in Baptismi institutione ordinariè includuntur omnes omninò gentes sine ulla exceptione vel sexus vel ætatis vel nationis: ita enim habent verba institutionis: Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti Matth. 28. Hic ergò nemo excipitur, nisi quem casus necessitatis excipit, ut sunt infantes in utero materno, aut paulò ante baptismū decedentes, aut quos Deus pro immensa sua bonitate in agone demum convertit: in his enim nulla vel contemtus vel malitiosi neglectus culpa est. Extra hunc casum omnes baptisandos esse dicimus, quicunque privilegio Ecclesiæ uti frui cupiunt. Idcircò & adulti, licet per incorruptibile semen verbi divini renati, nihilominus ad Sacramentum Baptismi, tanquam ad clavem Ecclesiæ remissi fuerunt, ut patet exemplis auditorum Petri Act. 3. AEthiopis Act. 8. Pauli Apostoli Act. 9. Cornelij Act. 10. &c. Quapropter in cœtibus Christianorum tolerandi non sunt, qui baptismum non acceperunt: nam extra cœtum baptisatorum nulla est Ecclesia: ideò Christus sanctificare dicitur Ecclesiam suam lavacro aquæ per verbum Ephe. 5, 26.

Baptismi necessitas qualis sit.

QUÆSTIO IX.

Facit Apostolus discrimen inter verum & falsum Iudaismum v. 28. & dicit, eos coram Deo veros esse Iudæos, non qui in manifesto, seu externa professione sunt Iudæi, sed qui in occulto tales sunt: quomodo verò hoc convenit cum eo, quod supra dixerat, v. 11. apud Deum non esse respectum personarum?

Resp. Optimè convenit, si duo praenotentur 1. personae vocabulum non significare hoc loco homines ipsos, sed conditiones & accidentia hominum, quibus alter alteri praeferri vel postponi potest. 2. personam illam seu conditionem hominum esse vel externam vel internam. Persona externa hominis vocatur, quidquid foris patet, & in oculos hominum incurrit, quodq; homines inprimis attendere solent, ut sunt qualitates aetatis, generis, dignitatis, officij generis, familiae, divitiarū &c. Hoc respectu saepissimè dicitur, Deum non respicere personas, non enim secundum faciem externarum illarum conditionum, sed juxta merita causae judicat. Persona interna vocatur conditio animi, quem solus Deus introspicere & dijudicare potest, quo nomine judicia Dei ab hominum judicijs distinguuntur, 1. Samuel. 16, 7. homo videt ea, quae patent, Dominus autem intuetur cor. Hanc ergo quasi spiritualem personam hominis respicit Deus: vult enim animum erga se rectè esse comparatum, fidelem esse & sincerum, absq; hypocrisi: atq; hoc respectu Iudaei, qui externa tantùm professione Iudaismi turgebant, rejiciuntur; ij verò, qui quo ad gentem aut professionem Iudaei nō sunt, in fide tamen & sinceritate serviunt, pro Iudaeis, hoc est, pro vero Dei populo habentur, ex quocunq; sint populo, cujuscunq; generis, dignitatis, aetatis aut conditionis: haec enim Deus non attendit: animi verò conditio ad merita caussae pertinet, quibus motus Deus homini vel benè vel malè faciat.

Quomodo Deus respiciat personam hominis.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Ut Judaismus, ita & Christianismus non in nuda nominis*

minis professione consistit, sed in fide & charitate Christiana, sine qua nuda nominis professio æri tinnienti comparatur, 1. Corinth. 13, 1.

2. *Tituli honorum in qualibet professione sunt quasi taciti monitores officij, quod requirit uniuscujusq; vocatio. Danda igitur opera est, ut simus, quod esse volumus: turpe enim est ad gradum non nisi velle afferre, & ordine mistum, in quo nomen professi sumus, non virtutis exemplum, sed principatum quendam, in quem inquirere non licet, esse putare: qua de re plura vide apud Nazianz. in orat. 2. & in Monodiâ in laudem Basilij. Chrysost. lib. 1. de sacerdot. August. Epist. 148. &c.*

3. *Non nudus assensus legis, sed vitæ consensus requiritur ab homine Christiano: ille in approbatione tantùm eorum consistit, quæ lex præscribit: & sic Iudæi dicebantur adquiescere in lege v. 17. hic verò in confirmatione vitæ ad præcepta legis, atq; sic D. Paulus ajebat, se consentire & condelectari lege Rom. 7, 22.*

4. *Gloria Christianorum non tantum sit in Deo, sed & in Domino, hoc est, non tantum in eo consistat, quod scimus nos in gratia esse apud Deum, verùm etiam ut sinceris animi obsequijs nos ei subjiciamus: hi enim sunt amici Christi, qui fecerint, quod ipse nobis præceperit, Ioh. 15, 14.*

5. *Magisterium in alios nemo sibi arroget, nisi à DEO ad hoc vocatus, & donis necessarijs instructus sit, ne audire cogatur illud Christi Matth. 7. Cæcus cæcum ducit: hinc illud Apostoli, nemo sibi sumit honorem, nisi vocatus à Deo Hebr. 5. Qui secus faciunt, de his Nazian orat. 21. scribit, quod figlinam in dolio discant, hoc est, alienorum animorum periculo pietatem meditentur.*

6. *Nemo suo nimium confidat ingenio, sed antequam loquatur discat, Syr. 18, 19. Nam quod non novit, nemo docere potest.*

7. *Pernitiosissima pestis est Reipul. Christianæ, quando ij qui ad clavum sedent, alios regunt, seipsos negligunt, recta sapiunt, prava faciunt: qui verò fecerit & docuerit, hic Magnus vocabitur in regno cœlorum Matth. 6, 19. aliàs perpetuò obijci poterit illud Christi, Medice cura teipsum, Luc. 4, 23.*

8. *Inprimis in electione doctoris Ecclesiæ non tantùm fidei, sed & vitæ morumq́; instituenda est probatio: & juxta Senecæ præceptum epist. 34. eum eligamus doctorem, quem magis admirentur auditores cum viderint, quàm cum audierint. Qua de re plura vidè apud Chrysost. lib. 3. de dignitate sacerdot. cap. 12. 13. 14. seqq.*

9. *Summo studio cavendum, ne malè audiat nomen Dei apud hostes Ecclesiæ propter nos: id quod hodie fieri apud Turcas & Iudæos, Papistas, atq; alios, experientia testatur: sed luceat potius lux nostra coram hominibus, ut videant bona nostra opera & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est: Matth. 5. quo referatur locus Phil. 2, 16. & 1. Pet. 3, 16.*

10. *Ex prava hominum vita non est judicandum de veritate doctrinæ aut Ecclesiæ. Oportet enim scandala venire, Matt. 18. & est hoc studium Satanæ, ut ubi lucem doctrinæ cœlestis extinguere aut obtenebrare non potest, ibi impuritate vitæ quamplurimas adspergat maculas, qua de re sæpissimè conqueruntur Prophetæ, inprimis Esaias cap. 5. & Jerem. 6. hinc Ecclesia comparatur agro, in quo bono semini quamplurima commixta sunt Zizania, ut & reti, in quo boni & mali pisces reperiuntur Matth. 13.*

11. Quò

11. Quò majora sunt Dei in nos beneficia, eò graviores meretur pœnas eorum abusus. Cui enim multum est concreditum, ab eo multum requiretur, & servus sciens voluntatem Domini, nec faciens, vapulabit multum Luc. 12, 47, 48.

12. Sacramenta non sunt inania spectacula, sed prosunt rectè usurpantibus ad conferendam gratiam, ad obsignandam jam collatam, ad distinctionem civium Ecclesiæ ab exteris, & ad mutuum charitatis Christianæ vinculum.

13. Quemadmodum olim in circumcisione: ita hodie in baptismo fit fœdus Dei cum hominibus, sed fœdus reciprocum, ubi non modo Deus gratiam suam promittit, sed & homo rei promittit obœdientiam: unde baptismus vocatur stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo, 1. Petr. 3, 16. deficiente ergò hac rei stipulatione, fœdus illud Dei ex parte nostra fit irritum, sed per pœnitentiam instaurari potest.

14. Gentiles fideles sunt judices Judæorum infidelium, quia testimonium & sententiam contra ipsos ferunt, idq; partim hac in vita, partim in extremo iudicio, ubi sententiã Christi calculo suo approbabunt, quo pacto Ninivitæ, & regina Austri, exempli loco proponuntur à Christo Matth. 11. & sancti in genere mundum judicare dicuntur 1. Cor. 6, 2.

15. Carnalis affinitas Christi nihil facit ad salutem: siquidem Iudæi secundum carnẽ hic repudiantur. Et Evangelica testatur historia, fratres & consanguineos Christi plerosq; à regno Christi fuisse alieniores, ut patet ex Ioh 7, 3. unde ipsemet homines à carnali propinquitate ad verbum remittit, per quod, tanquam incorruptibile semen, filij Dei & fratres Christi generantur Luc. 11. Matth. 12. &c.

16. Duplex est Ecclesiæ consideratio. Aut enim cadit sub externum oculorum sensum, & dicitur Ecclesia visibilis, qui est cœtus vocatorum, in quo multi sunt hypocritæ: aut non in-

currit in sensus externos, sed intus tincta est sanguine Christi, & ornata vestimento justitiæ ejus; soliq; Deo nota est, 2. Tim. 2, 19. nostri autem respectu dicitur Ecclesia invisibilis, cujus distinctionis fundamentum est in hoc Apostoli nostri loco, ubi inter Iudaismum manifestum & occultum distinguitur: quod enim de membris veræ Ecclesiæ dicitur, non immeritò toti Ecclesiæ accommodatur.

17. *Quemadmodum circumcisio carnis sine circumcisione cordis nihil prodest; ita sacramenta absq; fide, & interna efficacia Spiritus sancti nihil valent. Falsum igitur est dogma pontificiorum, quo Sacramenta ex se, sine fide, sine ullo bono motu utentium, ex opere operato, gratiam conferre dictitant. in concil. Trident. sess. 7. can. 6. & 8.*

18. *Non appetamus nimiam laudem apud homines, sed laudari cupiamus à Deo. Hominum enim judicia fallere possunt, & justitia apud homines sæpè injustitia est apud Deum 1. Cor. 3. Deus autem neque fallit neq; fallitur, & quem hic commendat, is demum probatus est, 2. Cor. 10, 18. Observemus itaq; illud Augustini Epist. 56. Vitia cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.*

CAPUT III.

Argumentum & Partitio Capitis.

IN hoc capite continuat Apostolus institutum suum de convincendis gentibus & Iudæis, quod peccatores sint coram Deo: ut inde minorem principalis syllogismi, primo capite propositi

positi, directè inferat, nimirum, nullam esse ex operibus hominum, justitiam coram Deo, quam & infert v. 20. Quod ergò hactenus separatim de gentibus primùm, deinde de Iudæis demonstraverat, id nunc conjunctim ostendit de universo mundo, præmisso tamen responso ad quasdam Iudæorum objectiones de ipsorum privilegijs: quibus omnibus expeditis, legitimâ consequentiâ infert, cum nemo hominum ex operibus justificetur, justitiam nostram, non nisi ex fide esse posse, quam conclusionem principalis sui syllogismi sub finem hujus Capitis probare incipit.

Partes capitis tres sunt:

In prima parte continetur responsio ad ἀνθυποφορὰν Judæorum, quam opponere poterant ijs, in quibus, sub finem præcedentis capitis Apostolus gentibus ipsos deteriores fecerat: usque ad v. 9.

In secunda sequitur principale institutum, quo gentes & Iudæos conjunctim arguit injustitiæ, testimonijs scripturæ: usque ad v. 21.

In tertiâ denique infertur conclusio principalis syllogismi, argumentis roborata, nimirum, justificari nos fide in Iesu Christo.

PARS PRIMA.

TEXTUS.

Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου, ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς.

1. Quid ergò amplius Iudæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?

Πολὺ κατὰ πάντα τρόπον, πρῶτον μὲν ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ.

2. Multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.

Τί γὰρ, εἰ ἠπίστησάν τινες; μὴ ἡ ἀπιστία αὐτῶν τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσει;

3. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?

Μὴ γένοιτο. γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης, καθὼς γέγραπται, ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου, καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε.

4. Absit: est autem Deus verax, omnis autem homo est mendax; sicut scriptum est; ut justificeris sermonibus tuis, & vincas cum judiceris?

Εἰ δὲ ἡ ἀδικία ἡμῶν Θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησι, τί ἐροῦμεν, μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; (κατὰ ἄνθρωπον λέγω.)

5. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? numquid iniquus est Deus qui infert iram? (secundum hominem dico.)

Μὴ γένοιτο· ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον·

6. Absit; alioquin quomodo judicabit Deus mundum?

Εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι ἐπερίσσευσεν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ, τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι;

7. Si enim veritas Dei in meo mēdacio abundavit in gloria ipsius: quid adhuc & ego, tanquam peccator judicor?

Καὶ μὴ (καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν) ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά; ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι.

8. Et non sicut blasphemamur, & sicuti ajunt quidam nos dicere faciamus mala, ut veniant bona? quorum damnatio justa est.

ANALY-

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

PRaviderat Apostolus, ea quæ de duplici Judaismo & gemina circumcisione in præcedentibus dixerat, Iudæis grata non futura: idcircò jam, ut omnem dubitandi scrupulum eximat, pesronam importuni alicuius Iudæi induit, & tria ordine sibi opponit, quæ Iudæi vel contra prædicta excipere, vel ex verbis Apostoli per calumniam elicere poterant, additis nervosis responsionibus. Prima objectio est de Iudæorum privilegijs, quæ prepetuò erepare solebant. Quærat ergo aliquis: Si omninò tam abjectæ conditionis sunt Iudæi, ut & gentiles in multis ipsis præferantur, numquid ergò frustra & legem & circumcisionē divinitus acceperunt? nullum ne prorsus præ gentibus habuerunt privilegium? Respondet Apostolus per concessionem, multum per omnem modum: credita enim illis sunt eloquia DEI, *hoc est, habuerunt oracula divina quasi in deposito, & rationem rectè colendi Deum ipsi quasi ex syngrapha acceperunt à Mose, habuerunt & promissiones de Messia, quas quasi mutuo petere ab ipsis tenentur gentiles, vnde satis concinnè D. Augustinus in Psal. 30. Iudæos gentilium scriniarios seu bibliothecarios appellavit, quin & totum ministerium publicè exercuerunt ipsi soli, ita ut verè gloriari queant, notum esse in Iuda Deum, neque taliter fecisse Deum ulli nationi Psal. 76, 2. 147, 20. Nihil autem privilegium hoc Iudæis profuit, quia consilium Dei aspernati fuerunt adversus seipsos, itaq; Deus rejecit eos. Et sic ad priorem partem objecti respondit, de Judaismo. De circumcisione verò nihil addit, quia supra dixerat, circumcisionem ipsis prodesse, si legem servarint. Hinc nascitur secunda quæstio, de certitudine fœderis divini: Si enim Iudæi*

Prima objectio de Iudæorum privilegijs.

Secunda objectio de certitudine divini fœderis.

propter abusum privilegiorum gratia Dei exciderunt, videtur Deus inconstantiæ accusari, qui privilegia vicissim auferat, & fœdus cum hominibus semel initum tàm facilè rescindat. Respondet Apostolus 1. *per concessionem limitatam, exciderunt Iudæi fœdere gratiaq́; Dei, sed non omnes : nam QVIDAM, inquit,* non crediderunt. *v.3. In quibusdam ergò Dei fœdus mansit ratum & illibatum.* 2. *per seriam & severam inficiationem consequentiæ: Non enim sequitur:* Iudæi *sua amiserunt privilegia, Ergo Deus est inconstans aut mutabilis*: Absit hoc, *inquit, & blasphemus in Deum est, qui ita concludit. Rationem negationis addit quadruplicem, ex scripturis confirmatam,* 1. *ait,* quidam illorũ non crediderunt: *ergò homines sunt fœdifragi, culpa penes Deum nulla est;* hominum enim incredulitas Dei fidem *seu fidelitatem in promissionibus* evacuare & annihilare non potest, *quem locum deinde repetit 2. Tim. 2, 13. 2. idem probat à Dei veritate v. 4.* est autem Deus verax, *cuius veritas extendit se usq; ad nubes Psal. 36, 6: 57, 11. hoc est, inæstimabilis & ineffabilis est: non ergò Deo culpa excisionis potest tribui. 3. à vanitate hominum*: est enim omnis homo mendax, *quod ex Psal. 116, 11. allegat, ergò sibi ipsis imputent, quod incredulitate suâ à fœdere Dei tam leviter resilierunt. 4. à justitia DEI, quam ex Psalm. 51, 6. asserit, ubi David ait,* se soli Deo peccasse, ut Deus solus justus maneat, *licet de Deo judicijsq; divinis mundus non semper æqualiter judicet. Ex eo enim elucescit justitia Dei, quod homines incredulos & fœdifragos in fœdere retinere non vult, sed justo judicio excidere patitur. His ergo rationibus docere voluit, nullam esse inconstantiam in Deo, si qui ex fœdere eius excidant. Fœdus enim illud ex parte Dei manere ratum & firmum, ita ut si verâ pœnitentiâ homines fœdifragi ad ipsum reverti velint, nunquam ipsis reditus ad illud sit interclusus. Tertia objectio*

jectio emergit ex postrema ratione de Iustitia Dei. Quod si enim Iustitia Dei ex hominum injustitia seu infidelitate magis magisq; elucescit; ergò iniquus erit Deus, *qui infert iram? hoc est, injustè aget, quod hominum infidelitatem punit, nam iis, quæ justitiam Dei declarant & commendant, præmia potiùs debentur, quàm pœnæ: quo jure ergò Deus Iudæos utut injustos & fœdifragos rejecit? Sed est hæc insignis sophisticatio & calumnia, quam Paulus 1. à se privatim removet parenthetica locutione*, secundum hominem dico, *hoc est, loquor ex sententia non hominis pij & Christiani, sed pertinacis & importuni Judæi.*

Tertia objectio de justitia Dei.

[*Secundum hominem loqui, significat. 1. humano more crassè & ruditer aliquid proponere, ut & rudiores intelligere possint. e.g. Gal. 3. fratres, secundum hominem dico &c. & Rom. 6. humanum quid dico propter infirmitatem carnis vestræ. 2. ita loqui, ut impij, carnaliter sapere, ut hoc loco: sicut secundum hominem ambulare dicitur carnaliter ambulare 1. Cor. 3.*]

2. ab omnibus hominibus in communi: absit, *inquiens, ut hanc impietatem asseramus; quam tribus rationibus à judicijs Dei removet. Primam petit à certitudine extremi judicij v. 6.* Deus certò judicabit mundum: *si verò nulla punienda essent delicta, sed potiùs ex delictis hominum iustitia innotesceret, tolleretur omninò illud judicium, ubi finaliter tandem pœnæ & præmia hominibus adsignabuntur. Secunda à discrimine virtutum & vitiorum v. 7.* Si enim veritas seu justitia Dei ex mendacio seu impietate hominum elucescit, utiq; nullus amplius erit peccator mundo, *nam qualis causa, talis effectus, & vicissim: Si ergò peccata hominum justitiã Dei promoverent vel declararent, essent & ipsa justa opera, & sic peccata nõ essent peccata, injustèq; peccatores damnarentur. Tertiam ab evidenti absurdo: si enim*

injustitia hominum justitiam Dei promovet, sequeretur, facienda esse mala, ut eveniant bona: *nam quo major esset injustitia hominum, tantò clariorem fore & ampliorem justitiam Dei: & hoc quidem objecisse Adversarios, addit in parenthesi Apostolus, quasi ex ipsius doctrina sequatur, sed vocat* blasphemiam, *seu sacrilegam diffamationem, quam justo judicio Dei relinquit. Atque sic ostendit, nequaquam consequentiam tam absurdam ex doctrina sua sequi, sed manifesta sophistica, id quod de pœnis injustitiæ dixit Apostolus, Adversarij sophistæ ad ipsam injustitiam detorserunt. Pœnis enim declaratur Dei justitia, non sceleribus illis fœdifragorum, quibus pœnæ istæ jure debentur.*

Paraphrasis hujus partis.

AVdio sanè, quid huic justissimæ objurgationi obmurmuretis: quasi nihil quidquam privilegij vobis relinquam præ gentilibus, quasi circumcisioni vestræ omnem omnino utilitatem denegem. Ego verò criminationi vestræ de circumcisione nihil amplius respondeo, quàm quod jam antè dixi, prodesse eam vobis, si legem servetis. Cæterùm præeminentiam vestram præ gentilibus libenter agnosco: vobis enim oracula Dei sunt concredita, inter vos publicum est ministerij exercitium, vos in fœdus à Deo recepti, neque taliter Deus fecit ulli nationi: sed quid ista omnia ad vos, si tam hostiliter fœderi Dei nuncium remittitis? Vestra enim incredulitate fœdere, gratiaq; Dei excidistis, qui ex sua alioquin parte pacti nobiscum initi est observantissimus. Absit enim quàm lōgissimè, ut propterea Deus sit muta-

mutabilis, quia vos fidem ipsi non servastis: Ipse enim verax, imò ipsa veritas, homines vani & mendaces sunt: ipse misericordiæ suæ fores nemini præclusit, modò vos redire velletis: interim quod deserentes se deserit, justè facit, eoq; ipso justitiam suam declaravit, quod sceleratos & fœdifragos à gratiâ suâ exclusit, quod tamen nō eò dictū velim, quasi hominū injustitia Dei justitiam promoveat, ac proinde Deus injustè peccata puniat. Absit hæc blasphemia; alioquin sequeretur, neque judicium fore novissimum, in quod plenaria pœnarum executio reservatur; neque dehortationes à peccatis ullius amplius valoris, sed potius facienda esse mala, ut eveniant bona, gloria nimirum & celebratio justitiæ divinæ: idq; per calumniam mihi meæq; doctrinæ affingi apertè protestor, illosq; calumniatores Deo justè judicanti puniendos relinquo.

Quæstiones ex hac parte.

QUÆSTIO I.

Inter τὰ λόγια τοῦ θεοῦ *Iudæis concredita referuntur absq; dubio mysteria Biblica, & historiæ sacro codice comprehensæ: cum ergo gentiles de his nihil noverint, quin & pro rebus fabulosis habuerint, quomodo illa* λόγια *potuerunt esse conversionis gentilium organa?*

[De hac quæstione vid. August. libr. 18. de civ. Dei cap. 47. & commentatorem ejus Ludovicum Vivem ibid.]

Mysteria Biblica etiam gentilibus innotescere potuerunt.

Resp. Habuerunt equidem Iudæi in eo prærogativam præ gentilibus, quod res illæ planè admirandæ inter ipsos gestæ, in scriptis publicis ab ipsis adservatæ, & unà cum mysterijs cæteris ad posteros propagandæ fuerunt traditæ: interim tamen gentiles ab omni prorsus cognitione rerum & mysteriorum illorum non fuerunt exclusi, sed ipsis quoq; ea innotescere potuerunt his potißimum adminiculis 1. *Proselytorum accessu ad Ecclesiam Iudæorum.* Nemini *enim ex gentilitate aditus ad istum cœtum fuit præclusus, quod exempla quamplurimorum gentilium docent, qui ad sacra Iudæorum fuerunt admißi, de quibus supra cap.* 1. 2. *migratione nonnullorum ex Græcia in Aegyptum discendi causa. Erant enim ibi etiam ante Mosis ætatem instructißima bonarum literarum gymnasia, ubi deinceps ex conversatione cum Iudæis Græci multa de religione Iudaica & mysterijs divinis perceperunt, qualia sunt, quæ poetæ interdum attingunt, Ovidius de diluvio ac creatione hominum ex gleba terræ, de interitu mundi: in primis autem quæ Plato de Deo, de mundo & ejus materia, alijsq; similibus in Timæum suum retulit, non nisi ex scriptis Mosaicis hausta. Vnde Numenius Philosophus Pythagoræus (qui & ipse Mosen magna cum veneratione citasse legitur) Platonem Mosen Atticum vocare non dubitavit.* 3. *translatione S. Bibliorum ex Hebræis fontibus in græcum sermonem, quod fieri cœpit etiam ante Alexandri Magni & Persarum imperium, ubi lex Moysis & egressus Israelitarum ex Aegypto græcè extitit, teste Aristobulo in Epistola ad Ptolomæum Philometora: postea verò ex singulari Dei instinctu cum jam appropinquarent gentium ad Ecclesiam vocandarum tempora, Ptolomæus Philadelphus Aegyptiorum* Rex;

De Mose dicit Stephanus Acto. 7, 22. quod in omni sapientia Aegyptiorum eruditus fuerit.

Ioseph. lib. 21 antiq. Iudaic cap. 1.

Rex, consilio (uti fertur) Demetrij Phaleræ jussus, totum codicem Biblicum septuaginta duobus viris selectissimis ex gente judaicâ in græcum sermonem transferendum dedit (quanquam nonnulli his LXX. pentateuchi tantum versionem; cæterorum librorum translationem alijs LXX. ab Herode ad Ptolomæum Dionysium missis adscribant) cujus translationis usum in extrema etiam Aethiopia fuisse, testis est historia Eunuchi Reginæ Candaces Act. 8. cap. etiamnum hodie (uti credibile) utimur: His nimirum adminiculis cognitio rerum sacrarum à Judæis ad Græcos, à Græcis ad Latinos aliosq; exteros singulari Dei beneficio pervenit. Hinc est, quod Iosephus antiquitatum Iudaicarum scriptor, viros in gentilitate celebres allegat rerum divinarum testes, ut Berosum, Chaldæum, Manerbonem Aegyptium, Hastiæum, Hesiodum, Hellonicum, Acusileum &c. Hinc nomina antiquissimorum patrum Biblicorum Nohæ, Iapeti, Chami, Mosis, ritus sacrificandi, historia diluvij, confusio linguarum, excidium Sodomiticum, circumcisio Iudæorum, historia Iosephi, prodigia Aegypti, vaticinia deniq; Prophetica in historijs gentilium scriptorum passim reperiuntur. Quomodo quoq; vera Dei religio in singulis Monarchijs inter gentes etiam claruerit, antequam sequeretur universalis gentilium vocatio, vide apud D. Hunnium p. m. in tractatu de sacros. script. majestate & autoritate argum. 18. Quæ omnia evincunt, gentiles in mysterijs historijsq; sacris non omninò hospites vel fuisse vel esse potuisse: neq; eas ab omnibus pro fabulis habitas fuisse, licet iis suarum fabularum quisquilias non rarò interspersérint. Proinde rectè fit atq; ordine, quod præcipuè ex sacrosancto codice Biblico gentiles etiam vanitatis arguuntur, & ad veritatis agnitionem adducuntur,

ut pote

utpote quilibet à sapientioribus Ethnicorum etiam in magno pretio fuit habitus. Neq; dubium est, quin in hunc usq; diem Iudæi hinc inde dispersi sint ideò, ut libros sacros circumferant, & sic ipsi inimici nostri Christianæ veritati testimonium præbeant, quemadmodum testatur August. lib. 18. de ciu. Dei ca: 46. & in enarrat. Psal. 59.

QUÆSTIO II.

Si incredulitas hominum fidem DEI non evacuat, cur ergò prædictiones Dei sæpe fiunt irritæ?

Prædictiones Dei complectuntur vel promissiones, vel comminationes, easq; vel simplices, vel conditionatas. Prædictiones simplices nunquam fallunt, licet nemo hominum credat eas, sunt enim res illæ, quæ ita prædicuntur, simpliciter in Dei potestate arbitrioq; positæ, ut prædictio incarnationis filij Dei, novissimi judicij, resurrectionis mortuorum &c. & has vocant scholastici Prophetias prædestinationis. Conditionatæ non prius ratæ sunt, nisi impleta ab homine conditione: & quia non aliter à DEO prædicta sunt, quam cum ista conditione, manet illa prædictio ex parte Dei semper rata, licet ex parte hominis, in quo est defectus conditionis fiat irrita: cujus rei manifestum extat exemplum Ierem: 18, 8. Scholastici vocant Prophetiam comminationis. In promissionibus igitur incredulitas prædictionem facere potest irritam; in comminationibus pœnitentia. Nam increduli sibi ipsis inania faciunt Dei beneficia: pœnitentes pœnas divinitus sibi indictas impediunt. Vtrobiq; fit hoc ex parte hominum,

non ex parte Dei. Si enim non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. 2. Tim. 2,13.

QUÆSTIO III.

Si omnis homo mendax, quomodo Christus dicere potuit Ioh. 7. v. 18. qui quærit gloriam ejus, qui misit eum, verax est?

Resp. Distinguendum est 1. inter hominem sibi relictum & ex se loquentem, & inter hominem à Spiritu sancto gubernatum. Homo sibi relictus, ex malo thesauro cordis profert mala Matth. 12, 35. qui verò à Spiritu sancto regitur, is refrænat linguam suam, ne loquatur mala, sed ea omnia, quæ ad gloriam Dei spectant, & hoc respectu verax est. 2. distinguendum etiam inter proclivitatem hominis naturalem, quam habet ad peccandum omnis homo: & inter ipsum actum seu consuetudinem mentiendi, à qua sibi temperare plurimi possunt, adjuti vel naturali rectæ rationis imperio, vel legum fræno, vel singulari Spiritus sancti assistentia, vel speciali ejusdem gratiâ.

QUÆSTIO IV.

Si omnis homo mendax, præsertim extra statum gratiæ consideratus; ergóne omnis philosophia gentilium est mendacium?

Resp. Absit hoc. Nam etsi sapientissimi quiq; Philosophorum ex imperfectione intellectus humani post lapsum ad errores proni sunt, & non facilè ullus est, qui non in aliquibus interdum dormitarit: nequaquam tamen erroris aut etiam men-

dacij culpa toti Philosophiæ est imputanda; Accuratè enim discernendum est id quod habet Philosophus ex reliquijs imaginis DEI à vitiositate illa, quæ ex corruptione naturæ accessit. Conceptus eruditi Philosophi de rebus divinis & humanis veri sunt, si intra limites naturæ sese contineant; sunt enim particulæ quædam reliquiarum de imagine DEI. Quando autem Philosophus naturæ limites transscendit, aut alioquin arte sua non rectè utitur, generatur inde error, qui non ex reliquijs imaginis DEI, sed ex adhærente corruptione naturæ est. Philosophia autem non ex eo, quod ex corruptione accedit, sed ex residuo naturæ lumine, æstimanda est. Et sic considerata non est mendacium, sed insigne DEI donum.

QUÆSTIO V.

Numquid DEVS etiam hac sententiâ Apostolicâ tenetur; Non sunt facienda mala, ut eveniant bona, siquidem ipse agens est liberrimum, qui agere potest, quicquid vult, & cujus bona intentio, rem in se malam, facere videtur bonam?

Resp. Ita quidem docet Zuinglius, ut defendat absurdum illud Theologicum, velle Deum homines peccare, ut habeat, quos justè damnet, & quorum ex gratiâ misereatur. Sic enim scribit sermone de Providentia cap 6. Quod Deus facit, liberè facit, alienus ab omni affectu noxio, igitur & absq; peccato, ut adulterium David, quod ad autorem Deum pertinet, non magis Deo sit peccatum, quàm cum taurus totum armentum inscendit & implet.

Zuinglij blasphemiæ, quibus Deum facit autorem peccati.

plet. *Et iterum cap.6.* Vnum atq; idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum DEI est autoris, motoris ac impulsoris, opus est, crimen non est, quantum autem hominis est, crimen ac scelus est; ille enim lege non tenetur, hic autem lege etiam damnatur. *Et cap. 5.* Cum Deus angelum vel hominem transgressorem facit, ipse tamen non transgreditur, ut qui contra legem non veniat. Non est igitur peccatum, quod Deus fecit, sed homini atq; angelo est: illos enim lex premit atq; accusat, Deo cum Creaturis suis liberè agere licet, non minus quàm patrifamilias cum rebus suis, figulo cum luto. Vtcunq; igitur creaturarum huc impellat aut illuc agat, tantum abest ut peccet, ut hæc citra insigne bonum non faciat, cum interim homo, cui lex est præfixa, etiam cum impellitur, peccet, adversus enim legem operatur. *Hæc Zuinglius satis blasphemè. Nam 1. malè docet, intentionem DEI bonam rem in se malam facere bonam ex parte DEI. Potest equidem mala intentio rem bonam vitiare, sed bona intentio rem malam quocunq; respectu bonam facere non potest. Nam adulterium Davidis, proditio Iudæ res semper mala, Deoq; inimica est, quia semper ἀνομία est, & voluntati DEI repugnat. Nequaquam igitur cum voluntate aut consensu Dei potest fieri, licet Deus pro sua sapiẽtia ad bonum finem eam reduxerit. 2. blasphemia est, quod scribit, Deum angelum vel hominem facere transgressorem: Deus enim nihil fecit, quod odit Sap, 11. transgressores autem legis suæ odit Psal. 5, 7. Ergo transgressores legis suæ non facit, sed inimicus homo est, Diabolus, qui ista zizania bono semini in agro Domini immiscet Matth. 13, 25. 28. 3. deniq; inane est κρηςσφύγετον, quod DEO legem positam non esse scribit. Concedimus enim Deum non habere* Deus sibi ipsi lex est.

legis latorem se superiorem, interim tamen Deus sibi ipsi lex est, & quod contra naturam, sapientiamq; Dei est, id peccatũ est, & res quã ipse neq; velle neq; approbare potest. Liberè itaq; agit Deus, quæcunq; vult; sed nihil vult, quod est contra naturã suam: unde sequitur, ne quidem Deũ velle, vel facere mala ut bonus eveniat finis: aliàs enim aliquid contra naturam suam faceret aut vellet, hoc est, seipsum abnegaret, quod fieri posse negat Apostolus 2. Tim. 2,3.

QUÆSTIO VI.

Si non sunt facienda mala, ut eveniant bona, cur ergò Deus permittit peccata boni finis gratiâ, ut sup. cap. 1. part. 3. quæst. 8. dictum fuit?

Resp. Aliud est facere mala, aliud permittere. Qui mala facit, eadem etiam facere intendit & facta approbat: Deus autem mala permittit, quæ nec approbat nec facere intendit, nec facientibus consentit, sed repugnat & punit, terminum peccantibus ponit, finemq; bonum actioni non bonæ definit. Consentit autem Dei permissio cum fine bono, qui ex re non bona, Deo sic disponente, elicitur, & absq; hoc fine bono si esset, nulla unquam mali fieret permissio.

[Velle fieri mala est malæ voluntatis, quæ vel delectatur malis, vel uti vult eis ad bona, contra Pauli regulam. Velle permittere mala potest esse bonæ voluntatis, præsertim in summo rerum moderatore, ad quem spectat, non impedire cursum rerum.

QUÆSTIO VII.

Qui boni finis gratia permittit rem malam, quam impedire potest, is consentit rei

malæ, atq; sic mala facit, ut fiant bona: Deus boni finis gratia permittit, quæ impedire potest, Ergo consentit.

Resp. Major propositio non est vera; nam permissio rei non includit consensum, sed tantum remotionem impedimenti. Permittere enim non est velle rem, seu consentire rei, sed non impedire eam. Si verò dixeris, is qui impedire potest, & non impedit, sed permittit, non est absq; culpa: respondeo, propositio hæc vera est de ijs, qui mala impedire non saltem possunt, sed & debent: Deus autem nequaquam tenetur impedire mala, nisi id ex mera bonitate salutis nostræ gratia faciat. Ita Magistratus, si permitteret cœdes & adulteria, propterea, ut inde bonæ leges fierent, perperam faceret; quia contra officium suum faceret, cum sit custos utriusq; tabulæ. Deus autem permittens peccata, perperam non facit, quia si vellet, posset hominem relinquere suæ potestati, sicut angelos lapsos reliquit. Quod autem potentiam Diaboli in nobis & malæ voluntatis nostræ conatus impedit, ex mera misericordia facit.

QUÆSTIO IIX.

Si non sunt facienda mala, ut eveniant bona; cur ergo Loth filias suas obtulit libidini Sodomitarum, ut violentiam illam averteret, quam intentabant hospitibus suis? Genes. 19, 8.

Resp. Variè de facto Lothi disputatur à S. Patribus & scholasticis doctoribus. Sunt qui factum Lothi commendant: sunt qui excusant, & cum regula Pauli conciliant: sunt deniq;

qui simpliciter in vitio ponunt. Commendat illud Chrysostomus homil: 43 in Genes. & virtutem Lothi nominat, quod nequidem filiabus suis pepercit, ut servaret hospitibus honorem, & liberaret eos à perversitate Sodomitarum. Et huc nonnulli referunt locum. D. Petri, qui Lothum, à Sodomitarum importunitate liberatum, virum justum nominat, quasi hoc quoq; ad justitiam Lothi pertinuerit, quod in filiabus suis hoc maluit fieri, quàm in hospitibus. Excusat factum Ambrosius libr. I. de Abrah. cap. 6. qui quidem factum illud flagitiosam impuritatem nominat, minus tamen fuisse, ait, secundum naturam coire, quàm adversum naturam delinquere. Minorem ergò culpam excusat devitatione majoris. Alij sic excusant, quod Loth obtulerit quidem occasionem minoris mali, non autem ad illud induxerit, neq; filiabus suis, ut consentirent, persuaserit, sed potius, ut vi illatum stuprum animo illæso & refragante paterentur. Alij dicunt, obtulisse Lothum filias non animo consentiendi in stuprum, sed animo placandi furentem populum, per hyperbolicam sui submissionem, siquidem non credebat, accepturum populum illam filiarum suarum prostitutionem, quas primarijs Sodomæ civibus desponsas esse noverant.

2. Pet. 2.

Verùm enim verò factũ Lothi neq; commendari, neq; approbari potest: expressa enim lex est Levit. 19, 29. Ne prostituas filiam tuam, ne terra cõtaminetur & impleatur piaculo: *sed peccavit Loth non malitia, sed consilij inopiâ, ex perturbato animo, in periculo præsentissimo: justus autem vocatur à Petro Apostolo, non quod ipsum factum justum fuerit, cujus* Petrus *nullam facit mentionem; sed quia fidelis fuit, neq; propositum habuit offendendi Deum. Nam ut Augustinus hac de re loquitur in libr. contra mendacium, cap. 9.*

Loth peccavit prostituendo filias.

aliena

aliena vir ille justus timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus, non attendit suum, quo voluit filias subdere libidinibus impiorum. Hæc quando in scripturis sanctis legimus, non ideo, quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla. Alias quod ipsam thesin attinet, num liceat consentire in minora mala, ut evitentur majora, distinctè respondendum est. Aut enim sunt mala pœnæ, aut mala culpæ. In malis pœnæ etiam ratio suadet, ut redimas famam, negligendam esse pecuniam, cum facilior sit jactura pecuniæ quàm famæ. In malis autem culpæ distinguendus est casus necessitatis, ab ordinariis actibus. Ordinariè nulla facienda sunt mala, ut evitentur alia majora, sive à nobis, sive ab aliis. Quicquid enim licitum est, id & eligibile: nullum autem malum culpæ, quatenus tale, est eligibile ullo modo: ita enim esset aliquo modo bonum, quia non nisi bonum est eligibile: ergo nec ullo modo licitum. Nam si hanc peccatis aperimus viam (inquit August: loco dicto) ut committamus minora, ne alij majora committant, lato limite, imò nullo limite, sed convulsis & remotis omnibus terminis, infinito spatio, cuncta intrabunt atque regnabunt peccata. Casum verò necessitatis nomino, quando mala culpæ evitari nullo modo possunt; quod accidit non quidem ex parte ipsius mali (nullum enim peccatum tam exile est, quod non vitari debeat, & adjuvante Spiritu sancto evitari possit) Sed ex parte hominum, qui interdum ita obstinati sunt, ut à proposito malè agendi desistere nolint: atque tunc, ubi neque minimum neque maximum malum dissuadere potes, minora mala potius permittenda videntur, ut evitentur majora, ubi ex parte permittentis nulla culpa est; non enim approbat, sed corrigit delictum, licet ille, qui facit, culpa vacare non possit.

Num liceat consentire in minora mala, ut evitentur majora.

possit: In quam sententiam scribit Gregorius lib.32.moral.cap 20. Cum in dubijs constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine veniâ peccemus. Hic tamen pietas suadet, omnia prius tentanda esse, quàm malum etiam minimum cōcedendum. Quod si permittendum omninò est, fiat hoc non nisi cum prædictione pœnæ certò subsecuturæ: ita & nostræ conscientiæ consuluimus, & ad peccata ruenti stimulo conscientiæ eius relicto, aliquam revertendi occasionem præbuimus.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Magnus est thesaurus habere verbum* DEI *purum & incorruptum: id enim solum ex privilegijs Judæorum laudat hoc loco Apostolus noster v. 2. Danda igitur opera est, ut benè parta rectè tueamur.* Nam *privatio verbi inter primarias ingratitudinis pœnas refertur Amos cap. 8,11.*

2. *Iudæorum exilium nostræ servit utilitati. Perhibent enim testimonium veritati cœlesti, circumferentes codicem Biblicum, in quo ipsis olim eloquia* DEI *fuerunt credita, quo nomine Christianorum Bibliothecarij vocantur ab Augustino innarr. Psal. 30. Et alibi scribit: Iudæi in libris sunt suffragatores, in cordibus hostes, in codicibus testes lib. 12. Cont. Faust. Manich. cap. 23.*

3. *Infidelitas non nocet* DEO, *sed homini: sunt ergò nihilominus promissiones gratiæ universales, licet in admodū paucis effectum suum consequantur: intelligenda enim est universalitas promissionum respectu acquisitionis, non applicationis.*

4. Non

4. *Non opus est baptisatis post lapsum novo baptismo, quo denuò recipiantur in gratiam, sed per pœnitentiam patet ipsis reditus ad gratiam vi fœderis, quod Deus in baptismo semel cum ipsis pepigit. Fœdus enim illud ex parte Dei nunquam fuit interruptum, ideo vocatur fœdus sempiternum Esa. 54, 10.*

5. *Vanitatis & mendacij omnes convincuntur homines; nemo igitur à peccato vel originali vel actuali exemtus est; quis enim potest dicere mundum est cor meum, Prov. 20? nemo etiam nimium confidat hominum promissis aut viribus: vani enim & mendaces filij hominum Psal. 62, 10. Bonum igitur est confidere in Domino & non confidere in hominibus Psal. 118.*

6. *Judicia mundi de Deo rebusq; divinis vana sunt: Ipse enim semper suorum consiliorum causas habet justas, licet occultas. Nemo ergò cum Deo litigare audeat, vincit ipse convictus à nemine: ideo judicia ejus vocantur investigabilia Rom. 11.*

7. *Iniquitas hominum commendat Iusticiam Dei non respectu culpæ, sed respectu pœnæ. Iustum enim est Deum retribuere tribulationem ijs, qui alios tribulant 2. Thess. 6.*

8. *Ira Dei est immissio pœnarum ob iniquitatem hominum, absq; perturbatione affectuum. Ideò qui alibi irasci dicitur hominibus, hic iram immittere dicitur v. 5.*

9. *Non omnis ira est probibita, sed quibus iudicium in alios concessum est, irasci debent sceleribus hominum, quomodo alias judicarent mundum? Est igitur ira concessa officij, quæ fertur non in personam, sed vitium, eoq; vehementius, quò ardentius Deus diligitur, exemplo Mosis Exod. 11. & Num. 16. &c.*

10. *Iustificare non est justitiam infundere, sed justum*

 pronun-

pronunciare, seu absolvere. Nam de Deo hic dicitur, quod justificetur in sermonibus suis, cui nemo justitiam infundere potest, & similia loca plurima alibi occurrunt, de quibus infra.

11. *Intentio bona facientis non facit bonam rem in se malam, non enim sunt facienda mala ut eveniant bona. Sit ergò Canon ac Regula actionum nostrarum Lex Dei: Bonitas enim facti dependet ab autoritate Dei præcipientis, cujus præcepta sine mendacio consummari possunt, ut ait Siracides cap. 24.*

12. *Axioma Philosophorum: ex malis eligendum minimum, verum est de malis pœnæ, aut cum malum pœnæ & malũ culpæ concurrit, ubi pœna etiam maxima eligenda est, ut evitetur culpa minima. In malis enim culpæ nullum eligendum est ad evitandum alterum; aliàs fierent mala, ut evenirent bona.*

PARS ALTERA.

TEXTUS.

Τί οὖν; προεχόμεθα; οὐ πάντως· προῃτιασάμεθα γὰρ Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι.

Καθὼς γέγραπται, ὅτι οὐκ ἔστιν δίκαιος οὐδὲ εἷς.

Οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, οὐκ ἔστιν ὁ ἐκζητῶν τὸν θεόν.

Πάντες ἐξέκλιναν; ἅμα ἠχρειώθησαν· οὐκ ἔστι ποιῶν χριστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός.

9. Quid ergò? præcellimus eos? Nequaquam? Præcausati enim sumus Judæos & Græcos, omnes sub peccato esse.

10. Sicut scriptum est; Quia non est justus quisquam.

11. Non est intelligens, non est requirens Deum.

12. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum.

Sepul-

Τάφ☉ ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν· ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν, ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν.

Ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει.

Ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα.

Σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν.

Καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν.

Οὐκ ἔστι φόβος Θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν.

Οἴδαμεν δὲ ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ, ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ, καὶ ὑπόδικος γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ Θεῷ.

Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ, διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας.

13. Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant: venenum aspidum sub labiis eorum.

14. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.

15. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

16. Contritio & infelicitas in viis eorum.

17. Et viam pacis non cognoverunt.

18. Non est timor Dei ante oculos eorum.

19. Scimus autem, quoniam quæcunq; Lex loquitur, iis qui in Lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.

20. Quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro corã illo: Per Legem enim cognitio peccati.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Tractationi de gentilium & Iudæorũ injustitia interspersérat hactenus Apostolus παρεμβολὴν *aliquam de Iudæorũ privilegijs. Nunc ad propositũ revertitur & utrumq; populum conjungit, ac ambos in unum peccatorum complexũ cõcludit. Vt antẽ omnẽ offensionis occasionem amoliatur, per* κοινωποίησιν *semetipsum includit :* Quid ergò? *inquiens,* præcellemus eos? nequaquã: *quasi dicat : etsi multa sint populi nostri privilegia præ gentilibus, nullam tamen habemus prærogativam*

 injudi-

in judicio Dei arguentis peccata. Causati enim sumus (*in græco est* προῃτιασάμεθα *argumentis jam satis convicimus*) Iudæos, & græcos omnes sub peccato esse, *seu omnes peccati reos esse: hoc vult phrasis Hebræa sub peccato esse vel concludi, sicut sub lege esse, peccato & legi subjugari, à peccato & lege accusari & damnari. Remittit igitur Romanos suos ad ea argumenta, quibus superioribus capitibus Iudæos & gentiles seorsim peccati reos egerat: quod enim de singulis verũ est, in omnibus etiam locus habet: Iam propter Iudæos inprimis legis & Prophetarum gnaros, eloquiorumq́ divinorum custodes ad scripturam etiam provocat,* sicut scriptum est *inquit, quam scripturam ex diversis Prophetarum vaticinijs adfert, & aliquot peccata in specie recenset, quibus omnibus hominibus in communi laudem integritatis adimit.* 1. *Adimit eis in genere Iustitiam ex Psal. 14, 1. & 53, 3.* non est justus quisquam: *loquitur de justitia operum, quam omnibus derogat etiam justissimis in hoc mundo, propter imperfectionem actionum &* ἀδυναμίαν *virium humanarum, ob quam fit, ut in multis labamur omnes.* 2. Non est intelligens: *tribuit ergò eis cæcitatem atq; ignorantiam, etiam ijs, qui videbantur sibi ex lumine naturæ & eloquijs Dei sapientissimi.* 3. *adimit eis rectam voluntatem,* non requirens Deum. *Requirere Deum (Hebræis est* דָּרַשׁ*) aliàs significat consulere Deum in re dubia, ut 2. Reg. 22, 13. ite, requirite Iehovam pro me & populo: aliàs implorare opem Dei, ut Iob. 5, 8. requirerem Deum, & ad Deum deponere eloquiũ meum. Hoc in loco significat studiosè & pleno voluntatis consensu colere Deum, quo sensu accipitur 2. Paral. 14, 4. jussit Rex, ut quærerent Deum Patrum suorum.* 4. *Adimit eis constantiam mentis, & adsensus, in via veritatis:* omnes declinaverunt, simul inutiles facti

Sub peccato esse quid?

Requirere Deum quid?

ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. *Apoſtaſiam à Deo notat tanquam originem peccatorum reliquorum, eiuſq; duo effecta, ἀδυναμίαν ſeu impotentiam ad bonum, & defectum ipſius actus in bono. Fieri enim vix poteſt, ut faciant voluntatem Dei, qui abnegarunt veritatem ejus: quam ob cauſam initiũ ſuperbiæ vocatur apoſtatare à Deo Eccleſ. 10, 14. 5. Adimit eis præcipuorum membrorum corporis rectitudinem. Ori tribuit quatuor vitia. 1. αἰσχρολογίαν: comparat enim eorum* guttur *fœtido* ſepulchro *ex Pſal. 5, 11. 2. dolos & fraudulentiam ex eodem Pſalmo. 3. convitia & calumniam: comparat enim ipſorum* labia veneno aſpidum, *cui difficilimum reperitur remedium ex Pſal. 140, 4. 4. blaſphemiam:* os *enim eorum plenum ait eſſe* maledictione & amarulentia *ex Pſalm. 10, 7. Pedibus tribuit celeritatem ad opprimendos innocentes;* veloces *enim eſſe dicit* ad effundendum ſanguinem *ex Eſa. 59, 7. greſſibus ipſorum tribuit* perditionem, *quod omnia devaſtent, & corrumpant conſiliis, quocunque ierint, ſibiq; ipſis tandem interitũ accerſant: greſſus enim ſive viæ interdum conſilia ſignificant, ut Eſa. 55, 8. Atq; ſic ſuperiora & inferiora membra corporis conjunxit, & ex his totum corpus peccato pollutum eſſe arguit. 6. Deniq; adimit eis omnem reverentiam numinis divini ex Pſal. 36, 2.* non eſt timor Dei ante oculos eorum *hic enim verè fons eſt omnium illorum flagitiorum, quæ jam modò recitaverat, quod Deum removerunt ex oculis: qui enim Deum non timet, quomodo is homines revereretur? Sciendum autem eſt, loqui Apoſtolum in hoc Catalogo peccatorum non tantùm de actualibus peccatis, verùm etiam de originali; quod inde patet, quia generaliter loquitur, ne quidem infantes excludens: & de eo loquitur, à quo per gratiã Dei liberamur, & deniq; quia peccata illa actualia præſupponunt originale tanquã cauſſam:*

 unde

Sedes peccati originalis est in toto homine.

unde liquidò constat, Apostolum sedem peccati originalis non in una saltem parte hominis, sed in toto homine, in intellectu & voluntate, adeoq; omnibus facultatibus animæ, omnibusq; membris corporis, collocare. Antequam autem concludat Apostolus per praeoccupationē respōdet tacitæ Iudæorum *objectioni. Ne enim oggerant, scripturas illas omnes agentes non renatas attinere, Iudæos minimè; respondet Apostolus v. 19. legem arguentem peccata pertinere ad eos*, quibus lata est: *jam verò lata est Iudæis, quod ipsi negare non poterant: ergò ad ipsos quoq; pertinere, iisq; ista omnia ex lege dicta esse, ita ut nemo hominum se ab accusatione ista legis excipere possit, sed omnes omninò obnoxii sint & crimini, quod ex lege cognoscitur, & pœnæ, quæ in Lege dictatur: utrumq; enim notat phrasis* ὑπόδικον εἶναι, *legi quoad culpam & reatum subjectū esse. His ergo positis concludit v. 21.* ex operibus legis nō justificari ullam carnem *rigido Dei judicio, sive Iudæi vocentur sive gentiles: licet enim coram mundo justitiæ laudem habeant: coram Deo tamen nullus per se est innocens, Exod. 34, 7. idq; ne temerè dixisse videatur, probat à contrario officio legis, quod est, non tollere, sed arguere cognitumq; facere peccatum; quemadmodum hactenus lege naturali gentilium peccata ex lege Mosaica Iudæorum iniquitates manifestavit.*

Legi subjectum, seu sub Lege esse quid sit?

Paraphrasis hujus partis.

SEd quid multa? ut ad propositum meum redeam, non est, quod existimemus nos Judæi, privilegium illud eloquiorum DEI excludere nos à consortio peccatorū. Iam antè enim firmissimis argumētis evici, Iudæos atq; Græcos pariter peccati reos esse, id quod & scriptura passim ubiq; luculenter comprobat. Ea enim omnes homines vanitatis & injustitiæ arguit, intellectū cæcitatis ac ignorātiæ, volūtatem abalienationis

à Deo

à Deo, totum deniq; hominem ἀποστασίας & malitiæ accusat: gutturi obscenitatis abyssum, linguæ dolos & mendacia, labiis fraudes & calumniam, ori deniq; toti convitia & maledicentiam; pedibus in opprimendis aliis violentiam, & tandem omnibus greßibus nostris vastitatem & nocendi studium tribuit. Tales omnes sumus naturâ, nullus hic timor numinis, nulla reverentia hominum: tales omnes ex lege agnoscimur, quotquot lege nos obligatos fatemur. Vnde nihil aliud inferri potest, quàm nullam prorsus ex operibus legis justitiam, neque gentilibus ex lege naturæ, neque Iudæis ex lege scripta; siquidem fieri non potest, ut justitia procedat ab impiis, felicitas à miseris.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Quî fit, quod verba ab Apostolo Paul. v. 13. usq; ad 19. exclusivè, allegata, leguntur in veteri versione latina, Psal. 14, in Hebræo verò non reperiuntur: annon hoc iudicium est, codices Hebræos à Iudæis fuisse corruptos, & versiculos illos ex Psal. 14. erasos, quemadmodũ Pontificij quidã scriptores contendunt?

(Bellar. recenset Jacobum Episcopum Christopolitanũ præfat. in Psal. Melch. canum lib. 2. loc. Theol cap. 13. Pererius addit Lindanum.)

Resp. Movet hanc quæstionem D. Hieronymo Eustochium virgo Christiana, ad quam ipse respondet in Proœmio libr.

libr. 16. commentar. in Esaiam, Paulum illa loca non ex uno aliquo Psalmo, sed ex Psalmis & Esaia contexuisse, neq; in conversione septuaginta interpretum, neq; in ullis Græcorum commentarijs inveniri, ex Apostolo in Psalmum decimum quartum inserta fuisse. Cum quo consentit Origenes super cap. 3. Rom. qui ex hoc Apostoli facto locum communem extruxit, cum scripturæ testimonijs utendum fuerit, sensum magis ex ea quàm verba capienda esse. Nequaquam igitur inde elici potest, Iudæos scripturas corrupuisse: quid enim inde percepissent commodi adversus Christianos, siquidem in hisce versiculis nullus fidei Christianæ articulus attingitur? Vidit quidem hanc veritatem Bellarminus etiam libr. 2. de verb. Dei cap. 2. addit autem, hos versiculos in Psalmi decimi quarti vulgata versione ideò tolerari, quia sint partes scripturæ & sine scandalo & turbatione populi non possint auferri, quemadmodum Ecclesia patitur nonnullos errores typographorum. Atqui longè melius & è re Christianæ Ecclesiæ magis est, agnoscere ex hoc exemplo, quàm parum vulgatæ versioni Latinæ fidendum sit, quam tamen Tridentinum conciliabulum pro authentica habendam esse sub anathematis fulmine satis audacter edixit Sess. 4. decr. de editione & usu sacr. libr. Etsi enim versiculi illi partes sunt scripturæ, tamen suum in locum erant reponendæ, neq; ullum hic metuendum scandalum populi, si è vulgata versione Latina Psal. 14. hi versiculi tollerentur. Nam populo lectione Bibliorum est interdictum, pendet etiam ab ore pontificis, quem pronunciando ex cathedra absque errore etiam Biblia corrigere posse credit: & licet hoc non fieret, nullum tamen esse periculum scandali, ubi manifesti errores corriguntur: quod si maximè scandalum oriretur, acceptum illud esse, non datum, quod facilius toleratur, quàm in errore contra conscientiam perseveratur. Non enim

Latina versio vulgata Bibliorum vitiosa.

conces

concedendum est, ut error in negotijs fidei jus faciat: imò error, quò diuturnior, eò peior esse solet. Quòd si maximè hic error typographorum erroribus comparandus est, utiq; consultum esset, ut typographorum etiam exemplo publicè moneretur, versiculos illos in Psalmi 14. Latinam versionem irrepsisse: unde perquàm facilè constaret, Latinæ versionis autoritatem tanti nequaquam faciendam, quanti æstimatur Codex Hebræus, cui tamen Latinam illam, tot solœcismis & erroribus notorijs abundantem, non sine cauterio conscientiæ anteferendam censent.

QUÆSTIO II.

Cùm D. Paulus ex Psalmo repetat v. 10. & 12. non esse quenquam justum, non esse qui faciat bonum, quomodo consentit cum Mose, qui Noam virum justum & perfectum nominat Gen. 6, 9. aut cum D. Luca, qui Zachariam & Elisabethã justos vocat Luc. 1, 6. imò quomodo sibi ipsi cõstat, qui suprà dixit, Factores legis justificabuntur? cap. 2, 13.

Pererij angustiæ.

Resp. Multùm sudat Pererius in conciliatione horum locorum disp. 6. in cap. 3. Rom. & fatetur, catholicos doctores varijs modis ista verba interpretari, ut ea dirigerent ad verum & catholicũ sensum. Ipse verò eam sententiam amplectitur, ut statuat sententias illas Davidis (quas citat Paulus) non ad omne genus hominum simpliciter referendas esse, sed ad omnes homines impij & iniqui populi, apud quos verè dicatur, quòd non sit justus quispiam nec faciens bonum. Sed huic interpretationi refragatur scopus Apostoli nostri, cui propositum est,

omnes omninò homines peccati reos agere, sicut expressè dicit v. 9. Causati sumus Iudæos & Græcos, omnes sub peccato esse. Nullum hîc facit discrimen boni & mali populi: idq; mox allegatis Psalmi locis probat: quia non est justus quispiam, omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum. Et deinde clariùs dicit, se id scribere ijs qui sub lege sunt, ut omne os obturetur, & subditus fiat TOTVS MVNDVS DEO. Præterea repugnat scopus Psalmi 14. unde hæc depromta sunt. In eo enim homines quasi coram Dei judicio constituti peccatorum rei arguuntur, non aliqui, sed omnes omnino; ideò universalitatem illam tripliciter effert Spiritus Sanctus 1. per expressam affirmativam, omnes, *quæ notatur in Hebræo He demonstrativo, quo quasi digito notatur, sermonem esse de ijs, de quibus in præcedentibus egerat, id est, de filijs hominum ex patre ac matre natis. 2. Deinde per particulam combinantem* יַחְדָּו *Omnes simul seu pariter, ita ut nemo excipiatur. 3. per negationem, quæ excludit nullum prorsus:* ne unus quidem. *Non igitur locum hîc habere potest ulla restrictio, sed omne genus humanum in judicio Dei peccati accusatur. Et cum hac sententia consentit universa scriptura Prophetica & Apostolica. Nam universa caro corrupit viam suam Gen. 6, 12. unde non est homo, qui non peccet 2. Paralip. 6, 36. Eccl. 7, 21. 1. Reg. 8, 46. & innocens apud Deum non est innocens Exod. 34, 7. non est homo justus in terris, qui faciat bonũ & non peccet Eccl. 7, 21. peccatores sunt & erraverũt ab utero Ps. 58, 4. ita ut justus in die septies cadere possit Proverb: 24, 16, & nemo sit, qui dicere possit, mundum est cor meum Prov. 20, 9. sed omnes sancti pro remißione peccatorum suorum orare cogantur Psal 32, 6. &c. Concludimus igitur, nullum omninò filium hominis, id est, à patre & matre genitum à pec-*

Totum genus humanum peccato obnoxium.

catis

catis immunem esse, ne quidem qui in vita alioquin est sanctissimus: Vnde Divus Chrysostomus in comment. Psal. 14. ex his verbis, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum, etiam B. Virginem Mariam peccato obnoxiam fuisse rectissimè concludit: quæ sententia Pererio nec probabilis neq; proba esse videtur; sed in ea Chrysostomū veritatis & pietatis terminos excessisse satis audacter scribit loco dicto. Indubitatū enim & certum esse in Ecclesia catholica, beatissimam virginem omnis peccati, etiam levissimi ac minimi per omnem vitam fuisse expertem. Hæc Pererius, quibus & scripturæ & analogiæ fidei & Patribus & Pontifici Romano & socijs suis impudenter cōtradicit. Scriptura enim locis suprà allegatis à peccato neminē excludit in judicio Dei, qui conclusit omnes sub peccatum, ut omniū misereretur Gal. 3, 22. Ro. 12, 32. apertè etiā testatur, quicquid ex carne natum est, carnem esse Ioh. 3. Analogiæ fidei repugnat: Nam si Maria caruit peccato, Christus propter eam nō venit in mundū, qui propter peccatores venit Matt. 9. 1. Tim. 1. nō necesse habuit vel in Christum credere vel precari, dimitte nobis debita nostra &c. non opus habuit concione Evangelij de gratuita remissione peccatorū: nō opus habuit vel baptismo vel Eucharistia. Sanctis Patribus refragatur, quemadmodum jā modò testimoniū Chrysostomi audivimus, quod iste, pro sua libidine, impietatis & mendacij absq; ratione arguit: Augustinus autē detestandos hæreticos vocat eos, qui præter unicam Iesu Christi carnē ullam carnem humanā à peccato excipiunt, lib. 5. cont Iulian. cap. 9. Quòd autem alibi scribit, se de peccato Mariæ nullam habiturum quæstionem, idem tantùm facit, quia noverat ipsi ad vincendas suggestiones peccati gratiam fuisse datā, ut ipse addit lib. de nat. & grat. cap. 36. Pontifici Romano contradicit, dum dogma hoc indubitatū & certū esse scribit in Ecclesia catholica (Papisticā intelligit) Mariā absq;

Pererius Chrysostomum impietatis & mendacii arguit.

B. Maria non caruit peccato.

peccato esse etiam levissimo. Nam contrarium constat ex sanctione Sixti IV. Pontificis Romani, qui circa annum Domini 1483. statuit, quia nondum à Romana Ecclesia sit definitum, utra opinio verior sit, utramq; opinionem liberam esse, ita ut neutra accusanda vel damnanda sit hæreseos. Concilium Tridentinum in appendice sess: quintæ statuit, has Sixti constitutiones observandas etiam sub pœnis in illis constitutionibus cõtentis. Bellarminus deniq; expressè scribit lib. 4. de amiss: grat. cap. 15. opinionem illam de immaculatæ virginis Mariæ conceptione non defendi ut articulum fidei, rem istam nondum satis esse certam & exploratam. Ubi ergo relinquitur illud Pererianum indubitatum atq; certum est? Manet ergo immotum hoc Apostolicũ Axioma de omnibus omninò hominibus, nemine excepto: Non est justus quisquam, non est, qui faciat bonum: *partim, quia in injustitia nati atq; concepti sunt omnes: partim, quia omnibus ipsorum etiam justissimis operibus adhæret imperfectio, quæ coram Dei judicio totam actionem vitiat, qui enim in uno peccat, reus est omnium. Et licet illa justorum operum imperfectio venialis sit; ipsa tamen in genere, extra gratiam Dei considerata, divinam vindictam merentur. secus quàm opinatur Pererius, qui venialia delicta à vindicta Dei excludit disp. 7. in cap. 3. Rom. nu. 37. Quando autem Noa, item Zacharias & Elisabeth justi & perfecti dicuntur, intelligendum est,* vel *de justitia imputata, quæ fit fide in promissum Mediatorem Mundi, & hæc est justitia perfectissima, unde Christus dicitur nos perfectos fecisse in sempiternũ una oblatione Hebr. 10,* vel *de justitia incoata, qualis est in credentibus,* vel *de integritate seu sinceritate operũ, non ex hypocrisi sed ex corde sincero profectorũ:* vel *deniq; de collatione horum sanctorũ ad cæterã fecem hominũ: ideò dicuntur justi in generationibus suis. Aliàs sanè Noa peccato non carebat, cùm vino inebriaretur Gen. 9, 21. neq; Zacharias, cùm*

Quomodo pii dicantur in scriptura perfecti?

mandato Domini fidem non haberet, propter quod & annua cæcitate puniebatur. Quomodo verò factores legis justificari dicantur, suprà fuit expositum cap. 2. part. 1. quæst. 9.

QUÆSTIO III.

Quomodo Paulus noster scribit, ex operibus legis neminem justificari, cùm Iacobus Apostolus expressè scribat contrarium, Abrahamum ex operibus justificatum esse Iac. 2, 21?

Resp. Ut loca hæc conciliet Pererius, varias affert interpretationes loci nostri Apostolici. Primùm ait, excludere D. Paulum omnia opera, quæ sunt facta ante gratiam, sive sint ex lege Mosis, sive ex libero arbitrio hominis. Deinde Apostolum Paulum loqui de justificatione non secundâ, sed primâ, quæ fit translatio hominis ex statu peccati in statum justitiæ. Tertiò opera excludi non omnia, sed ea tantùm, quæ tanquam merita justitiæ condigna dicuntur esse: Multa enim esse in homine nondum justificato, quæ licèt non mereantur justificationem, præparent tamen animum ejus, & idoneum faciant atque capacem justificationis: & talia opera à Paulo non excludi. Ita Pererius disp. 8. in cap. 3. Roman. Ut igitur de sententia loci hujus classici, qui διαρρήδην derogat operibus justificationem hominis, dextrè atque ordine agatur, duo præmittenda sunt 1. de quanam justificatione loquatur hoc dicto D. Paulus. 2. quam à justificatione opera excludat. Primum quod attinet, sciendum est ante omnia, Iustificare in hoc fidei articulo non habere significationem grammaticam, quasi idem sit ac ex injusto justum facere, quemadmodum intelligunt Pontificij, quemadmodum videre

Pererij angustiæ in conciliando Paulo & Iacobo.

Iustificare quid sit D. Paulo.

videre est inter alios apud Bellarminum libr. 2. de justific. cap. 3. Costerum in Enchir. cap. 6. p. 270. Pererium disp. 8. in cap. 3. Rom. Certum enim est, quòd in tali significatione nuspiam reperiatur in scriptura, neq; potuerunt Adversarij in hunc usq; diem, licèt diligentissimè inquisiverint, plusquam duo adferre loca scripturæ, quæ prima fronte ipsis patrocinari videntur; unius extat Dan. 12, 3. ubi doctores justificare dicuntur multos, alter Apocal. 22, 11. qui justus est, justificetur adbuc. Neuter autem Iustitiæ infusum habitum probat. Nam doctores justificant non infundendo novas qualitates, sed erudiendo ad justitiam seu ostendendo viam consequendi justitiam. Iusti adbuc justificantur, vel quando in collato justificationis beneficio perseverant: vel quando indies magis magisq; sanctis Iustitiæ operibus student. Est igitur justificare in scriptura non justum facere, infusis novis qualitatibus justitiæ, sed justum constituere, pronunciare, declarare, quemadmodum Deus justificari dicitur in sermonibus suis supr. v. 4. & Luc. 7, 29. Publicani justificaverunt Deum, non quòd ex injusto justus fiat, sed quia justus esse agnoscitur, declaratur; eodē modo sanctificari & magnificari dicitur. Ea verò declaratio fit vel coram Deo, vel coram hominibus. Coram Deo justificantur homines, quando absolvuntur à peccatis, propter justitiam CHRISTI gratis ipsis imputatam. Et hæc justificatio tribuitur à Paulo fidei. Coram hominibus justificantur, quando pro justis & à Deo in gratiam receptis agnoscuntur: & hæc declaratio fit à posteriori: tribuitur enim operibus, quæ testantur de fide seu persona justificata, tanquam effectus de sua causa. De priore declaratione loquitur D. Paulus, de posteriore D. Jacobus, ut constat ex v. 18. Iacobi. Vtrobiq; est significatio forensis. Hæc enim in vocabulo justificandi concurrunt. 1. accusatum in judicio

ab inten-

ab intentato crimine absolvere. 2. pro justo & innocente reputare. 3. laudem & testimonium innocentiæ tribuere. Prima duo Deo competunt; tertium etiam hominibus, qui vident hominis justificati bona opera, & glorificant Deum Patrem, qui in cœlis est. Forensem hanc hujus vocis significationem probant, & Grammaticam Esauitarum jugulant hæ rationes. 1. quia de judicijs atq; actionibus forensibus disertè usurpatur, 2. Samuel. 15, 4. Esa. 43, 9. 2. quia justificationi condemnatio opponitur, Deut. 25, 1. Prov. 17, 15. Roman. 8, 33. 3. quia scriptura articulum justificationis frequenter sub forma processus judiciarij proponit Rom. 3, 9. 19, 24. & cap. 5, 10. &c. Porrò quod alterum attinet, de quibus operibus loquatur uterq; Apostolus, sciendum est, distinguere Pontificios inter opera non renatorum, seu ante gratiam facta, & inter opera Renatorum. Illis Justificationem hominis non tribuunt, nisi quòd de præparationibus & dispositionibus ad justificationem disputant, quod illæ, licèt non mereantur justificationem, præparent tamen animum & capacem ejus faciant. His tribuunt justificationem secundam, quam vocant, hoc est, augmentum justitiæ. Sed contra hanc distinctionem operum in genere sciendum istì, scripturam in universum omnibus omninò operibus hominum, sive ante gratiam, sive post acceptam gratiam fiant, sive præparatoria sive meritoria dicantur, justificationem coram Deo derogare: idq; his rationibus docetur, 1. quia D. Paulus in hoc articulo semper opponit facere & credere. fidē & opera, Rom. 3, 28. Rom. 4, 6. Eph. 2, 8. Rom. 10, 5 9. Gal. 3, 5. &c. 2. quia opera bona sunt legis opera etiā à renatis profecta, Deus enim non vult cultum electicium. Divus Paulus verò expreßè scribit, nullam datā esse legē, quæ poßit vivificare Gal. 3, 21. 3. quia operibus

Vocabulum justificandi quid complectatur.

Distinctio Papistica inter justificationem primam & secundam refellitur.

legis

legis tribuitur agnitio peccati: ergo non absolutio seu justificatio, quemadmodum Apostolus ipse concludit hoc versiculo 20. 4. quia loquitur hic Apostolus de operibus originali labe infectis, ut totus contextus ostendit: talia autem esse etiam renatorum opera, negari non potest: imperfecta igitur sunt, & salutis aut justitiæ non capacia. 5. quia cùm operibus justificationem derogat Apostolus, non tantùm cum προσδιορισμῷ opera legis nominat, sed & simpliciter opera vocat, omnem distinctionis occasionem intercipiens, ut Roman. 4, 6. Ephes. 2, 9. 2. Tim. 1, 9. Rom. 11, 6. Tit. 3, 5. 6. quia opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum, ut August. loquitur. Noli præsumere de operibus tuis ante fidem, inquit in præfat. Psal. 32. noveris, quia peccatorem te fides invenit. Ex quibus verbis Augustini rectè infert Bellarminus lib. 1. de justific. cap. 21. ante fidem nihil benefieri posse, ex fide enim incipere, quæcunq; sunt bona. **Præparationes ante justificationem.** *Quod autem præparationes illas, quas isti vocant, attinet, id est, bonos motus in homine justificando, metum iræ divinæ, odium & detestationē peccati, propositum emendandi vitam, &c. ex quibus meritum congrui procudunt Pontificij; ea sanè non considerantur in ipsa justificatione, vel ut caussæ, vel ut dispositiones idoneum facientes hominem ad justitiam accipiendam: omnis enim ἱκανότης nostra à Deo est 2. Cor. 3. & præter gratiam Dei, meritum Christi & fidem, ad justificationem nostram nihil ampliùs requiritur, sed ad conversionem hominis pertinent, quæ à justificatione discernenda est, & plusquam hæc requirit, quemadmodum Formula Concordiæ pulchrè explicat pag. 657. edit. Lips. sed de his infra fortè plura sequentur.*

Ex his ergo, quæ hactenus de justificatione & operibus dicta sunt, facilis est conciliatio duorum locorum Apostolicorum

rum, Pauli & Jacobi. Quando enim Paulus scribit, non justificari operibus ullam carnem, *loquitur de justificatione coram Deo, quæ limitatio expressè additur: ibi enim non opera, sed fides locum habet, quæ sola organum illud est, quo justitiam Christi nobis imputatam apprehendimus. Quando verò Jacobus scribit,* videtis Abrahamum ex operibus justificatum esse, *loquitur de justificatione coram hominibus, seu de declaratione justitiæ fidei ex effectibus, quemadmodum versu præcedente decimo octavo declaratur. Hinc sunt illa verba* Origenis *super hunc locum: Aliud est coram Deo justificari, aliud coram hominibus, hoc est, ad comparationem aliorum hominum potest alius homo, qui emendatiùs vixerit, justus videri, ad comparationem autem Dei, non solùm homo non justificabitur, sed & sicut Job dicit, stellæ non sunt mundæ coram ipso, quæ utiq; coram nobis mundæ habentur, ad comparationem verò Dei mundæ esse non possunt.*

QUÆSTIO IV.

Per legem est agnitio peccati, scribit Apostolus v. 20. an ergo peccatum, ante latam legem non fuit cognitum? contrarium verò patet ex historia Caini, qui peccatum agnovit, & quidem majus esse credidit, quàm quod remitti queat, Genes. 4. Iosephi quoq; fratres peccata sua agnoscunt & deprecantur, Genes. 50.

Resp. Quæstionem hanc movent Origenes & Ambrosius

in commentariis super hunc locum: qui verba Apostoli de lege naturali intelligunt, quæ monstrat discrimen honestorum & turpium: sed quia lex moralis Mosaica non contradistinguitur legi naturali, ut suprà diximus, ideò non malè naturalem legem & decalogum Mosis conjungimus. Ex utraq; lege est agnitio peccati. Nam quemadmodum qui ante traditam legem Mosaicam vixerunt, absq; lege scripta peccarunt, sic & absq; lege scripta ad agnitionē peccati pervenerunt, accusantibus invicem cogitationibus ipsorum, ut Paulus suprà dixerat cap. 2. Iam verò post publicatum Decalogum, ex decalogo agnitio peccati κατ' ἐξοχὴν *esse dicitur 1. quia natura confusè tantùm & obscurè ostendit peccatum, nonnulla etiam enormia aut non ostendit aut extenuat, ut scortationem, quæ gentilibus quibusdam erat in nullo ferè vitio: decalogus verò penitissimè ad ipsum quoq; cor penetrat, & concupiscentias ejus malas arguit, peccataq; esse ostendit, juxta illud Rom. 7, 7. Concupiscentiam non novissem, nisi lex dixisset, non concupisces. 2. quia lex naturæ ostendit, peccatum ideò tantùm esse malum, quia contra rectam rationem est: decalogus verò non tantùm ideò, sed & quia contra voluntatem Dei est: hujus enim exquisita regula & æterna immotaq; norma est. 3. quia lex naturæ unà cum peccatis quidem pœnas etiam peccatorum, sed pœnas tantùm temporales: decalogus verò pœnas etiam æternas juxta illud Deut. 27, 26. maledictus, qui non facit omnia quæ scripta sunt in lege: & respectu hujus actus vocatur lex virtus peccati 1. Cor. 15, 56. quia atrocitatem peccati ostendit, quàm naturâ agnoscere non valemus.*

Agnitio peccati est inprimis ex decalogo.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Quicunq; ullum hominem à peccato eximit, obloquitur Apostolo Paulo, qui omnes absq; discrimine, peccatorum Decalogo includit: quò referantur loca scripturæ cætera, supra quæst. 2. allegata. Nihil igitur detrahitur honori B. Virginis Mariæ, si maximè eam quoq; in peccato conceptam dicamus: detraheretur potius, si id negaremus: nam quod Cassianus de Christo dixit libr. 1. id ad Mariam nos referimus. Quicquid de Maria non ita dicitur, uti est, licèt honor videatur, ignominia est.*

2. *Pudeat Ecclesiæ ministros de rebus divinis absq; scriptura loqui, cum videamus hoc fecisse tantum Apostolum: de quo Origenes in hunc locum, Doctoribus Ecclesiæ præbet exemplum, ut ea, quæ loquuntur ad populum, non proprijs præsumta sententijs, sed divinis munita testimonijs proferant. Et Hieronym. ad Nepotianum: Sermo presbyteri lectione scripturarum conditus sit.*

3. *In allegendis scripturis, exemplo Pauli Apostoli, non tàm ad verba & sonum literarum, quam sententiam attendendum est, & vera sententia ex collatione similium locorum scripturæ eruenda: est enim scriptura sui ipsius optimus interpres.*

4. *Horribilis est naturæ humanæ corruptio, quæ non in una tantum nostri parte, sed in omnibus membris corporis ac facultatibus animæ agnoscenda est: in intellectu, voluntate, linguis, labijs, ore, pedibus &c. quod malum eleganter descripsit Esaias cap. 1, 6. unde*

Lutherus scripsit præfat. comm: in Psal. 51. Peccatum est hoc totum, quod natum est ex patre & matre.

[Potissima sedes peccati originalis est anima, quæ principatum originis sibi vendicat, à qua etiam omnes actiones dependent. Per hanc peccatum in omnes vires totius hominis erumpit, unde Apostolus jubet veterem hominem exui, Rom. 6. inprimis autem mentis transformationem & renovationem urget, Rom. 12, 2. Ephe. 4. &c.

5. *Etiam justissima hominum opera imperfectione laborant: quis enim est, qui faciat bonum & non peccet? Eccles. 9. Nemo igitur vel sua vel aliorum opera bona nimium extollat, sed cogitet maximum eorum quæ fecimus, esse minimum eorum, quæ adhuc facere debuimus: quin imò licèt omnia fecerit, dicat, se servum esse inutilem Luc. 17.*

6. *Peccatum originis complectitur partim privativa, partim positiva mala. Privativa nominat Apostolus ἀχρειότητα imò mutabilitatem: non enim sumus ex nobis ipsis tanquam ex nobis ipsis, utiles aut idonei ad cogitandum aliquid boni, 2. Cor. 3, 5. Positiva vocat ἔκκλισιν declinationem, hoc est, pronitatem ad mala, quæ nobis adhæret ab adolescentia Gen. 8, 21.*

7. *Malum originis nunquam est otiosum: ideò semper habet adjuncta peccata actualia, quemadmodum Apostolus hoc loco illa duo conjungit,* inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum. *Nemo itaq; existimet, naturalia in homine post lapsum mansisse integra, si naturam hominis consideres, qualis condita est à Deo, & qualis nunc est.*

(Lutherus in cap. 2. ad Galat. concedit, naturalia esse integra in homine. Sed intelligit naturam Adami post lapsum integram esse in cæteris hominibus. Integra enim est corporis membrorumq; dispositio, animæ humanæ vis & libertas in contemplando &c. Integra etiam est corruptio, id est, peccatum originis, ignorantia in mente, aversio in voluntate, Summa, naturalia sunt integra

in

in regno corporali: non autem in regno spirituali, ut Lutherus ibidem declarat.)

8. *Emphatica peccati descriptione non docetur ipsam substantiam hominis peccatum esse, sed atrocitas tantùm peccati notatur, quòd substantiam hominis totam nefariè vitiavit: ita ut nihil in homine monstrari queat, quod à peccato sit immune: aliàs oportet manere discrimen inter creaturam Dei & adjacens vitium, quod ex invidia Diaboli intravit in mundum Sap. 2.*

9. *Non sufficit ore confiteri Deum, si factis abnegetur: quemadmodum Iudæis hîc omnis timor & reverentia numinis, omnis cognitio Dei derogatur, licet penes ipsos verus fuerit Dei cultus, hoc est, quòd insipiens in corde suo dicit, non est Deus* Psal. 14.

10. *Notetur quàm diligentissimè expressa negativa Apostoli nostri:* non justificatur ex operibus legis coram Deo ULLA caro. *Est igitur una eademq; salutis ratio omnium hominum: neq; admittenda est frivola Scholasticorum distinctio, qua homines ante Mosen lege naturæ, sub Mose lege Mosis, post Mosen lege Christi salvatos esse finxerunt; cui semper opponenda est hæc maxima:* Ex operibus legis non justificatur coram Deo omnis caro.

11. *Vocabulum carnis, quo homo indigitatur in scriptura, admoneat nos fragilitatis nostræ, auferat securitatem & superbiam: omnis enim caro fœnum Esa. 40, 6. tollat nimiam formidinem hostium, quorum ferocia ut fœnum exarescet Esa. 51, 22. & gignat in nobis veram Numinis divini reverentiam, coram quo omnes gentes, ut stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt Esa. 40, 15.*

12. *Etsi lex infirmata per carnem non justificat, non tamen eliminanda est ex Ecclesia: sed alios habet fines, quorum non*

 postre-

postremus hic indicatur, quod videlicet ex lege sit agnitio peccati: unde sequitur, verißimam esse Regulam Lutheri; Quicquid arguit peccata, ad legem pertinet, sive id in Veteri, sive in Novo fiat Testamento. Lex ergo est concio pœnitentiæ, non Evangelium, quia pœnitentia ex agnitione peccati oritur.

PARS TERTIA
TEXTUS.

Νῦν δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν.

Δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας· οὐ γάρ ἐστι διαστολή.

Πάντες γὰρ ἥμαρτον, καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ.

Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων.

Ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον, καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ.

Ποῦ οὖν ἡ καύχησις; ἐξεκλείσθη-

21. Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata est: testificata à Lege & Prophetis.

22. Iustitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio.

23. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei.

24. Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemtionem, quæ est in Christo Jesu.

25. Quem, proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remißionem præcedentiũ delictorum,

26. In sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.

27. Vbi est ergo gloriatio? exclusa est

διὰ ποίου νόμου; τῶν ἔργων, οὐχί, ἀλλὰ, διὰ νόμου πίστεως.

Λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου.

Ἢ Ἰουδαίων ὁ Θεὸς μόνον; οὐχὶ δὲ καὶ ἐθνῶν; ναὶ καὶ ἐθνῶν.

Ἐπείπερ εἷς ὁ Θεὸς, ὃς δικαιώσει περιτομὴν ἐκ πίστεως, καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως.

Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν.

ſa eſt: Per quam Legem? factorum? Non: ſed per Legem fidei.

28. Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operib. legis.

29. An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Imò & gentium.

30. Quoniam quidem unus Deus eſt; qui juſtificabit circumciſionem ex fide & præputium per fidem.

31. Legem ergò deſtruimus per fidẽ? Abſit: ſed legem ſtatuimus.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

IN hac parte capitis Apoſtolus concluſionem principalis ſyllogiſmi tractare incipit. Nam cùm hactenus ſatis prolixè & diſtinctè probaſſet, neminẽ juſtificari ex operibus legis, jam oſtendit, juſtificari hominẽ ſola fide. Et quanquã hoc vi immediatarũ propoſitionũ ſponte ſequitur ex ſuperioribus, addit tamen ex abundanti hanc fidei juſtitiã, *quã juſtitiã Dei vocat, in Evangelio abſq; lege manifeſtatã,* cõprobatã eſſe à Lege & Prophetis. *Lex enim, quia juſtificare nos nõ poteſt, ſed ad cognitionẽ tantùm peccati adducit, pædagogus noſter eſt ad Chriſtũ, qui eſt impletio Legis, atq; ſic indirectè docet, in ipſo noſtrã quærendã eſſe juſtitiã, ſiquidem non niſi in eo reperiri queat qui legi perfectè ſatisfecerit. De Prophetis antẽ Apoſtolus Petrus teſtatur perhibere ipſos teſtimonium, quòd remiſſionem peccatorum accipiant, per nomen Jeſu, omnes qui credunt in ipſum Act. 10, 43. His præmiſſis ordine & methodo didaſcalica pertractat Apoſtolus juſtificationis noſtræ corã Deo*

Juſtitia fidei quomodo comprobetura Lege & Prophetis.

ratio.

rationem, exponens justificationis nostræ coram Deo caussas, inspergens probationem justitiæ fidei, & deniq; sub finem capitis objectioni operariorum occurrens. Quæ omnia probè considerata, articulum justificationis nostræ coram Deo non parùm illustrabunt.

Iustificationis nostræ coram Deo methodica tractatio per caussas.

1. Caussam efficientem exprimit, eamq́; vocat JUSTITIAM DEI: *de qua voce scribit Lutherus, se ferè desperasse, eò quod usu & consuetudine omnium doctorum doctus fuerit Philosophicè intelligere de justitia, ut vocant, formali seu activa, qua DEUS est justus & peccatores, injustosq; punit, in præfat. tom. 1. lat. jen. Sciendum igitur est, hunc terminum justitia DEI variè usurpari in scriptura. Interdum significat veritatem promissionum divinarum, ut Psal. 31, 2. in justitia tua libera me, &c: sed hæc significatio nihil ad hunc locum.* Andreas *Osiander senior ipsum Christum in hoc articulo vocavit Justitiam DEI, non quatenus DEUS per fidem in Christum nos justos reputat, sed quatenus secundum divinitatem in nobis inhabitat, & ad benè operandum nos impellit: Sed hoc ad sanctificationẽ nostram, non ad justificationem pertinet. Pontificij Iustitiam DEI vocant justitiam legis, quâ nos habitualiter justi efficimur, & quia hoc à Deo habemus, ut rectè ordinemur erga Deum & proximum, ideò justitiam Dei vocari opinantur, dicente Bellarmino lib. 1. de justif. cap. 1. & Costero adstipulante in Enchirid. cap. 6. p. 270. Sed hæc opinio ex professo hic refutatur, ubi Apostolus scribit, Iustitiam Dei, de qua loquitur, non manifestari in lege, suprà autem in Evangelio eam revelari dixerat cap. 1, 17. & repetit Phil. 3, 9. ubi opponit justitiam Dei & justitiam legis. Loquitur ergò de justitia Dei Evangelica, quam alibi δικαίωσιν ζωῆς appellat, & condemnationem opponit Rom. 5, 18. hæc quæ non est illa justitia,*

Iustitia Dei quid sit.

quâ

quâ Deus justus est, sed quâ induit hominem, cùm justificat impium, ut Augustinus declarat lib. de spir. & lit. cap. 9. Coincidit hac justitia Dei cum bonitate & misericordia Dei, quâ peccatores in gratiam recipit propter Christum. Quodq; de tali justitia Dei loquatur Apostolus, ipse innuit, quando vocat justitiam Dei per fidem Jesu Christi, *extendentem se* in omnes qui credunt. *Quare autem bonitas & misericordia Dei fundata in Christo, vocetur justitia DEI, alibi diximus: (vide disp. de Iustitia fidei thes: 54.) Ambros, super hunc locum hanc habet rationem, quia remissio peccatorum ex promissione Dei originem habet: cum autem promissio Dei redditur, justitia Dei vocatur. Et hac justitia aliàs justitia fidei, aliàs Iustitia Christi, aliàs Iustitia aliena, aliàs Iustitia imputata dicitur (vide ibid. thes. 114.) Sunt ergo synonyma in scriptura, Iustificari fide, justificari justitia Dei, justitiâ Christi, justitiâ alienâ, justitiâ imputatâ, justitiâ Evangelicâ, quã Lutherus passivam Dei justitiam appellat &c. Quod igitur Apostolus in hoc versiculo nominat justitiam DEI, id seq. 24. vocat, justificari gratis per gratiam DEI; ita ut justitia & gratia DEI ipsi in hoc negotio sint* ἰσοδυναμοῦντα. *Vbi sciendum est, vocabulum Gratiæ* (χάριτος) *non significare doctrinam legis gratuitò datam, ut Pelagius olim hunc textum depravabat, teste Augustino lib. 1. de grat. Christi cap. 31. neq; gratuita DEI dona in nobis, quibus Iusti coram DEO constituamur, ut volunt Pontificij, Bellarm. lib. 1. de grat. & lib: arbitr. cap. 1. & Costerus in Enchiri.: sed significat gratia in hoc articulo gratuitum DEI favorem, misericordiam ac dilectionem, quæ respectum habet ad nostram miseriam & afflictionẽ, & præstatur indignis, pœnas potius ac iram, quàm gratiam & favorem Dei promerentibus: in qua significatio-*

Cur bonitas & misericordia Dei vocetur iustitia?

Gratia apud Paulũ quid?

Gratis quid sit apud Paulum?

ne χάρις semper opponitur ἔργοις, Ro.4,6. Gal.2,21 Eph.2,4.& c. Hinc de industria D. Paulus vocabulo χάριτος addidit adverbialem particulã δωρεὰν gratis, cui respondet Hebræa חִנָּם*, quæ in scriptura tribus modis usurpatur. 1. notat defectũ soluti precij Gen. 29,15. 2. defectum justæ caussæ in nobis Psal. 69,5. 3. defectũ nostri meriti 1. Sam. 19,5.25,31. Significat ergò,* gratis per gratiam Dei justificari, *idem ac, in gratiã à Deo recipi, ubi nulla in nobis favoris caussa adest, sed contraria potiùs caussa iræ ac condemnationis. Et hæc vocatur in scholis caussa efficiens intrinseca justificationis nostræ, quæ in solo Deo est. Extrinseca in nobis est: nostra nimirũ miseria, quã D. Apostolꝰ digito quasi notat, quando scribit, omnes peccasse, destituiq; gloria Dei: de quo versiculo nunc in secundo caussarum ordine.*

II. Secundo loco caussa materialis justificationis nostræ ostenditur, seu subjectũ justificandũ, quo nomine veniunt omnes omninò credentes: Iustitia enim Dei in omnes & super omnes, qui credunt, non est distinctio. *Quæ verba partim contra Pelagianos veteres, partim contra recẽtiores Pontificios probè observanda sunt. Illi enim rationẽ justificationis nostræ discerpebant ratione temporis; hi ratione subjectorũ. Pelagiani, quibus veteres Pontificij suffragabantur, statuebant, homines in Veteri Testamento justificatos esse partim lege naturæ, partim lege Mosis; nos hodiè justificari lege Christi. Pontificij moderni unã quidem esse statuunt justificationẽ in utroq; Testamento; diversam tamẽ ratione subjectorum: distinguunt enim inter primã & secundam justificationem. Illam fieri dicũt in Baptismo, & quandocunq; primũ omniũ ex filio iræ fit filius gratiæ, & ibi fidẽ sufficere inquiunt, nisi quòd de præparationibus suis meritoq; cõgrui, satis incõgruè garriũt: in justificatione secũda fidem & opera cõjũgunt, quando nimirũ ex justo homine fit justior, id fieri ajunt, per bonorũ operũ incrementum. Contra utramq; hæresin docet Apostolus noster, semper esse u-*

nam & eandem justificandi rationem apud omnes & omni tẽpore; idq; tribus rationibus demonstrat. Primam petit à tempore, v.21. Iustitia Dei, *inquit,* NUNC absq; Lege MANIFESTATA est: *notat tempus Novi Testamenti, quo justitiam Evangelicã, quæ opera Legis excludit, manifestatã dicit: ergo sequitur, eam jam pridem fuisse, licet occultam, aliàs manifestari non potuisset: quam rationem inprimis contra Pelagium urget Augustinus lib. 2. de peccat. orig. & grat. cap.25. reliquæ duæ rationes etiam Pontificios nostros feriunt. Secunda itaq; petitur à contrario:* quia nulla hîc est distinctio, *ait Apostolus; ergo eadem justificandi ratio omnibus temporibus, omnibus in hominibus, adultis & infantibus. Frivola ergo distinctio Papicolarum inter justificationem primam & secundam jam millies refutata suapte sponte concidit. Est enim contra apertum hunc Apostoli textum, cui in os obloqui non verentur hujus distinctionis patroni; est contra v.30. ubi argumentatur Paulus, justificationis unam eandemq; rationem esse in omnibus,* sicut Deus unus est; *est contra alia scripturæ loca, ubi non tantũ initiũ justificationis nostræ, sed & universum ejus complementũ operibus derogatur, & soli fidei in Christũ adscribitur, Eph.1.2. Tim.1. Act.13. Tit.3. Heb.12. &c. est contra ea loca, in quibus scriptura de renatis etiã testatur, quòd nõ ex operib. sed fide, nõ nisi per fidẽ Iesu Christi justificẽtur, ut de Abrahamo in cap.seq.4,6. & de Galatis ca.2,16. est extremè impia & blasphema; quia operibus hominum plus tribuit quàm fidei; huic tribuit initium tantũ, illis complementum justificationis nostræ: est absurda, quia quod debetur sanctificationi, adscribit justificationi: nam augeri in fide & bonis operibus, non est justificandorum, sed justificatorum, & ut fructus seu effectus justificationem sequitur, ubi nova justificatione opus non est. Tertia ratio pro una eademq; justificationis nostræ ratione omni tempore, petitur à necessario;*

Distinctio Papistica inter justificationẽ primam & secundam refutatur.

 Omnes

Omnes enim peccaverunt & destituuntur gloria Dei, *seu justis operibus, quibus coram Deo gloriari, vel quibus gloriam Dei promovere possent: ergo omnes eodem opus habent remedio, videlicet gratuitâ peccatorum remißione per fidem in Christum.*

III. Caussa meritoria justificationis nostræ vulgò vocatur Meritum Christi, de quo Apostolus noster elegantem διέξοδον *boc loco instituit. Nam cùm Deus æquè justus esset ac misericors, oportuit esse aliquid, quo Dei justitiæ satisfieret. Hoc vocat Apostolus* ἀπολύτρωσιν τοῦ Χριστοῦ, *utens verbo militari, quo plenaria nostra redemptio notatur ab omnibus ijs, quæ nos captivos sub ira Dei detinere poterant. Est enim* ἀπολύτρωσις *propriè sufficientißima redemptio captivi, soluto precio pro ipsius capite, quemadmodum* λύτρον ἀντὶ τῆς καταδίκης, *precium liberationis pro re judicatâ, apud Lucianũ dicitur. Preciũ hoc Deus à nobis jure exigebat; sed cũ nos non essemus solvendo, Christus pro nobis solvit, quod ipse non rapuit Psal. 69, 5. Vnde* redemtio per Christum facta *esse dicitur. Facta autem est* in sanguine Christi, *hoc erat precium redemtionis nostræ, quia redimendi eramus à peccatis, quibus captivi tenebamur, sine sanguinis autem effusione nulla fit remißio peccatorum Heb. 9, 22. ideò redemti dicimur, non auro vel argento, sed pretioso sanguine filij Dei 1. Pet. 1, 18. Hunc ergo Jesum pro nobis vulneratum,* proposuit nobis Pater æternus propitiatorium, *inquit Apostolus, respiciens ad umbras Veteris Testamenti, ubi Deus super arca fœderis operculum fieri jusserat, nõ tantùm ut tegeretur arca, verùm etiam ut esset sedes divinorum oraculorum: de hoc enim loco, in medio duorum Cherubin Deus loquebatur populo, cui erat propitius, unde & propitiatorium appellabatur Exod. 25, 22. Typus hic erat Christi, in quo non modò hodiè Pater æternus tanquam*

Ἀπολύτρωσις.

tanquam ex propitiatorio suo nobiscum amicè ac paternè loquitur, sed & qui sanguine suo patrem placatum nobis reddidit, ita, ut qui in ipso verâ fide reperiuntur, hi de amore & favore Dei certi esse possint. Deus enim nos sibi ipsi reconciliavit per Christum, 2. Cor. 5, 18. & per Christum reconcilia vit sibi omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, Col. 1, 20. Quemadmodum autem vetus illud propitiatorium latebat in sanctuario occultum: ita vicissim Deus nostrum propitiatorium proposuit nobis, inquit Apostolus, tanquam omnibus manifestum, & in doctrina Evangelij manifestatum: Oportet enim antitypon clariorem esse typo. Fundamentum igitur misericordiæ & favoris Dei ergà nos in Christo est, in quo satisfactū undiquaq; est justitiæ divinæ. Et hoc respectu Christum non abs re specialem & propriā caussam efficientē justificationis nostræ appellare possumus, & quidē triplici nomine 1. merito, *quia ipse nobis promeruit gratiam Patris, ita, ut quod ex nostra parte est gratuitum, id ex parte Christi sit meritum: illud ad misericordiam, hoc ad justitiam Dei Patris referendum est, quemadmodū D. Paulus & hic & alibi docet Rom. 4. v. ult. 1. Cor. 15, 13. 2.* efficaciâ; *ipsius enim meritum est sufficiens expiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioh. 2, 2. 3.* applicatione: *ipse enim adquisitam à se justitiam nobis applicat: de qua applicatione jam in sequentibus. Sequitur ergò in textu.*

Meritū Christi est fundamentum misericordiæ Dei. Christus caussa efficiens nostræ justificationis.

IV. Caussa instrumentalis justificationis nostræ, quæ nulla est alia, quàm FIDES, quam creberrimè inculcat Apostolus in hoc negotio v. 22, 25. Christus enim absq; fide nobis otiosus est, unde & propitiatorium nostrum vocatur PER FIDEM, in sanguine ipsius, *hoc est, eâ fide, quæ apprehendit Christi passionē atq; mortem, adeoq; universum ejus meritum. Non enim intelligimus hic per fidem nudam saltem notitiam aut ad-*

Fides in articulo justificationis quid?

aut adsensum articulorum fidei, qualis fides etiam in dæmones cadere potest, sed certam fiduciam, cujus proprium & adæquatum objectum est meritum Filij Dei, propter quod in gratiam recipimur apud DEUM: quod fit, cum fides meritum illud apprehendit, sibiq; proprium facit; quæ fidelis apprehensio manus illa mendica est, quæ ex se nihil facit ad doni collationem, nihil meretur, nihil disponit hominem ad conferendam gratiam, sed simpliciter accipit donum gratuitum aliunde & propter alienum meritum, CHRISTI videlicet, nobis collatum; quare non PROPTER sed PER Fidem Iesu CHRISTI justificari dicimur: & hujus caussæ instrumentalis respectu justitia nostra coram DEO, justitia fidei appellatur. Longè aliter de Fide disputant Romanenses, qui quidem fidem non prorsus eliminare possunt ex hoc negotio; interim tamen statuunt, eam justificare non per modum instrumenti, sed per modum dispositionis & impetrationis, ut Bellarm. loquitur lib. 1. de justif. cap. 3. hoc est, totam justificandi vim & efficaciam tribuunt virtutibus nobis inhærentibus. Ideò PROPTER fidem nos justificari scribunt, quod sæpè repetit Pererius, disp. 2. in cap. 4. Rom, & disp. 4. in cap. 15. Gene. Sed de ista fidei dispositione, & impetratione, de qua isti, nihil habet scriptura, sed Apostolus Paulus instrumentalem caussam digito quasi notat, quando scribit, nos justificari PER fidem: Augustinus autem hæreticos eos vocat, qui putant, meritis fidei suæ gratiam Dei sibi datam esse, epist. 46. Cumq; Romanenses concedere cogantur, Christum cum omni suo merito à Patre nobis donatum esse, necesse est, ut fidem dicant instrumentū illud, quo donum illud à nobis apprehenditur; aliud enim ostendere non possunt. Atq; sic infrà, cùm Paulus ait, arbitramur hominem justificari fide, vocabulū fidei accipere videtur Pererius disp. 18. in cap. 3. Rom. nu. 86. Pau-

Pontificiorū opinio de fide refutatur.

86. *Paulus (inquit) cùm ait per fidem justificari hominem, non aliud significat, quàm per fidem pervenire ad justitiam, & ipsam apprehendere, ut ex verbis ejus, quæ sunt in capite nono hujus Epistolæ, non obscurè potest intelligi. Ait enim gentes, quæ non sectabantur justitiam legis Mosaicæ, per fidem apprehendisse justitiam DEI. Aliàs fidem initium & radicem justificationis vocant. Sed perperam: Aliter enim cõsideratur fides in justificato homine, aliter in justificatione: ibi est radix cæterarum virtutum, hîc instrumentum.*

V. Caussa formalis justificationis nostræ exprimitur, partim mentione τῆς ἀντιλυτρώσεως, partim mentione πάρέσεως seu remißionis aut relaxationis peccatorum. Duo enim sunt in quovis peccato, à quo in judicio Dei justificandi seu absolvendi sumus, vitium & supplicium, ut Augustinus *loquitur lib. 22. de civ. DEI cap. 24. illud tollitur imputatione Justitiæ Christi, quæ etiam pertinet ad ἀπολύτρωσιν; hoc remißione peccatorum: propriè enim pœna remittitur, quando culpa non imputatur; quæ tolli & remitti, hoc est, infecta fieri, propriè loquendo, non potest. Et hoc notatur voce πάρέσεως, quæ propriè relaxationem significat, metaphorâ sumtâ à vinculorum remißione: peccata igitur relaxari dicuntur, quando ea hominem non ampliùs gravant, licet adhuc adsint, quoad materiale.*

VI. Deniq; caussa finalis justificationis nostræ hîc exprimitur gemina: una ex parte Dei, altera ex parte nostra. Ex parte DEI ideò talis processus cum homine peccatore instituitur, qualis jam modò descriptus est, ut satisfiat justitiæ ejus, quod Apostolus bis hoc loco vocat ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ *v. 25. & 26. ostensionem justitiæ ejus; ubi vox* justitiæ *legaliter accipitur, quatenus* ὑπαλλήλως *opponitur misericordiæ ejus.* Ea igitur

ostendens

ostendenda *erat*, *hoc est, publicè declarandum, quòd Deus legem non frustrà tulerit, sed impletam eam velit, & pœnam à prævaricatoribus legis certò requirat. Quorum utrumq; cùm à nobis præstari non possit, acceptavit illud in Filio, qui & legem observavit, & in sanguine suo pœnam pro nobis debitam luere voluit; aliter enim redemtio generis humani fieri non potuit. Hinc igitur elucet admirabile temperamentum justiciæ & misericordiæ in Deo*, qui & ipse justus est, & justificat eos, qui sunt ex fide Jesu Christi; *ut Apostolus loquitur: Iustus est, quia exequitur jus legis suæ in Filio, qui vices nostras sustinuit: misericors, quia justificat & à peccatis absolvit eos, qui nullorum bonorum operum sibi sunt conscij, sed tantùm vera fide justitiam Christi amplectuntur, hoc enim est in fide Iesu Christi esse. Ex nostra parte finis justificationis gratuitæ est*, ut absit à nobis omnis gloriatio, *& ut nos memores imbecillitatis nostræ eò magis nos submittamus humilitati sub potenti manu DEI: de hoc fine Apostolus sub schemate interrogationis agit cùm hominibus suis, ut eò evidentiùs videant justitiam operũ apud DEUM planè nullam esse.* Ubi est ergò gloriatio? *inquit*, exclusa est, per quam legem? factorum? non, sed per Legem fidei. *Legem hic generaliter accipit pro doctrinâ, ac docere vult, ideò Deũ per sanguinem Filij sui fide apprehensum non sibi reconciliasse, ne haberemus, quod gloriemur, esse hoc operum nostrorum meritum; gloriam enim suam alteri Deus dare non vult: exclusit ergò omnem gloriationem hominũ non doctrinâ operum sed fidei, hoc est, non quòd aliqua saltem opera legis non justificent, videlicet opera Ceremonialia, vel etiam moralia, facta à non renatis, quemadmodum exponunt Pontificij, sed omnis omninò operum gloriatio, cujuscunq; ea generis sint, exclusa est per doctrinam*

Temperamentum justitiæ & misericordiæ Dei.

Opera omnia absque discrimine reijciuntur ab actu justificationis nostræ.

Evan-

Evangelicam de fide: ubi enim fides est, ibi locum habere non possunt opera in negotio justificationis: licèt extra illud sint, ut causa & effecta longè conjunctissima. Diligentissimè igitur notandus est hic locus Apostoli, qui frivolam Romanensium distinctionem inter opera renatorum & non renatorum, quasi hi quidem non habeant, quod glorientur, illi verò gloriari possint, penitus pessundat. Loquitur enim Apostolus indefinitè, ubi est gloriatio? *omnem omninò gloriationem operum excludens: quod tam clarum est, ut non nisi cum insigni crimine falsi & adulteratione textus à Pontificijs in dubium vocari potuerit. Nam Bellarminus, ut qualitercunque probet. Apostolum operibus tantùm non renatorum gloriationem derogare, apponit textui particulam TUA,* ubi est gloriatio TUA? *quasi dixerit Apostolus: Tu quidem & ex Te nihil gloriari potes, quia opera non habes ex te tuisque viribus, sed gloriari tamen potes in Domino, à quo habes opera. Ita enim habent verba Bellarmini libr: 1. de justif. cap: 19. cùm respondere vellet ad argumentum Domini Chemnitij: Apostolus vult excludere omnem gloriationem, igitur excludit omnia opera etiam facta per fidem. Non excludit Apostolus omnem gloriationem, inquit Bellarminus, sed illam solùm, quæ oritur ex operibus, per solas vires liberi arbitrij factis: non enim dicit, ubi est gloriatio, sed, ubi est gloriatio Tua? id est, gloriatio, qua in te gloriaris, & non in Domino? &c: Hæc iste. Sed neque in græco textu, neque in veteri versione Latinâ Hieronymi, cui tamen Esauitæ vi Tridentini decreti sunt adstricti, extat pronomen TUA, sed à Monachis addita est in rem suam: ideò quanti momenti sit in ista responsione Bellarminiana, & quantum fidendum sit Romanensibus in allegandis Biblijs, hinc facilè liquet. Deinde notandum est contra distinctionem Romanensum,*

Pontificij adulterant textum Pauli, per insigne crimen falsi.

nensium, quòd gloria excluditur non per doctrinam, operum sed fidei; fides autem operibus in genere opponitur, ut suprà quoque diximus, sive sint renatorum sive non renatorum opera. Ergo gloriationem in genere omnem excludit, sive à justificatis, sive à justificandis ea proficiscatur.

Et hæc fuit tractatio Apostolica de caussis nostræ coram Deo justificationis, unde jam generalem propositionem infert ver. 28. Arbitramur igitur justificari hominem per fidem sine operibus legis : *λογιζόμεθα inquit, quod firmissimam conclusionem notat, ex præcedentibus, subductis quasi calculis: ubi tacitè retrospicit ad ea omnia, quibus in superioribus operibus legis naturalis & Mosaicæ vim justificandi ademit, & nunc remotis operibus omnibus, quocunque nomine veniant, fidei justificationem adscribit; quod quomodo fidei tribuatur, jam modò indicatum fuit, videlicet non ratione meriti, sed ratione medij & instituti; non prout absolutè, tanquam opus in nobis consideratur, sed relatè extra nos in apprehensione Christi. Hanc suam conclusionem tacitè probaverat Apostolus versiculo præcedente, argumento à fine justificationis petito hoc pacto.*

Cui debetur gloriatio justificationis, illud ostendit justificationis nostræ caussas.

Doctrinæ fidei, non operum debetur gloriatio justificationis nostræ; imò doctrina fidei omnem operibus gloriationem derogat.

Ergo doctrina fidei, non operum monstrat justificationis nostræ caussas. Huic argumẽto jam adjungit alterũ vers. 29. petitum ab absurdo: quod etsi tam manifestè non apparet: ita tamen ex textu formari potest.

Si nõ ex fide, sed ex operibus legis Mosaicæ justificaremur, seque-

sequeretur, Deū aut solos Iudæos justificare, aut sibi ipsi nō constare.

Sed Deus neq; solos Iudæos *justificat: neq; sibi ipsi non constat.*

Ergo non operibus legis, sed fide justificamur.

Majoris propositionis connexio inde patet, quia gentes lege Mosis carebant: erant insuper idololatræ, & flagitijs alijs contaminatissimi homines. Deum ergò alio modo gentes, alio modo Iudæos justificare necesse est, si justificatio non est ex fide, sed operibus legis. Minoris veritas inde cōstat, quia quidā ex gentilitate etiam justificati sunt, antequam Lex Mosis lata fuit, quod caput sequens exemplo Abrahami ostendit. Ergo non soli Iudæi. Neq; Deus aliam habet rationem justificandi gentiles, aliam Judæos; sed quemadmodum & Judæorum & gentilium est Deus, ita & utrosq; una eademq; ratione justificat, aliàs inconstantiæ argui posset, quam rationem attingit v. 26. Hinc sequitur conclusio; ergò sicuti quosdam in præputio, *hoc est, ante circumcisionem justificavit absq; operibus, ex mera gratia, sola fide in venturum Messiam, ita &* justificabit circumcisionem, *hoc est, Iudæos non ex legis operibus, sed solâ fide, ut ita ubiq; justitia fidei locum obtineat. His ergò rationibus stabilita est Apostolica propositio: Arbitramur hominem fide justificari absq; operibus. Huic verò opponere possunt operarij: si nulla justitia ex lege: ergò lex per doctrinam fidei destructa & inanis est reddita? Cui objectoni sub calcem hujus capitis respondet Apostolus ver. 31.* Absit, vt legem destruamus per fidem, sed potius stabilimus. *Stabilitur autem & confirmatur lex per fidem his potissimùm modis 1. quia fides ostendit nobis Christum, qui legem perfectè implevit, quæ absq; Christo à nullo prorsus hominum perfectè servari*

Lex stabilitur per fidem.

 posset

possset & nunquam impleretur. 2. Qui credit in Christum, agnoscit externam naturæ suæ corruptionē & immunditiem cordis maximam, propter quam ad Christum unicè confugit: eam verò hypocritæ agnoscere nō possunt, sed existimant, legem tantùm externam requirere obedientiam. 3. quia credentes in Christum vident æternas eorum comminationes & maledictiones legis non esse frustraneas, sed Christum eas verè sensisse, quas nemo absq; suo æterno interitu tolerare potuisset. 4. quia, qui credit in Christum, voce legis prius terrendus est: atq; ita Lex ad tempus in ipso suum habet dominium, antequam Evangelica sequatur libertas. 5. qui credunt in Christum, pro ijs habentur, qui legem impleverunt, quia perfecta Christi obedientia per fidem eis fuit imputata. 6. qui credunt in Christum, non faciunt, quod ipsis dictat propria voluntas, sed juxta legem vivere incipiunt, licèt perfectè eam implere nequeant: atq; sic non tollunt, sed stabiliunt legem, eamq; renatis etiam & justificatis proponendam esse statuunt. 7. quia fides in Christum remittit hominem in alterum seculum, ubi absq; omni defectu consummatißimè præstabimus omnia, quæ Deus in lege à nobis requirit, hic autem ob infirmitatem carnis præstare non valuimus. His modis fides stabilire legem dicitur, si per fidem fiduciam apprehendentem meritum filij Dei accipias. Quòd si intelligas doctrinam fidei seu Evangelij, lex hoc pacto stabiliri seu confirmari dicitur per fidem: quia doctrina Evangelij ostendit proprium officium legis, quod est, non justificare, sed tantùm peccatum ostendere & arguere: quomodo verò peccatum remittatur, & homo justificetur, non legis, sed Evangelij est.

Para-

Paraphrasis hujus partis.

QUòd si igitur eam, quæ coram Deo valet, justitiam investigare placet, scitote vos, ô mei Romani, quærendam eam non in lege esse: sed absque lege manifestata nobis est in doctrina Evangelij, ut suprâ docui: ita tamen ut & suo modo lex & Prophetæ testimonium perhibeant non omninò contemnendum: illa quidem, dum summo suo rigore nos quasi mundavit ad inquirendum Christum, cujus obedientia nostra est: hi verò testificandi unanimiter, extra hunc Iesum salutem justitiamq; esse nullam. Docet autem Evangelium, justitiam nostram, qua coram Deo consistere valemus, non esse in nobis sed extra nos in Christo, quem omnes qui justificari volunt, verâ fide apprehendere debent: hic unus est justificandi modus, nullum hîc vel hominum vel temporum discrimen est, omnes peccaverunt, omnes igitur absolutione â peccatis egent, nemo seipsum isto onere exonerare, nemo aliter gloriam Dei promovere poterit. Sed placuit Deo, ut justificatio nostra non sit nostrum, sed suum opus merè gratuitum, ex immensa misericordia & bonitate erga nos profectum: ille peccatores pronunciat justos, nullo interveniente ipsorum merito, sed magno in ipsis existente damnationis debito, nō quidem quia debitum illud adhuc hæret in nobis, sed quia merito Christi filij sui rectum est. Is enim nos, qui sub lege captivi tenebamur vincti peccatorum catenis, manu nos adseruit, & in libertatem filiorum Dei adduxit, persoluto pro nobis precio preciosi sanguinis sui, quod Pater æternus clemēter acceptavit, & hunc Christum nobis

constituit quasi ligamentum illud, quo ipse cum corde nostro iterum conjungi queat. Quemadmodum enim olim receperat, se de propitiatorio, quod erat super arcam fœderis, locuturum cum populo suo: ita hunc Iesum filium suum constituit, & palàm toti mundo proposuit Mediatorem, per quem nobiscum acturus sit, & extra quem nulla gratia Dei exspectanda, & in quo solo gratiosis oculis adspectaturus sit omnes, qui verâ fide in ipsum reperiuntur. Is enim satisfecit justitiæ Dei in sanguine suo, cujus effusione remissionem adquisivit peccatorum omnium, eorum etiam, quæ olim ante ipsius in carnem adventum perpetrata fuerant. Et propter hanc solam satisfactionem Christi extra nos præstitam, in gratiam acceptat omnes eos, qui credunt in ipsum: qua ratione & ipsius justitiæ per Christum satisfit, & misericordia in nobis, Christi satisfactioni fideliter adhærentibus, locum invenit. Quæ cùm ita sint, quid ergo gloriari potes, ô homo, de tuis operibus, ecquid usui tibi esse possunt in negotio justificationis? nihil prorsus: id enim non admittit doctrina de fide, quæ cum operibus in hoc foro nihil omninò habet commercij. Concludimus igitur quàm firmissimè, justum pronunciari hominem, & in judicio Dei à peccatis suis absolvi, non operibus legis, sed solâ fide in Christum. Hic est unicus ille modus adipiscendæ justitiæ apud Deum, sive de Iudæis sive de gentibus quæratur. Vnus enim omnium Deus & servator est: ergò & uno eodemq; modo agit in negotio salutis cum omnibus, ne quisquam habeat, quod prætendat, alios meliori viâ salutem adeptos fuisse: sed est hæc catholica ratio in gratiam acceptandi tam gentes

quàm

quàm Iudæos, videlicet per fidelem apprehensionem Christi cum omni suo merito. Neque tamen hoc pacto lex irrita redditur, licèt nulla ex lege speranda sit justitia: sed si rem recta lance appendamus, potius confirmatur per doctrinam fidei, quæ eum nobis monstrat, qui legis est perfectio, quæ plenam legis obedientiam nobis applicat, eandem in nobis inchoat, & nos ad perfectissimam in altero demum seculo subsecuturam conservat.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Quomodo Iustitia Dei sine lege manifestata est, & tamen in lege comprobata: nam quæ sine lege manifestata est, non accipit testimonium legis: non ergò sine lege manifestata est, inquit Origenes super hunc locum.

Resp. Origenes quæstionem hanc vocat insolubilem: & ut aliquid respondeat, observationem quandam præmittit, nimirum Apostolum Paulum, quando legem Mosis nominat, præponere articulum: si verò naturalem legem vult intelligi, sine articulo nominare simpliciter νόμον. *Cùm ergò dicit*, sine lege manifestari justitiam Dei, *absque articulo legem nominat; proinde naturalem intelligit: cùm autem addit*, testificata est in lege, *articulum addit: proinde*

Solutio Originis.

proinde legem Mosis intelligat. Manifestata ergò est justitia Dei absque lege naturali, quia lex naturæ nihil scit de Christo, qui nobis factus est à Deo justitia: comprobata autem est in lege Mosis, quia multa ibi de Christo prædicuntur. In hunc modum Origenes ad quæstionem respondet. Sed cùm observatio illa, cui tota responsio innititur, non sit catholica, nam mox præcedente versiculo absque articulo dicitur ἐξ ἔργων νόμου, *ex operibus Legis nulla caro justificabitur: item* διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις τῆς ἁμαρτίας, *ex lege agnitio peccati, quod de lege Mosis dictum esse, certum est, similia exempla extant Rom. 7, 7, 9. &c. idcirco opus non est, legis vocabulum in hac unica sententia in diversa significata distinguere.*

Solutio Ambrosij.

Ambrosius vocem Iustitiæ hîc legaliter accipit: eamque sine lege manifestatam esse dicit, quando quos lex reos tenebat, justitia Dei illis ignovit: id enim sine lege fecit, quæ iniquos punit non absolvit: ne autem fortè hoc contra legem fieri videatur; testimonium habet ex lege & Prophetis, quia ipsa lex id futurum prædixit, venturum esse, qui hominem salvaret, quod legi concessum non erat.

Vera solutio, quæ est Augustin.

Verùm loquitur Apostolus de justitia Evangelica: nam peccantibus ignoscere misericordiæ est, non justitiæ propriè sic dictæ, & legaliter acceptæ. Atque sic Augustinus accipit de justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cùm justificat impium, libr. de spirit. & lit. cap. 9. ubi ad propositam quæstionem ita respondet: Iustitia Dei sine lege est, quia Deus eam per Spiritum gratiæ credenti confert sine adiutorio legis, hoc est, non adjuto à lege: ostendit enim per legem homini infirmitatem suam, ut ad Dei misericordiam per fidem confugiens sanetur. Summa responsionis huc redit: Aliud est manifestare justitiam Dei, aliud de ea testificari: Illud legi Mosis negatum est, & omnibus, qui sub lege vixerunt. In lege enim non habemus apertam & mani-

manifestam rationem consequendi salutem per gratiam misericordiamq; Dei; sed lex opera urget, perfectamq; obedientiam; prædicatio verò justitiæ gratuitæ ad doctrinam de Christo propriè spectat, in quâ salus tempore Novi Testamenti erat propalàm manifestanda, juxta vaticinium Esa.56,2. propè est salus mea, ut reveletur. Interim tamen, antequam illa publica & solennis revelatio fieret, non omninò ignota erat patribus sub lege gratuita justificandi ratio; sed lex suo modo testificata est de ea: nam de Christo scripsit Moses, dicente Domino Joh.5, 46. Testificata autem est, partim prædictionibus, partim promissionibus, partim sacrificijs, partim alijs typis ac ceremonijs, partim etiam ipso effectu. Nam dum non nisi imperare & comminari poterat, etiam ijs, quibus tamen fuit impossibilis, satis ostendebat, justitiam nostram non esse ex operum merito, sed gratuito Dei dono. Ita Lex adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largitorem; Spiritus diffundit caritatem, caritas implet legem, ut August. loquitur Epist.144.

Quomodo Lex testificata sit de Christo?

QUÆSTIO II.

Numquid ex hoc loco Apostoli probari potest, formalem justificationis nostræ caussam esse inhærentem nobis justitiam, siquidem per gratiam Dei justificari dicimur, quod Pontificij de gratia gratis data, hoc est, de novo justitiæ habitu infuso, seu, ut Costerus loquitur, ex solâ Dei misericordiâ instillato, interpretantur?

Gratia in articulo justificationis, non est gratia gratis data.

Resp. Hoc quidem præ cæteris, magnis viribus conatur Bellarminus lib. 2. de justif. cap. 3 ubi illud, Iustificamur gratis, *de caussa efficiente accipit; hoc verò,* Per gratiam ejus, *de caussa formali, ut idem sit, justificamur per gratiam ejus, ac per justitiam ab illo donatam & infusam. Verùm huic interpretationi multa obstant. 1. Scopus Apostoli, cui propositum est ostendere, ex operibus etiam divinitùs concessis non justificari ullam carnem, idq; hactenus demonstraverat distinctim: ergo quando jam dicit, justificamur per gratiam Dei, gratia non possunt esse opera, aut operũ bonorum habitus, divinitus nobis infusi, aliàs Paulus sibiipsi esset contrarius, & talis emergeret hujus loci inepta paraphrasis: non justificatur ex operibus caro, ubi ne quidem renati excipiuntur, nam & ipsi caro sunt, sed justificamur gratis per operum habitus nobis ex Dei misericordia instillatos. 2. Particula* δωρεὰν, *gratis, mentem Apostoli explicat: non enim dicit, gratiam Dei nobis esse gratis datam, sed justificationem contingere gratis per gratiam, seu omni modo gratuitò, ita ut opera omnia tam antecedentia quàm consequentia fidem, à justificationis actu exclusa intelligantur: Gratia enim Dei non est gratia ullo modo, si non sit gratuita omni modo, ut præclarè scribit Augustinus. 3. gratiã & opera opponit Apostolus in articulo justificationis, nõ tantùm hoc loco, sed etiam cap. 4. 6. 9. 11. &c. Gal. 2, 21. inprimis autem opponitur gratia, cap. 4, 4. operibus etiã à Spiritu hominis renati profectis. 4. Hoc ipsum animadvertit Pererius Jesuita, qui propterea contradicit concilio Tridentino, Bellarmino & sociis disp. 13. in cap. 3. Rom. n. 53. Nomen gratiæ, inquit, cùm hîc dicit, justificati gratis per gratiam ipsius, licèt possit significare supernaturalem & divinam illam qualitatem à Deo infusam animæ hominis, & in ea inhærentem, qua est justus & gratus Deo; videtur tamen*

potius

potiùs hoc loco significare gratuitam DEI bonitatem & benignitatem erga hominem: opponit enim Paulus operibus hominis gratiam DEI, significans non meritis hominum quasi debitam reddi justitiam, sed nullis praecedentibus hominum bonis meritis, imò plurimis malis meritis, propter infinitam tamen Dei benignitatem ac misericordiam gratuitò dari justitiam homini. Haec Pererius. 5. Praeterea, quid gratia in articulo Justificationis significet, in aliis scripturae locis satis apertè exponitur, quae justitiam & salutem hominis adscribunt bonitati ac φιλανθρωπίᾳ Dei Tit. 3, 4. misericordiae Dei Psalm. 51. 1. Tit. 3, 5, 7. dilectioni Iohan. 3, 16. Ephes. 2, 45. & c. 6. deniq; fit hac glossa Papistica confusio caussae & effectus, & quae Renovationis sunt, justificationi perperam tribuuntur. Agnoscimus enim bonos motus & virtutes in nobis esse gratuita Dei dona, sed non ad Justificationem, verùm ad Renovationem seu sanctificationem pertinent, & ex justificatis procedunt. In scriptura etiam vocabulis interdum distinguuntur: misericordia Dei nos justificans appellatur χάρις, gratia gratum faciens: bonum opus à justificatis procedens, vocatur χάρισμα, gratia gratis data. Illud interdum simpliciter gratia nominatur; hoc donum per gratiam, quia ab illo profluit tanquam caussa à suo effectu, Roman. 5, 15. Huic veritati opponit aliqua Bellarminus loco dicto, quibus ostendere vult, gratiam hic non significare gratuitum Dei favorem ac misericordiam, sed qualitates nobis inhaerentes. 1. ait, favor ille Dei explicatur vocabulo gratis; illa igitur additio per gratiam aliquid aliud significat. 2. Particula PER non competit efficienti caussae, sed vel instrumentali vel formali, vel meritoriae. 3 gratia Dei alibi in scriptura dicitur donū in nobis, ut quando dicimur

Bellarmini objectiones cum responsionibus.

accipere abundantiam gratiæ Rom.5. 4. gratia, per quam justificamur, vocatur caritas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, Rom.5. Ad singula pauca subijciam.

Particula PER sæpe notat caussam efficientem, non instrumentalē.

Primum *frivolum est: siquidē scriptura non est insolens, majoris ἐμφάσεως caußâ unum vocabulum exponere per aliud, vel duo Synonyma conjungere, aut adverbium addere nomini ejusdem significationis, propter rei certitudinē; id quod in omnibus linguis usitatum est, ut, cùm adfirmandi gratia dico, rem verissimè veram esse, & cùm Matth. 2, 10. scribitur, gavisi sunt gaudio magno valdè; & Luc. 2, 9. timuerunt timore magno: ita hic gratis justificari per gratiam dicimur, quasi omninò gratis.* Alterum *objectum ejusdem est furfuris, quin & deterioris: nam particula PER non extat in græco, sed ita habent verba Apostoli, δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, ubi sexto casu notatur origo & efficiens justificationis nostræ; quam & Præpositio* Per *in usu Latinæ linguæ frequenter indicat, nō semper caussam instrumentalem significat. Nam PER & EX sæpè idem valent, quemadmodum infrà in hoc cap. v. 30. unus est Deus, qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem, & cap. 6. Christus resuscitatus dicitur per gloriam Patris, hoc est, à gloriosa potentia Patris. Item 1. Corinth. 1. fidelis Deus, per quem vocati estis in consortium sanctorum. Gal. 4. Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris. Galat. 1. Paulus vocatus per Christum & Deum Patrem.* Tertium *objectum est ἀπροσδιόνυσον: non enim quæritur, quid alibi significet gratia: scimus enim notare hanc vocem interdum efficaciam gratiæ misericordiæq; divinæ: sed hanc significationem locum hic non habere, suprà argumentis evictum fuit.* Postremum *etiam extra liram vagatur. Nam D. Paulus Rom. 5, 5. loquitur de caritate Dei activè, qua ipse nos complectitur; quia caritas illa in nobis*

abun-

abundare dicitur, spes de futura beatitudine huic caritati innititur, quod de caritate, qua nos diligimus Deum, dici nequit: ea enim in nobis valdè languida est, neque impetum adversitatum sustinere potest, ut nos de beatitudine nostrâ certos & indubitatos reddat: & hanc caritatem suam Deus erga nos commendare dicitur, ver. 8. quibus rationibus meritò cedere debet autoritas Augustini, ad quam provocat Bellarminus, qui caritatem illam passivè interpretatur de eâ, quâ nos diligimus Deum, lib. de Spir. & Litera cap. 32. cui opponimus Chrysostomum, Theophilactum, Ambrosium, Hieronymum, & ex Pontificijs Cajetanum, qui omnes nostram interpretationem sequuntur: Pererius secutus Origenem utramque amplectitur disp. 2. in cap. 5. ad Roma. nu. 9. Sed plura de his infrà, cap. 5.

QUÆSTIO III.

Num inscitè & perversè hâc sententiâ Pauli; justificati gratis per gratiam Dei, infertur, nullâ esse opus homini præparatione ad justificationem: hujus enim inscitiæ & perversitatis nostras Ecclesias arguit Pererius disp. 13. in cap. 3. Rom. num. 59.

Resp. De præparatione ad justificationem aliter docent Pontificij, quàm nostræ orthodoxæ Ecclesiæ. Nos cùm de præparatione loquimur, modum ac ordinem illum intelligimus, quo Deus juxta scripturæ doctrinam utitur, quando homines vult deducere ad justificationem. Oportet enim ante justificationem præcedere veram & non simulatam contritionem, pavores

Quid vocemus nos præparationem ad justificationem.

vores conscientiæ agnoscentis iram Dei & dolentis propter peccata, propositum emendandi vitam &c. quæ omnia non ex libertate virium nostrarum proficiscuntur, sed sunt motus Spiritus, extrinsecus quasi adstantis, & pulsantis fores cordium, in quibus talia per auditum verbi quasi ad extra operatur, donec intromissus cor renovet, & in eo gratiosè inhabitare incipiat. Et hoc sensu scribit B. Lutherus super 3. caput Galat. legem in vero suo officio esse ministram & præparatricem ad gratiam, quia ad hoc prosit, ut gratia possit aditum ad nos habere. Hi verò motus antecedunt justificationem hominis, non ut sua dignitate quidquam cooperentur ad justificationem, neq; ut quasi ad mutationem aliquam physicam subjectum præparent, habileq; reddant, ad suscipiendam novam justitiæ infundendæ formam: sed antecedunt, ut removentia prohibens justificationis nostræ obstaculum, seu instar remotionis puris sanationem vulneris necessariò antecedentis, quemadmodum Lutherus de contritione loquitur in Psal. 51. tom. 4. lat. fol. 384. Imputatio enim meriti CHRISTI per fidem locum habere non potest in corde impœnitente.

Pontificiorũ doctrina de præparatione ad justificationem.

Longè aliter de præparatione ad justificationem disputant Romanenses. Hi ex sententia scholasticorum primùm certos gradus præparationis ponunt, alij plures, alij pauciores. Communiter hi recensentur ex Biele in dist. 14. lib. 3. quæst. 2. 1. fides historica, quòd nimirum scimus peccatum esse rem abominabilem coram DEO. 2. metus iræ divinæ ob peccatum. 3. odium & detestatio peccati. 4. credere, DEUM velle remittere peccata ijs, qui satis sunt dispositi. 5. spes concupiscens Deum ut summum bonum. 6. Dilectio DEI super omnia. 7. detestatio peccati non ob pœnam evitandam, sed ob DEUM supra omnia dilectũ. 8. Propositũ emendationis, & hoc tandẽ ultimũ

Præparatoria justificationis, quæ recensent Pontificij.

est suf

est sufficiens dispositione ad infusionem gratiæ, quod & plenum meritum congrui vocant. Hunc numerum sequitur Bellarminus lib. 1. de justif. cap. 12. Perer. disp. 17. in hoc caput: Trident. Concil. sess. 6. cap. 6. decreti de Justificatione.

Deinde *posito isto numero, docent, ea omnia fluere ex viribus liberi arbitrij, divinitùs excitati, ut suis viribus talia præstare possit, quibus homo faciat, quantum in se est, ad consequendam gratiam, quibus animus ad accipiendam justitiam præparetur, præmuniatur & præfulciatur, ut Andradsius loquitur, vel ut Pererius noster, quibus animus hominis idoneus fiat atq; capax justificationis. Hoc nimirum dogma est, quod ex præsente Apostoli nostri textu solidè refutari statuimus. Sunt enim ista præparantia omnia legis opera: jam verò Paulus operibus legis simpliciter omnibus opponit gratiam in negotio justificationis, & ne de operibus absq; gratia factis tantummodo intelligas, in capite sequente, etiam exemplo Abrahami ostenditur, ipsum non operibus sed gratia justificatum fuisse alias enim gratia non fuisset gratia, Rom: 4, 4. 11, 6. Propositioni igitur illi Romanensium,* operibus præparamur & disponimur ad justificationē, *rectissimè opponimus hanc Apostolicam:* justificamur gratis per gratiam Dei. *Nam ut Augustinus pulcrè scribit lib. 1. quæstionum ad Simplicianum: sicut rota non benè currit, ut sit rotunda, sed quia rotunda est, benè currit: ita nemo propterea benè operatur, ut accipiat gratiam justificationis, sed quia jam accipit gratiam, per eam potest benè operari. Quòd si gratiam hic opponas operibus humanis hominum non renatorum, opera verò renatorum excipias, eò quòd à Spiritu Sancto sint*

Refutatur dogma Pontificium de præparatione.

sint profecta, respondeo, etiam renatorum opera sunt humana opera, quia renati cooperantur spiritui sancto, 2 Cor. 6, 1. unde & opera ab ipsis tanquàm proximo agente denominationem sortiuntur. Quòd si dicas, præparationes illas præcedere quidem justificationem, & hominis animũ capacem reddere, non autẽ eam promereri; ἀδύνατον dicis, quomodo enim meritum derogare potes iis operibus, quibus potestatem tribuis cõferendi ἐπιτηδειότητα & capacitatẽ justificationis? Idq; adeò verum est, ut Pererius ferè ipse fateri cogatur: ideò disp. 16. in cap. 3. Rom. num: 80. meritum condigni vocat meritum propriè dictum: cui opera præparatoria non tribuit, unde sequitur ea nihilominus esse merita, congrui nimirum, ut olim vocabantur. Ideò clarè scribit num: 85. ejusd. disp: Si
„ *loquamur de merito amplè sumto, & ut nunc appellatur, meritum de congruo, non videtur negandum, per fidem & alia*
„ *præparatoria promereri aliquo modo justificationis gratiam.*
„ *Ex quibus omnibus hac luce clariùs apparet, qualis sit Pontificiorum doctrina de præparatione ad justificationem, quæ tamen ex hoc loco Apostolico solidè redarguitur.*

QUÆSTIO IV.

Redemtionem nostram Apostolus Paulus soli Christo fert acceptam, v. 24. rectène hinc infertur, non opus esse humanis satisfactionibus, quibus pars aliqua eorum, quibus captivi tenebamur, expietur?

Resp. Rectè atq; ordine sic infertur. Nam Christus pro nobis præstitit non modò λύτρον, sed ἀπολύτρωσιν, id est, sufficientissimam redemtionem pro peccatis & peccatorum pœnis,

pœnis, quorsum ergo opus est, perfectißimo huic operi humanarum opellarum assuere lacinias, & splendidißimo Soli lucernulam addere in meridie? Hoc nimirum esset detrahere aliquid ipsius merito, quasi solus torcular iræ divinæ non calcasset, aut quasi nostro insuper auxilio opus habuisset: cui soli tamen scriptura perhibet testimonium, quod peregerit omnia solus, quæ ad peragendum opus redemtionis nostræ pertinent, Esa.63, & 53.1. Johan.1. 1.Pet.1. Apoc.1. &c. Verùm perperam id ex hoc loco probari contendit Pererius, disp.14. in cap.3. Rom.num.63. aliter enim fieri, ait, expiationem peccatorum per Baptismũ & aliter post Baptismum per Sacramentum pœnitentiæ. Per Baptismum gratis & sine ulla hominis satisfactione omnia condonari peccata, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam omnem: per pœnitentiam verò gratis quidem & culpam & pœnam æternam remitti ex merito sanguinis Christi, exigi tamẽ ab homine satisfactionem ad persolvendam pœnam temporalem, quæ reliqua sit luenda etiam post remissam culpam & pœnam æternam, & hanc hominis satisfactionem pendere dicit, & efficacitatem accipere, ex redemtione & satisfactione Christi: idq; probat exemplo Davidis, cui remissa fuit culpa adulterij, puniebatur tamen nihilominus morte filij ex adulterio sublati. Hæc Pererius; quæ repetit disp. 3. in cap. 4. Rom. num. 12. & 13. Similia habet Bellarminus lib. 4. de pœnit. cap. 2. & concil. Trident. seß. 6. cap. 14. & seß. 14. cap. 12.

Pontificij duplicem fingunt Redemtionem.

Verùm enim verò: non licet nobis sapere extra id quod scriptum est. Cùm ergò scriptura unam semper & eandem nobis monstret redemtionem à peccatis & pœnis peccatorum omnibus, & in Baptismo, & in quotidiana pœnitentia, nobis limites hujus doctrinæ transgredi, citra blasphemiam in meritum Christi non licet. Verè enim impium & blasphemum est, Christum aliter esse nostrum redemtorem,

Refutatio hujus dogmatis.

cùm baptiſamur, aliter cùm poſt baptiſmum pœnitentiam agimus. Eſt enim Chriſtus heri & hodie & uſq; in ſeculum, ſacerdos noſter in ſempiternum, qui ſemel ingreſſus in ſancta, æternam adquiſivit redemtionem, Hebr. 9, 10, 13. Tanta igitur vis eſt redemtionis per Chriſtum factæ, ut non tantùm in Baptiſmo valida ſit ad tollenda peccata & pœnas peccatorum omnes, ſed & in quotidiana pœnitentia, & ultimo agone hominis abſq; interventu ſatisfactionis humanæ. Quod autem pœnas attinet, quæ homini etiam poſt remiſſionem peccatorum immittuntur, ſciendum eſt, illud non ſemper fieri: multis enim remiſſa ſunt peccata, ubi nullæ pœnæ ſubſecutæ, quemadmodum probatur exemplo paralytici Matth. 9. mulieris peccatricis Luc. 7. adulteræ Ioh. 8. Quando verò ſubſequuntur, notandum eſt illud Auguſtini lib. de pœnitent. & confeſſ: Ante remiſſionem ſunt ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem certamina exercitationesq; juſtorum. Diſtinguendum igitur inter pœnam ſupplicij, & pœnã caſtigationis ſeu probationis. Pœna ſupplicij, quæ propriè pœna dicenda eſt, & pro peccatis admiſſis debita, unà cum peccatis remittitur: pœna caſtigationis ſeu probationis, quæ propriè crux & calamitas appellanda, etiam pijs in hac mortalitate ſuſtinenda relinquitur. His enim Deus imponit pœnas, inquit Chryſoſtomus, non exigens ſupplicium de peccatis, ſed ad futura nos corrigens.

Qualis pœna relicta ſit poſt impetratam remiſsionem peccatorũ?

(Pœna dicitur propriè læſio, quæ punit & vindicat, quod quiſq; commiſit, ait Auguſtinus de vera & falſa pœnit. cap. 19.)

Talis erat crux domeſtica Davidis, quâ Deus ipſum exercere, & alios illo exemplo Regis offenſos à ſimili delicto deterrere voluit, ſicut expreſsè hæc cauſſa in textu additur: ideò malum hoc ſubſecutum, quia David hoſtibus Domini occaſionem blaſphemandi dederit. Hinc Auguſtinus lib.

2. de

2. de peccatorum merit. & remiss. cap. 34. Rectissimè dicetur, subsecutum fuisse illius comminationis effectum, ut pietas Davidis in illa humilitate exerceretur atq; probaretur.

QUÆSTIO V.

Scribit Apostolus Paulus v. 25. Deũ proposuisse nobis Christũ ἱλαστήριον *propitiatoriũ; Lutherus in nostra vernacula reddidit thronũ gratiæ,* einen Gnadenstuel*: & autor Epistolæ ad Hebr. cap. 4, 16. Christum expressè vocat thronum gratiæ. Hinc ergo quæstio emergit, annon hæc sit propositio metonymica sacramentalis, Christus est thronus gratiæ, quæ ita exponenda sit, thronus gratiæ significat Christum: quod si ita est, falsa erit assertio nostratium, qui negant ullum exemplum metonymicæ prædicationis, qualis à sacramentarijs fingitur, dari posse?*

Resp. Sacramẽtarij, ut eò speciosiùs probare videantur realem absentiam corporis & sanguinis Christi à symbolis in sacrosanctâ Cœnâ, novam rationẽ propositionũ excogitarunt, quas Metonymicas sacramẽtales nominant, in quibus nomẽ rei signatæ tribuatur signo. Et harũ propositionũ exempla produxerũt hactenus ex scriptura ferè isthæc: Ego sum vitis: Pater meus est agricola: Iohannes est Elias; semen est verbũ: ager est mundus: septem vaccæ sunt septem anni: petra est Christus: Agnus est Pascha, Baptismus est lavacrum regenerationis: circumcisio est fœdus: Panis est corpus Christi: vinum est sanguis Christi &c.

Propositiones metonymicæ Sacramentariorum.

Iohan. 15. Matth. 11. Gen. 41. 1. Cor. 10. Exod. 12. Tit. 3. Gen. 17.

His adjungit Paræus & hoc nostrum: Christus est ἱλαστήριον, *id est, significatus per* ἱλαστήριον, *& hanc vocat phrasin Metonymicam sacramentalem part. 3. cap. 3. Rom. pag. 292. His propositionibus omnibus affingunt tropum* μετωνυμίας, *prædicationem metonymicã, tantùm ut Zuinglianum illud SIGNIFICAT in verbis institutionis, hoc est corpus meum, id est, hoc significat corpus meum; quoquo modo exemplis similibus si non probare, ad speciem tamen illustrare atq; commendare possint. Atqui tropus* μετωνυμίας *in his exemplis locum planè nullo modo habere potest. Aut enim collocaretur in subjecto, aut in prædicato, aut in copula, aut in modo attributionis. In subjecto vel prædicato ipsi Sacramentarij metonymiam non ponunt, quod ipsum tamen satis absurdum est: nam ubi rerum propriè nõ cohærentium fit conjunctio, ibi vel uterq; vel alteruter terminus tropum admittat necesse est: tropus enim est verbi vel sermonis in aliam significationem translatio: ideò in explicatione propositionum figuratarum vel utrumq; vel alterutrum saltem terminum immutare solemus; tyrannus est lupus, id est similis lupo. Sed concedamus ipsis hanc absurditatem, tropum esse, & tamen in neutro terminorum esse. Iam verò, neq; in copula esse potest, in quo tamen satis ineptè eum pleriq; collocant. Copula enim est* συγκατηγορούμενον, *quod colligit utriusq; termini communicationem in unum actum; ineptum autem est, tropum ponere in* συγκατηγορουμένῳ, *copula est pars attributi, teste Crellio in Logicis: in attributo autem tropum etiam ipsi negant, & res ipsa in verbis cœnæ negare jubet: Loquitur enim Christus de corpore pro multis tradito. Longè verò ineptius est, ponere tropum in attributionis modo: tropus enim attributione nunquam fit, nisi etiam sit alterius extremorum per se consideratorum. Nam ille modus attributionis, pendet ex natura partium propositionis. Vbi*

Metonymica nulla est in allegatis exemplis.

ergò

ergò tropus nullus est in partibus propositionis, ibi etiam in attributione tropus locum habere non potest. Relinquitur igitur, tropum Metonymiæ in illis propositionibus nullum esse, sed eas partim ad Metaphoricas, partim ad inusitatas locutiones referendas; verissimumq; est nullam in scriptura propositionem monstrari posse, in qua per novam illam Metonymiæ rationem nomen rei signatæ tribuatur signo. De cæteris propositionibus alibi agitur. Hanc nostram quod attinet, Christus est thronus gratiæ, seu, Christus est propitiatoriũ, ἱλαστήριον, inprimis nota depravationem Parei: Nam propositionem hanc, CHRISTVS est ἱλαστήριον, ita exponit, CHRISTVS significatus est per ἱλαστήριον, cum juxta novam metonymiam Sacramentariorum dicere debuisset, Christus significat ἱλαστήριον. Prævidit autem absurdum, quod hinc sequeretur, videlicet, Christum viliorem esse propitiatorio Mosaico, cum figura semper vilior sit re figurata, item, ex Christo fieri umbram, ex re repræsentata rem repræsentantem: ideò invertere maluit significationem, quasi dixisset Apostolus, ἱλαστήριον est Christus, id est, significat Christum, quæ tamen propositio apud Apostolum non reperitur. Eo ipso igitur palàm fecit, quod hoc exemplum, Christus est ἱλαστήριον, ad Metonymicas Sacramentariorum propositiones non quadret. Deinde nota, quod D. Paulus istam propositionem non habeat; Christus est ἱλαστήριον, sed, Deus eum proposuit, inquit, in propitiatorium. Altera verò propositio, quæ deducitur ex Epistola ad Hebræos, Christus est thronus gratiæ, nequaquam intelligenda est per sacramentalem Metonymiam: quia omnis metonymica prædicatio præsupponit metonymiam in simplici dictione: tropũ autem in simplici dictione negant adversarij. Deinde non loquitur Apostolus de corporeo illo throno gratiæ,

qui erat inter Cherubinos, super arca fœderis in sanctuario: is enim jam pridem desijt: sed de spirituali illo throno, quem corporalis ille præfigurabat. Hunc ergo thronum gratiæ non demum significat CHRISTVS, sed revera est ille ipse spiritualis thronus gratiæ olim præfiguratus: hunc enim accedere amplius non possumus. Desiit ergo figura & significatio, & revera præstò est, quod olim figuratum seu significatum fuit. Et quis tandem thronus ille gratiæ est, si Christus non est, sed significat duntaxat? Manifestum itaq; est, Apostolum agere non de Mosaico throno gratiæ, sed de Christo: is verò non per metonymiam Sacramentalem significatur per thronum illum, sed revera thronus ille spiritualis est per corporalem adumbratus. Atq; sic in propositione Apostolica, Christus est thronus gratiæ, non est metonymia Sacramentalis in copula aut attributionis modo, sed metaphora in prædicato, quod propter typum & similitudinem Christo propitiatori nostro tribuitur.

QUÆSTIO VI.

Cùm CHRISTVS sit & dicatur propitiatio pro totius mundi peccatis, 1. Ioh. 2. cur Apostolus noster hoc in loco scribit, DEVM proposuisse ipsum propitiatorium, propter remißionem præcedentium delictorum? num ergò relapsis in peccata nullus amplius

amplius restat veniæ locus, quod volebant olim Novatiani? aut num peccata post baptismum alio modo expianda sunt, quàm per propitiationem Christi?

Resp. Nihil horum sequitur: sed manet Christus Servator totius mundi, semper sibi similis, manet ad ipsum aditus omnibus verè pœnitentibus, quocunq; tempore, & quomodocunq; peccaverint. Loquitur autem D. Paulus de delictis præteritis eorum, qui in Veteri vixerunt Testamento, planè ut autor Epistolæ ad Hebr. cap. 9, 15. Christum Novi Testamenti mediatorem nominat, in redemtionem earum prævaricationum, quæ sub priori erant Testamento. Caussæ verò, cur illorum delictorum in specie meminerit, hæ sunt: 1. quia indicare voluit, virtutem Meriti Christi etiam retrò se extendere ad peccata Veteris Testamenti, quam ob caussam agnus ab origine mundi occisus esse dicitur Apocal. 13. quod quia rationi nostræ non tam facilè persuadetur, quæ scit, effectum non esse priorem sua caussa, ideò D. Paulus expressè præteritorum illorum temporum delicta posuit. 2. quia digito notare voluit infirmitatem sacrificiorum rituumq; Leviticorum, qui non poterant expiare hominum delicta, sed opus fuit sanguine Christi, quam causam Epistola ad Hebr. 9. exponit. 3. quia docere voluit, jam postquam Christus pro peccatis mortuus est, non ampliùs peccatis indulgendum esse, sed illa præteriri debere, aliàs magnum crimen ingratitudinis incurreremus, quòd tempore tam accepto non rectius usi fuimus, quò referendus locus Rom. 13, 12. seqq. 4. quia nos solidè consolari voluit, quia per Christum præcedentia delicta expiata sunt, fore, ut & præsentia & futura per eundem tollantur, modò verâ fide ad hunc thronum gratiæ accedamus.

Quæstio

QUÆSTIO VII.

Scribit Apostolus noster, Deum proposuisse filium suum propitiatorium in sanguine ejus v. 25. atq; sic passivè tantùm obedientiæ Christi meminit: num ergò activa Christi obedientia, quâ legem implevit, non pertinet ad causam meritoriam justificationis nostræ?

Ioh. Piscatoris impium & absurdum dogma de merito Christi.

Resp. Ita quidem contendit Iohannes Piscator Sacramentarius Herbornensis volum. 1. disputationum loco 15. thesi. 16. & volum. 2. loc. 7. thes. 15. & 16. quibus in locis scribit, materiam justitiæ Evangelicæ esse tantùm obedientiam & mortem Christi, & hanc solam imputari hominibus à Deo: sanctitatem autẽ vitæ & naturæ Christi ideò duntaxat Christo fuisse necessariam, ut sua morte, peccata nostra expiare posset. Et hunc errorem suum probare conatur hoc loco nostro Apostolico, justificamur gratis per redemtionem factam in Christo Jesu, quam proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius: cui deinde alia subjungit dicta; in quibus vel mortis vel sanguinis Christi tantùm mentio fit: de quibus omnibus infert: aut concedendum esse, per passionem & mortem Christi solam expiata esse peccata nostra, justitiamq; illam æternam adductam: aut Spiritum sanctum imperfectè de caussa meritoria remissionis peccatorum nos edocere. Hæc ille. At enim quàm multa novum hoc dogma pariat absurda, commemorandi locus hic non est: discerpit enim meritum Christi, quod universa scriptura in agendo & patiendo consistere testatur: divellit fructum illius meriti, quod partim

tim nobis, partim ipsi Christo profuisse fingitur: docet Christum sibi non nobis sanctum fuisse natum: non nobis sed sibi primò ac directè sanctè vixisse; justitiæ DEI ex dimidiâ saltem parte satisfactum fuisse, siquidem à nobis non tantùm pœnas peccati, sed & plenam legis obedientiam requirebat, & quæ sunt hujus generis alia. Nostrum jam duntaxat est, locum hunc Apostoli nostri à depravatione istius Sacramentarij vindicare. Elumbis igitur est collectio; D. Paulus sanguinis duntaxat facit mentionem: ergo obedientia Christi activa ad meritoriam justificationis caussam non pertinet: planè ac si Pontificius aliquis diceret: solâ fide justificari vultis, ergo verbũ & sacramẽta ad justificationem non sunt necessaria; frivola hæc est consequentia: nam utrumq; ad caussam instrumentalem justificationis nostræ pertinet; fides ex parte nostra, verbum & Sacramenta ex parte DEI: uno itaq; posito, non necesse est excludere alterũ. Sic & hoc in loco: obedientia activa & passiva ad caussam meritoriam & satisfactoriam iustificationis pertinet: sed illâ satisfit obedientiæ legi debitæ, hac pœnis inobedientiâ nostrâ promeritis: utrumq; pro nobis præstandum erat: ergo unum alterum excludere non potest. Deinde, quotiescunq; scriptura mortis aut passionis Christi meminit, semper præsupponit activam legis obedientiam, sine qua passio nulla fuisset sufficiens, ad reconciliationem generis humani. Non enim peccata saltem erant expianda, sed & legi nostro loco obtemperandũ: ideo non malè sentiunt, qui activã Christi obedientiam principatum obtinuisse scribunt in ipsa passione, juxta illud Psal. 40, 8, 9. Scriptum est in capite libri de me, ut faciam voluntatem tuam, mi Deus &c. Deniq; ab adversario particularis tantùm fit locorum inductio. Etsi enim in locis ab ipso citatis sanguinis duntaxat vel mortis ac passi-

onis Dominicæ fit mentio, alibi tamen per obeditionem CHRISTI legi præstitam justi constituti dicimur Rom.5,19. sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem justi constituentur multi; & Gal. 4, 4. misit Deus filium factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Usitata autem est Synedoche scripturæ, tribuentis justificationem nostram interdum passivæ, interdum activæ Christi obedientiæ: sicut & Rom. 4,25. resurrectioni tribuitur, quæ sanè ad passivam Christi obedientiam referri nequit. Non autem negamus sæpius scripturam meminisse sanguinis, mortis, passionis Christi, quàm obedientiæ legi pro nobis præstitæ; non quidem quasi vel sola obedientia passiva satis sit, vel Spiritus Sanctus de meritoria justitiæ nostræ caussa non sufficienter nos instituerit, ut adversarius colligit: sed partim, quia passio & mors Christi fuit colophon & ultimus terminus obedientiæ Christi pro nobis præstitæ, teste Apostolo Paulo Phil.2,8. partim, quia justificatio nostra remissione peccatorum describitur Psal.32,2. Rom.4,3. remissio autem peccatorum sine sanguinis effusione non fit Hebr.9. ubi verò remissio peccatorum est, ibi est & sanctitas & justitia nobis imputata: nam cedente peccato, succedit justitia. Utrumq; igitur & sanctitas & passio Christi ad meritoriam justificationis nostræ caussam est necessarium. Sed satis de isto paradoxo Piscatoriano, cujus refutationem quasi ex professo institutam videat adversarius apud confessionis suæ socium VVilbelmum Bucanum institut. theolog. loc.31. quæst.13.14. & 15.

Cur scriptura sæpius mentionem faciat passivæ, quam activæ obedientiæ Christi?

QUÆSTIO IIX.

Num B. Lutherus crimen falsi commisit in versione germanicâ, horum verborum:

arbi-

arbitramur hominem justificari fide, sine operibus inserendo particulam, SOLA. So halten wir es nu / das der Mensch gerecht werde/ohn des Gesetzes Werck / Allein durch den Glauben. *Exclusiva enim, neq; in græco, neq; in Latino codice reperitur?*

Resp. Perpetuus hic Romanensium Coccysmus est, quo nobis ægrè facere volunt, ac si peccatum irremissibile à Luthero nostro commissum esset. Sed tantum abest, ut nos istius versionis pudeat, velut in ea aliquod falsi crimen agnoscamus, ut potiùs pro illa versione, qua melior & perfectior, linguæq; Apostolicæ convenientior esse non potuisset, fortiter pugnandum esse statuamus. Scripsit Lutherus ipse præclaram Apologiam hujus suæ translationis tom: 5. Ien: germ: fol: 140. seqq. in qua calumnijs & convitijs Romanensium masculè & nervosè respondit: cujus Apologiæ summa hæc est: Primùm *ait, se germanicè, non latinè vel græcè fuisse locutum. Germanici verò idiomatis ea est proprietas, ut, cùm de duobus sermo est, quorum unum adfirmatur, alterum negatur, particula* allein/ *addatur adfirmationi, ut ex altera parte negatio sit eò fortior; id quod omnibus, qui germanicè loqui sciunt, notum est: habet enim quælibet lingua suos idiotismos, de quibus non nisi istius linguæ periti dextrè judicare possunt.* Deinde *ait, hũc ipsũ & non aliũ sensũ requirere verba Pauli: opponit enim fidẽ operibus, tanquã duo immediatè opposita: cùm ergo Paulus ipse à justificatione opera removeat, necessariò fides sola relinquitur; ut idem sit, fide justificari sine operibus, ac, sola fide justificari.* Præterea *hanc esse mẽtem Apostoli hoc in loco, alibi similib. phrasibus declaratur, ut quãdo Gal. 2. v. 16. scri-*

Lutheri apologia pro vocula SOLA.

16. *scribit; non justificatur homo ex operibus legis*, nisi per fidem *Iesu Christi: quid hoc est aliud, quàm sola fide? Eodem pacto particula* Nisi *usurpatur exclusivè Marc. 13, 32. de die illa nemo novit nec Angeli, nec Filius, nisi Pater, id est, solus pater. Apoc. 21, 27. non intrabit aliquid immundum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ, hoc est, tantùm inscripti in librum vitæ &c.* Porrò *scribit Lutherus, rem ipsam manifestam esse ex scripturis aliis. Nam morti & resurrectioni Christi in scriptura acceptum fertur meritū justitiæ nostræ. Rom. 4. hoc verò meritum nullo opere, sed sola fide apprehenditur; ergo rectè dicitur, nos solâ fide justificari.* Tandē *ad autoritatē Patrū provocat, Ambrosij imprimis & Augustini, qui hac eadem phrasi usi fuerunt, quorum testimonia passim ubiq; repeῥiuntur. His argumentis, quibus versionem suam adserit Lutherus, addimus & hæc sequentia: 1. esse hanc ipsius scripturæ cōsuetudinem, ut quod uno in loco indefinitè ponitur, absq; exclusivâ, alibi additâ particulâ exclusivâ σαφηνείας ἕνεκα explicetur, ut Deut. 6, 13. legitur: Deo servies: hoc Christus ita exprimit: soli Deo servies Matth. 4, 10. Sic Deut. cap. 4, 35. dicitur, Iehova est Deus, & non est ultra, præter eum: id ἐμφατικωτέρως redditur Deut. 23, 39. videte, quod ego sim SOLUS, & non est alius præter me. 2. eandem consuetudinem observarunt sacri codicis interpretes græci, ut Gene. 3, 11. cum in Hebræo legeretur, quis indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd comedisti de ligno, de quo tibi præceperā, ab eo ne edas; Septuaginta addiderunt particulam μόνου, τούτου μόνου μὴ φαγεῖν; Sic 2. Paralip. 20, 12. juxta Hebræum codicem legitur, hoc habemus residui, ut oculos convertamus ad te: vetus latina versio addit exclusivam, hoc solùm habemus residui, haud dubiè ex versione LXX interpretum, non novimus quid faciamus eis, ἀλλ' ἢ ἐπὶ σοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν, nisi quod in te oculi nostri. 3. eandem licentiam sibi sumunt*

Nisi est particula exclusiva.

ipsi Pontificij. Nam Perer. disp. 9. in cap. 3. Rom. ad illa verba Pauli: per legem cognitio peccati, addit: oportet in hac Pauli sententiâ intelligere ac supplere adverbium Tantùm, *hoc modo: per legem fit cognitio tantùm peccati: idq́; haud dubiè ideò fecit, quia Rom. 7. dicitur, peccatum non cognovi, nisi per legem: cur ergo hoc Luthero nostro vitio fertur, quòd addit exclusivam* Tantùm, *siquidem simili loco dicit Apostolus, non justificatur homo ex operibus nisi per fidem &c. 4. adde, quod & versio Syriaca Rom. 4, 5. inserit exclusivam particulam Balchud: Ei qui non operatur, sed* (Tantùm, *Balchud*) *credit &c. quæ tamen in græco textu non reperitur. 5 Præterea videant, ne calumnijs suis Romanenses propria vineta cædant: supra enim audivimus, quomodo versiculo 27. hujus capitis insperserint particulam* Tua, *ubi est gloriatio* Tua? *quæ neq́; in textu, neq́; ad marginem posita est, neq́; ad sententiam textus pertinet.*

Quæ singula ac universa cùm versionem Lutheri nostri solidissimè defendant; jam colophonis loco, quatuor adhuc de exclusivis particulis notanda sunt: Primum *est: Exclusivas particulas apud Paulum has esse potissimum. 1. Gratia, non ex nobis Eph. 2. hoc est, solâ gratiâ. 2. secundùm misericordiam, non ex operibus Tit. 3: 3. Gratis, Rom. 3. 4. Donum Dei, non ex vobis Ephe. 2. 5. gratia* Unius *hominis Iesu Christi in plures Rom. 5. 6. Sine lege, Rom. 3. Gal. 2. & 3. 7. sine operibus, Rom. 4. Tit. 3. 2. Tim. 1. 8. Fide sine operibus, Rom. 3. 9. Nisi per fidem Gal. 2. &c.* Alterum, *quod notari debet, hoc est, particulas exclusivas non excludere causas subordinatas aut connexas, sed tantùm oppositas & alienas: quod si probè observetur, facilè responderi potest ad ea, quæ Bellarminus de Sacramẽtis promissiones gratiæ applicantibus objicit, in fine cap. 16. lib. 1. de justificatione.* Tertiò

Notæ quatuor de particulis exclusivis.

notetur, exclusivas excludere opera non à fide, sed à justificatione; Fides enim nunquam sola est, sed bonis operibus semper stipata: sola tamen justificat: quia in actu justificationis Paulus fidem ab operibus perpetuò sequestrat. Quartò, *notandum est, quibus de caussis particulæ illæ exclusivæ retinendæ sint in Ecclesia. Caussæ potissimùm hæ sunt. 1. ut omnia nostra merita à negotio justificationis nostræ excludantur: gloriam enim justificationis & salutis nostræ Deus alteri non dabit; neq; partitur Christus operas redemtionis nostræ inter se & nostra opera: sed ipse torcular calcavit solus Esa. 63.2. ut fides agnoscatur sola esse instrumentum, quo Dei gratia & meritum Christi apprehenditur. 3. ut renovatio, ad quã pertinent opera bona, à justificatione accuratè discernatur: differunt enim ut effectus & caussa. 4. ut sit hæc particula* SOLA *quasi symbolum puræ doctrinæ. Vt enim Arianos ab orthodoxis discernebat τὸ ὁμοούσιον; licet non extaret in scriptura: ita nos à Pontificijs inter alia discernunt Exclusivæ, in articulo justificationis. Vnde factum, ut, quemadmodum olim Ariani orthodoxos vocabant Homousianos, ita hodie Papicolæ nos vocitent Fidesolarios: qua quidem criminatione ipsi se oblectent; nos verò hoc ipso charactere ab hypocritis illis operarijs dignosci posse, nobis ipsis gratulamur.*

Exclusivæ cur retinendæ in articulo Iustificationis?

QUÆSTIO IX.

Quomodo fide justificari dicimur, sine operibus, cùm tamen fides ipsa sit opus, non tantùm quatenus qualitas aut virtus est in nobis, sed etiam quatenus egreditur extra nos, & est apprehensio meriti Christi?

Resp

Resp. Fides justificat, non quatenus in prædicamento vel qualitatis vel actionis est, sed quatenus in relatione consideratur: & quidem non in se & respectu suæ actionis, sed respectu correlati sui, Christi, qui apprehenditur. Accedit enim ad justificationem nostram, non ut meritum, sed ut medium & instrumentum, non efficiendo, sed afficiendo seu applicando justitiam. Quemadmodum igitur in donatione thesauri, non apprehensio thesauri, sed donatio divitem facit, licet absque apprehensione illâ thesaurus non fiat noster ita in collatione justitiæ non apprehensio fidei, sed gratuita donatio Christi justos Deoq; gratos facit, licet fidei apprehensio, ut manus mendica necessariò requiratur. Denominatio enim rei propriè non ab instrumento, sed principali efficiente petenda est, instrumento autem non nisi ob principalem caussam efficientem tribuitur; ita mendicatio divitem facit, propter divitias mendicando corrasas: & fides justificat, propter Christi justitiam fideli apprehensione impetratam. Quòd si ergo rem rectè æstimare volumus, homo fidelis in sui justificatione non tàm agere, quàm pati dicitur; recipit enim donum justitiæ à Deo sibi collatum. Fides igitur opus & actio quædam est, sed non tale opus vel actio, qualia ea sunt, quæ ex fide proficiscuntur, dilectio, patientia, beneficentia &c. Nam hæc opera præstant aliquid Deo; fides autem à Deo accipit id, quod in promissione Evangelij offertur.

Fides quomodo justificare dicatur?

Fides quale sit opus.

QUÆSTIO X.

Cur solâ fide justificari dicimur, non etiam verbo & Sacramentis, quæ tamen etiam inter instrumentales justificationis nostræ caussas referuntur?

Resp

Resp. Paulò ante diximus: Exclusivam non tollere caussas subordinatas & connexas, quales sunt, verbum & Sacramenta; sed alienas & oppositas, qualia sunt, virtutes & opera. Dicimur tamen Fide justificari, non verbo & sacramentis, tres ob causas: 1. quia fides est propinquum illud organum, quod cum justitiâ Christi quàm proximè cohæret; verbum autem & sacramenta τάξει quadam cohærent cum Christi justitiâ; videlicet, quatenus fides ex verbo accenditur & per sacramenta conservatur. Ita enim caussæ illæ sibi invicem subordinantur in actu justificationis; quòd Deus per verbum fidem accendit in hominum animis, quâ justitia Christi apprehenditur: atq; sic fides justitiæ Christi propior est, quàm verbum. 2. quia fides ad salutem & justificationem simpliciter est necessaria: nam qui non credit, condemnabitur Joh. 3. Marc. 16. Matt. 28. verbum & sacramenta non item: nam in casu necessitatis absq; dispendio salutis ijs carere possumus. 3. quia justificatio dicitur non respectu Dei, sed respectu hominum. Verbum autem & sacramenta sunt instrumenta justificationis ex parte Dei, fides ex parte hominum: maluit ergò scriptura fidei, quàm verbo justificationem adscribere.

Cur fide justificari dicamur, non verbo & sacramentis.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. Discrimen maximè proprium Legis & Evangelij est; quod illa peccatum, hoc justitiam hominis coram Deo valentem facit cognitam; utriusq; cognitio homini valdè necessaria est; ergo utraq; doctrina Legis & Evangelij in Ecclesiâ retinenda est.

2. vera

2. *Vera justificandi ratio Patribus in Veteri quoq; Testamento nota fuit, sed aliquantò obscuriùs, tecta typorum & sacrificiorum involucris; nunc autem tempore Novi Testamenti magis magisq; innotuit, sublatis umbris; quam ob caussam Evangelium, quod justificationem nostram proponit, vocatur mysterium temporibus æternis tacitum & absconditum, nunc autem patefactum Rom: 16, 25, 26.*

3. *Eadem est salutis ratio omnium hominum, licèt patefactionis modus variet: quam doctrinam tractat D. Petrus in concilio Hierosolymitano, Act. 15.*

4. *Feliciora sunt tempora Novi Testamenti prioribus, quia nunc manifestatum est, quod olim erat occultatum, unde & tempora nostra vocantur* tempora meliora *Hebr. 7, 22: 8, 6. Nostrum itaq; est & vitam instituere meliorem, & isto tempore dignè vivere; quò pertinet exhortatio Apostolica, Rom. 13, 11.*

5. *Iustitia, quâ coram Deo consistere possumus, non nostra, sed Dei, est ab ipso data & acceptata: tutò igitur ei inniti possumus, cùm omne quod ex nobis est, fallax sit & lubricum.*

6. *Magnus est consensus utriusq; Testamenti, Prophetarũ & Apostoolrum, de Christo & salute hominum. Nam etsi lex non justificat, reperitur tamen in lege etiam & in Prophetis doctrina de Christo, unde Christus ad Mosen remisit Iudæos; si crederetis Mosi, inquit, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit, Ioh. 5, 46. & Paulus locum planè Evangelicum de Christo ex Deut. 30. laudavit, Rom. 10, 8. & Petrus commendat inprimis sermonem Propheticum, tanquam lucernam lucentem in loco caliginoso, 2. Petr. 1, 19. quæ harmonia fidem nostrom, certitudinemq; scripturæ vehementer stabilire potest.*

7. *Fides in negotio justificationis ex parte nostra primas tenet; Nam Christus absq; fide nobis otiosus est, & absq; fide impossibile est placere Deo, Hebr: 11.*

8. *Fides non est meritum, sed instrumentum justificationis nostræ, qua Christi justitiam apprehendimus, à Deo nobis imputatam: unde non propter fidem, sed per fidem justificari dicimur v. 22.*

9. *Principalis materia, seu ut vocant, objectum fidei, est Christus; id est, ejus & humanitas & divinitas, & mysteria ejus, maximè verò incarnationis, passionis & resurrectionis. His verbis objectum fidei justificantis descripsit Pererius disp. 11. in cap. 3. Rom. num. 49. quod contra alios Pontificios notetur.*

10. *Vt in peccato; ita in absolutione à peccato omnes sunt æquales apud DEVM: nec alia quærenda salutis via est, quàm fides in Christum, qua purificantur corda Act. 15.*

11. *In negotio justificationis non est distinctio, justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes qui credũt. Quorsum ergò distinguunt Pontificij inter justificationem primam & secundam? inchoatam & perfectam? inter opera non renatorum & renatorum? inter opera antecedentia & consequentia fidem? prioribus saltem justificationem per fidem tribuunt, posterioribus justificationem operum, quibus futilitatibus semper opponatur Achilleum hoc Apostoli nostri:* οὐκ ἔστι διαστολή, non est distinctio.

12. *Omnes absq; CHRISTO destituimur gloriâ Dei, ad quam quidem ab initio conditi eramus: quorsum ergo liberi Christianorum ab ipsa statim nativitate finguntur à Calvinianis esse in fœdere Dei? aut si jam tum sunt in fœdere, quid amplius*

ampliùs justificatione opus habent, cùm in fœdere Dei non nisi justi esse possint: nihil enim commercij est justitiæ cum injustitia 2. Cor. 6.

13. *Magna DEI bonitas, justos pronunciare, qui & naturâ justi non sunt, & in se non nisi condemnationem merentur, hoc enim est justificare gratis. Nimirum voluit in eo commendare DEUS caritatem suam erga nos, quòd inimicos suos dilexerit, ut Apostolus noster loquitur infrà cap. 5, 8.*

14. *Fons salutis nostræ est Dei gratia, bonitas, & misericordia, quam nullibi magis exeruit, quàm in opere Redemtionis nostræ, ubi ne quidem proprio pepercit filio, sed dedit ipsum pro nobis, quod infrà ab Apostolo nostro fusiùs prædicatur cap. 8.*

15. *In negotio justificationis nostræ verè dicere possumus de Deo illud Psalmi 81. misericordia & veritas obviaverunt sibi; justitia & pax osculatæ sunt. Concurrit enim hîc & misericordia Dei gratuitò justificantis hominem, & justitia Dei, Christo pro peccatis nostris satisfaciente.*

16. *Nulla nobis restat satisfactio pro peccatis aut peccatorum pœnis: per Christum enim facta est ἀπολύτρωσις, hoc est, plenaria solutio eorum omnium, quæ nos captivos ligatosq; tenebant: idq; de ipso prædictum fuerat Esa. 53. & 61.*

17. *Omnis noster cultus in nomine Christi factus, Deo gratus est: Quemadmodum enim olim precantes faciem ad propitiatorium convertere tenebantur, ubi & Deus se responsa daturum pollicitus fuerat: ita hodie promissionem habemus, nos accepturos, quicquid à Patre in nomine Filii sui petituri sumus Joh. 16.*

18. *Remissionem peccatorum in Christo certam habemus, quia*

sanguinem suum pro nobis effudit, absq; cujus effusione nulla fit remissio Hebr. 9, unde & vocatur propitiatio pro totius mundi peccatis, 1. Ioh. 2,2.

19. *Atrocitatem peccatorum, quæ nobis sæpè videntur vilissima, in oculis Dei oportet esse longè maximam, quia non nisi sanguine unigeniti filij sui expiari potuerunt: id quod meritò summum peccati odium & detestationem in nobis excitare debet.*

20. *Passio & mors Christi, quo ad actum quidem, certo tempore contigerunt: quo ad effectum autem extendunt se ad omnia secula, etiam retrò ad Patres Veteris Testamenti, absq; hoc enim sanguine nullæ unquam abluuntur sordes peccatorum.*

21. *Admirandum Dei consilium est, quòd nos sanguine filij sui voluit redimere, quod rationi humanæ crudele videtur: sed ita voluit confundere sapientiam hominum; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, dicente Paulo nostro, 1. Cor. 25. Qua de re præclarè differit Bernhardus Epist. 190.* Cur per sanguinem, ait, quod potuit facere per sermonem? Ipsum interroga: mihi scire licet, quod ita; cur ita, non licet. Et iterum: non requisivit Deus Pater sanguinem Filij, sed tamen acceptavit oblatum, non sanguinem sitiens, sed salutem, quia salus erat in sanguine.

22. *Deus satis superq; testificatus est justitiam suam in morte filij sui, ut Paulus noster loquitur v. 26. quam cum ab æterno decreverit (quo respectu agnus ab origine mundi occisus esse dicitur Apocal. 13.) non necesse fuit, ut ad ostendendā justitiam suam homines quamplurimos ad damnationem destinaret, ut blasphemè docent Calviniani: de qua impia justitiæ divinæ declaratione nihil habet universa scriptura, sed contra-*

contrarium potiùs; quòd videlicet Deo peccatores non sint necessarij Syr. 15, 12.

23. *Gloriatio salutis nostræ Dei in solidum accepta est ferenda. Nam si legem præstare possemus, haberemus quod gloriaremur; quia verò Deus gratuitè justificat impium, gloriatio nostra exclusa dicitur, per doctrinam fidei, v. 28.*

24. *Doctrina Evangelij appellatur doctrina fidei non factorum: quia una quævis scientia à proprio suo fine sortitur appellationem. Quia itaq; Evangelium non docet, quid faciendum, sed quid credendum sit, nomen illud incommodè ei tribueretur. Perperam ergò faciunt Pontificij, qui doctrinam Evangelij legem novam nominant, quasi & Evangelium de operibus agat, quæ tractatio est propriè legis Mosaicæ.*

25. *Aureis notetur literis & firmißimè cordi inscribatur aureolum hoc Apostoli:* Arbitramur hominem justificari fide, sine operibus: *id enim hominem adducit ad agnitionem sui, quòd non nisi peccare, Deiq; iram promereri valeat: quòd à seipso quidem cadere poßit, sed non resurgere: quòd etsi boni quid operetur, nil tamen ad suam justificationem facere queat. Adducit eum etiam ad agnitionem Christi, qui fideli pectore inclusus, solus amuletum est adversus omnem condemnationem peccati: ostendit etiam discrimen inter fidem & opera, quòd etsi opera adsint in justificato, nihil tamen faciant ad justificationem; de quibus omnibus plura audivimus in quæstionibus.*

26. *Unus Deus omnium hominum est per creationem, unus Pater credentium per redemtionem: de illo Malach. 2, 10. Matth. 23, 9. de hoc Ephe. 4, 4. agitur: quæ consideratio meritò nos omnes ad unanimitatem & fraternam caritatem excitare deberet; ad quem scopum exhortationem suam Malachias loco dicto direxit.*

27. *Antiqua cantilena Operariorum est, quam hodiè ad ravim usq; nobis occinunt Romanenses: quia sola fide justificari volunt, tollunt bona opera; cui opponendum est hoc Apostolicum* : Per fidem opera legis stabilimus, *ostendentes nimirum imbecillitatem eorum, quòd justificare non poßint, & verum locum ipsorum, quòd videlicet non antecedere debeant justificandum, sed sequi justificatum, imò necessitatem ipsorum extra forum justificationis, quòd nimirum fides absque ijs sit mortua, & per ea in actione cum proximo semper efficax, Galat. 5.*

CAPUT IV.

Argumentum & Partitio Capitis.

PErgit Apostolus demonstrare, hominem non ex operibus, sed fide justificari. Et quod hactenus argumento uno vel altero probaverat, jam partim exemplo Abrahami, partim alijs rationibus ostendit. Duæ sunt partes capitis.

Prima exemplis & argumentis docet, justificari hominem fide tantùm, usq; ad v. 18.

Altera continet descriptionem fidei Abrahameæ.

PARS PRIMA TEXTUS.

ΤΙ' οὖν ἐροῦμεν; Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα;

1. QUid ergo dicemus invenisse Abraham Patrem nostrum secundùm carnem?

Si enim

Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν θεόν.

2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.

Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.

3. Quid enim dicit scriptura: credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.

Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ, ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα.

4. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundum debitum.

Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην.

5. Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.

ΚΑθάπερ καὶ Δαβὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου ᾧ ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων.

6. Sicut & David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus.

Μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι.

7. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Μακάριος ἀνὴρ ᾧ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν.

8. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.

Ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος, ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν; λέγομεν γὰρ, ὅτι ἐλογίσθη τῷ Ἀβραὰμ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην.

9. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm, an etiam in præputio? Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam.

Πῶς οὖν ἐλογίσθη; ἐν περιτομῇ ὄντι, ἢ ἐν ἀκροβυστίᾳ; οὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστίᾳ.

10. Quomodo ergò reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio.

11. Et

Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ· εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι᾽ ἀκροβυστίας, εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην.

Καὶ πατέρα περιτομῆς τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ.

Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραάμ, ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου, ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίστεως.

Εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου, κληρονόμοι, κεκένωται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία.

Ὁ γὰρ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται. οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος, οὐδὲ παράβασις.

Διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως, ἵνα κατὰ χάριν, εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν παντὶ τῷ σπέρματι, οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως Ἀβραάμ, ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν.

(Καθὼς γέγραπται, ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε) κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ, τοῦ ζωο-

11. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam.

12. Et sit pater circumcisionis non iis tantùm, qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

13. Non enim per Legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei.

14. Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides & abolita est promissio.

15. Lex enim iram operatur: ubi enim non est Lex, nec prævaricatio.

16. Ideò ex fide, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio omni semini; non ei qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum.

17. (Sicut scriptum est; quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, cui vivificat

ποιῦντος τοὺς νεκροὺς, καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα.	vificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Cùm exempla magis movere ſoleant, quàm argumenta: Apoſtolus doctrinam de juſtitia fidei illuſtrat exemplo Abrahami: quod de induſtria magnaq; prudentia elegit, partim quia Iudæi perpetuò gloriabantur, ſe patrem habere Abrahamũ, partim quia Abrahamus bonis operibꝰ præcæteris omnibus maximè fuit conſpicuus. Nihil igitur plus ad perſuadendos Iudæos facere poterat, quàm ſi firmiter demonſtraret, Abrahamum non ex operibus, ſed fide juſtificatum fuiſſe. Eſt enim una eademq; juſtificandi ratio omnium Act. 15, 11. Quid ergò dicemus, *inquit,* inveniſſe patrem Abrahamum ſecundùm carnem? *Connectuntur hæc cum præcedentibus per præoccupationem. Nam ne opinari poſſent Judæi (in quorum gratiam ad exempla Patrum provocat) Patriarcham ſanctiſsimum Abrahamum ſub communem illum cenſum juſtificatorum fide non cadere, ſed habere ipſum ſanctitatis privilegium, ex quo ſuã forte adeptus fuerit juſtitiam; D. Paulus opinionẽ illam antevertit, ſatis ſuperq; oſtendens ex ſcriptura & convincens argumentis, de Abrahamo nihil aliud dici poſſe, quàm quod hactenus de omnibus in genere dixerat, hominem videlicet juſtificari non ex operibus, ſed fide tantùm. Eſt autẽ ambiguè poſita limitatio illa,* Secundùm carnem; *Nonnulli referunt ad ſubjectum Abrahamum, quem vocant patrem ſecundùm carnem: ſecundùm carnem enim deſcenderat Apoſtolus ab Abrahamo, ſicut & cæteri Judæi, inquit Liranus: ideò ſe quoque in paternitatem Abrahami*

Abrahamum non ſine cauſſa adducit Apoſtolus exemplum in articulo de juſtificatione.

bami includit Apostolus: Secundùm fidem etiam gentium erat Pater, ut Paulus alibi docet Gal. 3,7. Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, filij sunt Abrahæ; & sic exponit Chrysostomus, Origenes, Theophilactus. Alij referunt illud, Secundùm carnem *ad prædicatum* Invenisse, *ut sensus sit, Adeò legem Mosis nihil præstare ad salutem, ut ne quidem Abrahamus ipse aliquid consequi potuisset apud Deum secundùm carnem, hoc est, per circumcisionem carnis, nisi per fidem DEO placuisset: & sic exponit Ambrosius. Rectiùs autem per* carnem *hic intelligis opera legis in genere, sed quocunque hanc limitationem* secundùm carnem *referas perinde est, sensus utrobique manet, Abrahamum Patrem omnium fidelium, nullâ in operibus suis, ut ut sanctissimis, reperisse justitiã, sed fide in Messiam justificatam fuisse. Et hoc est principale thema hujus partis, quod argumentis aliquot ordine jam probat & confirmat.*

Abrahamum fide justificatum fuisse, argumentis probatur.

Primum argumentum ducit à remotione effectus ad remotionem caussæ, hoc sensu: Si Abraham ex operibus justificatus fuit, habuit gloriam seu gloriandi materiam, apud Deum v. 2. nimirum, quasi ipse ad salutem justitiamque suam de suo afferre aliquid potuisset. Sed non habuit gloriam apud Deum: illud enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *repetendum est, in illis verbis textus,* Sed non apud Deum, *scilicet* habuit gloriam. *Ergo non ex operibus iustificatus est. Ratio consequentiæ firma est: quia justificatio coram Deo, & gloriatio apud Deum, cohærent ut caussa & effectus, seu, ut antecedens & consequens. Nam cui adscribenda est justificatio, eidem & tribuenda est justificationis nostræ gloriatio. Destructo itaque consequente, destruitur & antecedens. Quod si desideras probationem minoris in hoc argumento, recordare,*

re, quod supra dixerat Apostolus, omnes declinasse, & destitui gloria Dei cap. 2, 23. à qua universalitate Abrahamus excludi non potest.

Secundum argumentum ducitur à positione unius contrarij ad remotionem alterius, hoc sensu: Si ex fide justificatus est Abraham, utiq; non ex operibus. Sed ex fide justificatus est: Ergo non ex operibus Major est ἀναπόδεικτος & sua luce lucet: ea enim est immediatè contrariorum natura, ut uno posito, tollatur alterum & vice versa. Minorem probat ex Mose v. 3. qui scribit, Abraham credidisse Deo, & hoc ei reputatum esse ad justitiam, quem locum v. 3. allegat ex Gen. 15, 6. Gemina autem hîc occurrit oppositio contrariorum 1. operum & fidei, 2. inhæsionis & imputationis. Vtrobiq; rectè ad scopum collimatur argumentando: Abraham justificatus est fide: ergo non operibus; Et Abraham habuit imputatam justitiam, ergo non inhærentem. Notanda autem hic est phrasis Apostolica, imputare fidem ad justitiam, quæ nihil aliud est, quàm justitiam Christi fide apprehensam homini nil tale merenti acceptam ferre, tanquam ab ipso præstitam. Est enim imputatio non opinio aut figmentum aliquod, quemadmodum Pontificij, docere nos, conviciantur, neq; etiam realis rei alicujus infusio, aut insitio, quemadmodum surculi dicuntur imputari plantæ, quo ferè pacto iterum Pontificij phrasin Spiritus sancti pervertunt, idẽ enim ipsis est, imputare fidem ad justitiam, ac infundere ipsa re ac opere qualitatem justitiæ: Sed huic subjectivæ inhærentiæ, opponitur imputatio, & est nihil aliud, quàm realis applicatio meriti justitiæq; Christi extra nos præstitæ, per fidem autẽ nobis adscriptæ. Et sic imputatio justitiæ fidei versatur inter illa duo extrema, inter nudam imaginationem, quam Imputatio quid sit?

nobis affingunt Pontificij, & inter realem inhæsionem, quam ipsi fingunt. Neq; enim est imputatio essentialis, quo pacto peccata nobis inhærentia imputari vel non imputari dicuntur; sed est imputatio cogitationis, vel decreti, ubi rei alienæ realis fit ad alium applicatio seu attributio. Est enim vocabulum ab arte Logistica mutuò sumtum, ubi calculus valorem suum habet non in sese, sed ratione sui positus. Et hæc imputatio cogitationis seu decreti duplicem habet considerationem. Primùm enim fit imputatio Rei ab una persona ad aliam: & sic justitia Christi ad nos, & nostra vicissim injustitia ad Christum solo Dei decreto & æstimatione transfertur, quo pacto Paulus scribit justitiam Christi nobis imputari, & peccatum nostrum Christo imputari 2. Cor. 5. in qua imputatione res absens accipitur & habetur pro præsente: nã justitia Christi, quæ in nobis non est, æstimatur à Deo, quasi in nobis esset; & peccatum nostrum, quod in Christo non est, acceptatur à Deo, ac si in ipso esset. Deinde est imputatio pretij seu dignitatis, ubi pretium seu dignitas unius rei ad aliam transfertur cogitatione & decreto, ita ut loco illius rei habeatur, quemadmodum deprecatio sonti supplet locum innocentiæ, fides credenti supplet locum justitiæ. Atq; hac ratione fides imputari dicitur ad justitiam, hoc est, ejus pretij, valoris ac dignitatis habetur, ac si persona ipsa in se esset justa; quia alienam justitiam precariò accipit. Perinde itaq; est, sive dicas CHRISTI justitiam imputari credenti, sive fidem in CHRISTVM imputari ad justitiam: utrobiq; fundamentum imputationis extra nos est, terminus in persona credente: nulla enim fieri potest applicatio justitiæ CHRISTI absq; fide. Perperam igitur ista duo divellit Bellarminus lib. 2. de justif. cap. 9. Etsi enim

fides

fides non est ipsa justitia Christi, attamen justitia CHRISTI absq; fide nobis otiosa est. Imputatur ergò justitia CHRISTI materialiter; fides verò organicè & instrumentaliter.

Porrò tertium argumentum petitur ab oppositione gratiæ & debiti, hoc sensu: Quod datur alicui, ut merces operanti, non datur ut gratia, sed ut debitum. Sed justitia datur homini ut gratia, non ut debitum. Ergò non datur, ut merces operanti; & sic per consequens non ex operibus, sed ex fide est justitia. Major propositio extat vers. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ubi nota geminam imputationis rationem. Aut enim est imputatio gratuita, ubi nulla est proportio meriti inter rem imputatam, & personam cui imputatur, & tunc fundamentum habet extra eum cui imputatur: sic Christus inter sceleratos reputatus est Esa. 53. sic justitia Christi nobis imputatur. Aut est imputatio ex debito seu meritoria, ubi fundamentum est in ipsa persona, cui fit imputatio, quo pacto Deus peccata nobis vel imputat vel non imputat. Minor propositio extat vers. 5. Ei qui non operatur, credit autem in eum qui justificat impium, fides imputatur ad justitiam. Ubi nota τὸν μὴ ἐργαζόμενον *seu non operantem, non esse hominem bonis operibus vacuum, sed operibus suis non confidentem,* ἐργαζόμενος *enim hîc phrasi Paulina, significat operarium seu Justitiarium,* Einen Werckheiligen.

Imputationis gemina ratio.

Quartum argumentum petitur à collatione Beatitudinis seu salutis cum justificatione nostra, quod argumentum non tam in hypothesi de Abrahamo, quàm in thesi de omnium hominũ justificatione concludit, hoc sensu: Qualis est ratio salutis, talis etiã est ratio justificationis nostræ. Sed salus nostra est ex imputatione justitiæ absq; operibus: Ergo & justificatio.

Major per se manifesta est: est enim justificatio nihil aliud, quàm salutis tandem plenariè possidendæ incoatæ usurpatio, juxta illud 1. Ioh. 3,1. jam sumus filij, sed nondum apparuit, quid erimus. Minor ponitur v.7. & 8. & ex testimonio Davidis Psalm.32,1, proponitur: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Quibus verbis simpliciter describitur Beatitudo hominis. 1. Per Remissionem peccatorum: ea verò est gratuita, nam qui remissione peccatorum opus habet, in eo nulla est justitia operum: ergò & beatitudo est gratuita. 2. Per oblivionem peccatorum, hoc enim est tegere peccata, ea non observare, nec in ea animadvertere: Etiam hoc fit ex mera gratiâ, ignoscere ei, in quem jure animadvertere poteras.

Beatitudinis nostræ descriptio.

(In Hebræo est כָּסָה *quod significat aliquid supernè imponendo operire, ut non conspici possit. Vnde Augustinus: Quid est, Deum non videre peccata, quàm non punire peccata? Tegumentum illud Christi justitia est: unde August: Deus tegat vulnera, non tu. Nam si tu tegere volueris, medicus non curabit.)*

3. per non imputare, seu peccata pro non factis habere. Vbique regnat gratia, excluduntur opera. Ergo & beatitudo & justificatio hominis, quæ ex illis dependent, merè sunt gratuita, nullumque respectum operum admittunt.

Quintum argumentum petitur ab ordine caussarum & effectuum, hoc sensu: Effectus non est prior sua caussa. Iustificatio Abrahami prior est operibus: Ergo opera non sunt caussæ justificationis. Minorem probat, quia justificatus fuit Abraham ante acceptam circumcisionem, cui operi tanquam præ cæteris insigniori & longè sanctissimo Iudæi vel imprimis justificationem tribuebant, quam ob caussam etiam postea tantopere urgebatur à Pseudoapostolis. Probatio hæc extat v. 9. & 10.

9. & 10. formata interrogatione : Beatitudo ergo hæc in circumcisione manet an in præputio? dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam? Quomodo ergo reputata est, in circumcisione an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. *Certum autem est, Abrahamum justificatum fuisse ante acceptam circumcisionem annis ad minimum viginti. Nam anno ætatis centesimo circumcisus fuit. Gen. 17, 17. anno ætatis septuagesimo quinto egressus est ex Ur Chaldæorum, parens vocationi divinæ, Genes. 12, 4. ubi statim facta est ei promissio de multiplicatione seminis sui, & inprimis de semine benedicto Gen. 12, 7. cui promissioni fidem habuit, & hoc imputatum ei est ad justitiam, Genes. 15, 6. Quòd si, quæ de circumcisione adducit Apostolus ad opera legis moralis in genere referre placet, eodem modo valet argumentum: Abraham justificatus est annis 430 ante latam legem: Ergò non ex lege justificatus fuit: & hoc pacto argumentatur Apostolus Paulus, Gal. 3, 17.*

His stantibus, quatuor obijcere poterant Iudæi, ad quorum singula per præoccupationem respondet Apostolus: 1. quid profuerit Abrahamo circumcisio, si ex ejus observatione non fuerit justificatus? respondet Apostolus v. 11. Signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio. *hoc est, etsi circumcisio non justificavit Abrahamum: non tamen omninò inutilis ipsi fuit, sed alium finem, obsignationem nimirum justitiæ jam antè acceptæ habuit. 2. secunda objectio erat, cur ergo Abrahamus fuit ante circumcisionem justificatus? respondit Paulus eodem versiculo,* ut sit pater omniũ credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam, *hoc est, ut declararet Deus, etiam gentiles non circumcisos justificari, imputatâ justitiâ fidei, neq; defectum circumcisionis salutem eorum quidquam impedire.*

3. og

3. *oggannire poterant; cur ergo circumcisus fuit? vel quid circumcisio ejus posteris prodesse potuit? respondet Paulus,* profuit omninò multùm: *hoc enim Sacramento testatus est Abraham, se quoq; circumcisorum Iudæorum patrem esse, modò paternitas ista rectè æstimetur, non ex carnali generatione, sed imitatione fidei, quam Abrahamus etiam non circumcisus habuit: & hæc est sententia vers. 12. ubi Abrahamus vocatur* Pater circumcisionis non ijs tantùm, qui sunt ex circumcisione, sed & ijs, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ.

4. *quarta objectio profluit ex tertiâ: quærere enim poterant Judæi, cur illa filiorum Abrahami conditio ex imitatione fidei æstimanda sit: ad hoc respondet Apostolus v. 13.* quia non per legem promissio Abrahæ, aut seminis ejus, ut hæres esset mundi: sed per justitiam fidei, *hoc est, Abraham nullis operibus, nulla vitæ sanctimonia, qua alioquin insignis erat, promeruit, ut ipsi tam multa tamq; præclara promitterentur, sed fuit mera Dei gratia, quam & posteri non suo quodam merito, sed jure hæreditario per fidem cõsecuti sũt. Expressè enim scriptum, non obedientiam Abrahami, qua paruit vocanti, non spem, non patientiam, non contemtum rerum mundanarum, sed id tantùm unicum, quòd CREDIDIT, reputatum ei esse ad justitiam.*

Ex hac postrema Iudæorum objectione nascitur Sextum argumentum, petitum ex loco cognatorum, hoc sensu: Ex quo adipiscimur hæreditatem filiorum Dei, ex eo etiam justificamur. Sed non ex lege, sed fide accipimus hæreditatem filiorum Dei: nam per justitiam fidei semus sumen Abrahæ & hæredes promissionis v. 13. Ergo non ex lege, sed fide justificamur.

Hinc oritur septimum argumentum, petitum ab absurdo, quod

quod continetur conceptis verbis v.14. Si qui ex lege sunt, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita promissio, *hoc est, si hæreditas filiorum Dei est ex operibus legis, sequerentur hæc duo absurda: 1. fidem esse nullam: nam fides & opera mutuò sese tollunt, sicut infrà ostenditur Rom: 11. 2. promissionem Dei esse nullam, quia promissio facta est ante circumcisionem: si ergò reddita ei propter circumcisionem vel opera sequentia, promissio haud dubiè fuit frustranea; quorum utrumq; cùm evidenter absurdum sit, sequitur, hæreditatem filiorũ Dei non esse ex operibus sed fide, & per consequens justificationem nostram, unde est hæreditas, non operibus, sed fidei tribuendam esse.*

Octavum argumentum petitur à contrariis effectibus legis & fidei v. 15. hoc sensu: Quod iram operatur, non operatur vitam & justitiam. Lex iram operatur v. 15. Ergo non vitam & justitiam. Minorem probat à contrario sensu: ubi enim non est lex, ibi nec prævaricatio, quasi dicat, ubi transgressio legis est, ibi necessariò sequitur animi consternatio & iræ divinæ sensus, quemadmodum penes illos, quibus lex lata non est, summa est animi tranquillitas, licèt ea, quæ lex ab aliis, quibus lata est, requirit, non præstiterint.

Nonum argumentum petitur à certitudine promissionum Dei, hoc sensu: Quicquid promissiones gratiæ facit certas & immotas, id coram Deo nos facit justos. Non opera, sed fides facit promissiones gratiæ certas. Ergo non opera, sed fides facit nos coram Deo justos. Consequentia majoris patet, quia justitia nostra pendet à promissione Dei infallibili, ut v. 13. probaverat. Minor per se manifesta est: quia operarij semper in dubio hærent, num tantum præstiterint operum, quantum ad consequendam justitiam sufficiat, siquidem le-

gem implere nemo potest. Relinquitur ergò conclusio, quæ extat v. 16. Ideò ex fide, ut firma sit promissio secundùm gratiam omni semini. *Ubi notanda 1. phrasis, promissio secundùm gratiam, hoc est, gratuitò facta, seu promissio gratiæ. 2. descriptio subjecti; cui facta sit promissio, nimirum omni semini; non ei, qui ex lege solùm est, sed & ei, qui ex fide est Abrahæ, qui Pater est omnium nostrùm, &c. Quibus verbis totum mundum conjungit tam eos, qui ex gentilitate sunt, quàm Iudæos, omnesq; sub promissione illa (In te benedicentur omnes gentes) contineri indicat, modò habeant fidem Abrahæ in benedictum illud semen: hos enim respectu Abraham Pater multarum gentium fuit constitutus, Genes. 17, 4. non solùm, quia populi multi ex lumbis ejus prodierunt, verùm etiam, quia multi populi fidem Abrahami imitati sunt: idcircò dicitur Pater omnium nostrùm,* ante Deum, *cui credidit: hoc est, pater fidei, non naturæ nostræ, cujus exemplo nobis ad Deum accedere licet. Atq; hac occasione inspergit descriptionem Dei, à præcipuis operibus πρωτογεννησίας & παλιγγενεσίας: hanc quod attinet, dicit,* Deum vivificare mortuos, *hoc est, gentiles ex spirituali morte peccati resuscitare; quoad illam, ait* Deū vocare ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, *hoc est, uno nutu omnia condere ex nihilo, interprete Epistola Hebr. 13, 3. Atq; hac descriptione simul potentiam Dei digito quasi notare voluit, ne dubitaremus de promissione salutis nostræ fide apprehendenda, quia ab eo profecta est, qui uno momento omnia mutare, uno nutu omnia producere & creare potest, licèt antea nuspiam apparuerint.*

Para-

Paraphrasis hujus partis.

ET hæc, quæ hactenus de justitia fidei vobis probavi, ô vos mei Romani, adeò vera sunt, ut neminẽ prorsus extra hanc rationem justificari, verè vobis adfirmare possim. Nam si quispiam eximendus esset à justitiâ fidei, si quispiam ex operibus suam apud Deum impetrasset justitiam, Abrahamus sanè esset, Patriarcha noster sanctissimus & religiosissimus: sed nunquid eum justitiam invenisse arbitremini, vel in circumcisione carnis vel in alio quocunq; opere? Fallimini sanè, si ita sentitis. Nam si justitiam coram Deo valentem haberet ex operibus, potuisset utiq; gloriari in judicio Dei, ac si quid ad sui justificationem contulisset; sed hanc gloriam omni homini superiùs ex scriptura præcisè derogavimus. Quam ob caussam Moses expressè testatur, fidem Abrahami, quam habuit promissionibus Dei de semine benedicto, imputatam ipsi fuisse ad justitiam: quòd si fuit imputatio fidei, gratuita sanè fuit, non meritoria justificatio. Deus enim ex mera gratia imputavit Abrahamo justitiam Messiæ, quam ipse in se non habuit, sed verâ fide in Messiam apprehendit. Et hoc est, quod Regius Propheta David beatitudinem & justificationem hominis describit, quòd consistat in eo, quando justitia Christi imputatur per fidẽ etiam injustis, & vicissim injustitia hominum imputatur Christo in se justissimo, qui suâ innocentiâ hominum nocentissimorum peccata tegit, & sic gratuitam eorum remissionem impetrat, ita ut jam in credentibus pro non factis habeantur. Iustitia igitur per fidem imputata, qualis Abrahami fuit, gratuita est, non meri-

toria, id quod & circumstantia temporis probat: certũ enim est, Abrahamum justum fuisse pronunciatum, antequam circumcideretur: ergo non per circumcisionem justificatus fuit: si non per circumcisionẽ, ergò nec per aliud quodcunq; opus legis; siquidem Iudæis ipsismet fatentibus, circumcisionis observatio opus fuit longè sanctissimum & religiosissimum. Neque tamen propterea circumcisio ei fuit inutilis: nam etsi non ad collationem justitiæ ei profuit; profuit tamen ad obsignationem justitiæ jam antè collatæ: debebat enim esse *P*ater omnium fidelium, tam Iudæorum quàm gentilium; ideò justificabatur ante acceptam circumcisionem, ut esset spiritualis Pater gentilium, non circumcisorum, credentium tamen in eum, in quem credidit Abraham: ideò autem circumcidebatur post justificationem suam, ut esset Pater etiam Iudæorum credentium in promissum mundi Messiam: quæ sanè promissio non est facta legem observantibus, sed credentibus. Fides enim solùm illud ὄργανον est, quo & promissionem gratiæ & hæreditatem vitæ æternæ adipiscimur, quemadmodum Abraham non nisi fide particeps factus est seminis tàm copiosi, & in eo præcipuè seminis benedicti & hæreditatis æternæ. Quòd si legem observantibus facta fuisset promissio, & ipsa promissio facta fuisset irrita, quippe quæ nullam conditionem operis includit, & ante circumcisionem, quin & antequam boni operis ullum extitit indicium, facta fuit: & fides fuisset in Abrahamo supervacanea, frustráq; prædicata: quod enim operibus debebatur vi promissionis, non fidei fuisset adscribendum. Manifestum ergò est, non ex observatione legis, sed obedientia fidei

fidei Abrahamum justitiam apud Deum fuisse consecutum. Hoc ipsum natura legis comprobat. Legis enim est, non justitiam homini conferre, sed iræ divinæ sensum & consternationem in ipsius conscientia excitare. Quemadmodum enim, qui sine lege sunt, terrore legis non tenentur, nec metu transgressionis percelluntur: ita, qui legi sunt obligati, ex transgressione legis non nisi iram Dei persentiscunt. Quid, quòd justitia ex operibus legis petita nunquam satis tranquillam reddere possit conscientiam? semper enim in dubio relinqueretur animus hominis pij, an satis haberet operum bonorum ad sui justificationem: siquidem multa incidunt, quæ bona etiam opera faciunt imperfecta: talis autem sollicitudo non est in fide, quæ sive magnâ cum confidentiâ, sive aliquâ cum imbecillitate Christum apprehendat, æqualiter tamen utrobique justificat. Ex quibus omnibus concludimus, justitiam ex fide in Christum consequi omnes omninò, qui justificantur, qui propterea filij sunt Abrahami Patris omnium fidelium, constituti à Deo omnipotenti, qui cùm ex nihilo condere potuerit omnia, poterit etiam ex peccatore facere justum, tanquam ex mortuo viventem, licèt nulla peccatoris opera, quibus illam justitiam mereatur, intervenerint.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Cùm fides Abrahami sit exemplum fidei

justificantis, numquid falsum erit, quod nostra docent Ecclesiæ, proprium & adæquatum fidei justificantis objectum esse specialem Evangelij promissionem de gratuita remissione peccatorum propter Christum: siquidem Moses non dicit, Abrahamum credidisse, sibi per misericordiam specialem remissa fuisse peccata, sed patrem se futurum multarum gentium ex filio, quem sibi centenario uxor nonagenaria & sterilis præter solitum naturæ ordinē paritura esset, ut loquitur Bellarminus lib. 1. de justif. cap. 8.

Fidei objectū.

Resp. Fides justificans est & notitia & fiducia: quatenus notitia est, objecti loco habet omne Dei verbum, cui assentitur, sed hoc pacto non justificat: quatenus fiducia est, objectum ejus est promissio gratuitæ remissionis peccatorū propter Christum, quod proprium & adæquatū fidei justificantis objectum dicitur: ejus enim intuitu justificat. Concedimus igitur, Abrahamum credidisse promissioni Dei de susceptione filij ex nonagenaria Sara; fuit enim objectum fidei tota illa Dei concio de præsentia gratiaq; sua de filio in extrema senectute suscipiendo, de multiplicatione posteritatis suæ, de benedictione: hæc enim si in dubium vocasset, justificari non potuisset: interim tamen non eorum objectorum generalium intuitu justificatus fuit, sicuti, qui non credit, Deum condidisse mundum ex nihilo, non justificatur; siquidem & Dæmones illud credunt: sed fuit aliquid speciale & planè singulare in promissionibus illis,

nimirum

nimirum promissio seminis benedicti, in quo benedicendæ erant omnes gentes. Hæc erat quasi arx promissionum divinarum, quam cum fideli pectore apprehenderet, sibiq; meritum futuri illius seminis applicaret, hoc ipsi imputatum fuit ad justitiam: & hoc fuit proprium & adæquatū fidei objectum. Cætera verò omnia, quæ simul credidit, fuerunt partim exercitia fidei justificantis; partim confirmatio istius fidei: nam ideò credebat, se, licèt senio confectū, suscepturum adhuc sobolem, ideò desiderio quoq; sobolis tenebatur, ut ex suo sanguine haberet pignus venturæ salutis. Quòd autem Abrahami fides præcipuè in ista promissione respexerit semen benedictum, habemus testes duos omni exceptione majores: primùm Christū, qui Judæis adserit, Abrahamum gestiisse videre diem suum, eumq; vidisse Ioh. 8, 56. quod sanè de intuitu fidei intelligendum esse, extra controversiam est; unde sequitur, Abrahamum non saltem externis illis & temporalibus promissis fidem habuisse, sed & in semen illud benedictum credidisse: quò facit illud, quod in textu Mosaico continetur, Abrahamum credidisse non Deo, ut habet Latina versio, sed ביהוה *in Deum, quæ certæ fiduciæ in Messiam nota est.* Alter *testis est Christi Apostolus Paulus, qui promissionem illam ad semen benedictum expressè restringit Gal. 3, 16. his verbis: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus; nō dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno; & semini tuo, QVI EST CHRISTVS. Hisce testibus adstipulatur è Pontificijs Esuita Pererius, disp. 2. in cap. 4. Rom. num. 7. his verbis: Dicere licet, fidem Abrahæ, quam in illo Genesis loco laudat scriptura, non solùm fuisse de carnali multiplicatione seminis: verùm fuisse eam* præcipuè de uno illo semine ipsius Abrahæ, in quo benedicendæ erant omnes gētes: *id autē semen erat Christus, ut interpretatur Paulus in Epistola ad Gal. atq; itidē sentiebāt veteres Hebræi,*

unicum

„ *unicum illud semen Abrahæ, per quod benedicendæ erant*
„ *omnes gentes, non aliud fore, quàm Messiam, intelligentes*
„ *atq; interpretantes Abraham porrò explicatā atq; expressam*
„ *habuisse fidem Christi Domini nostri, dubitare nos minimè*
„ *sinunt verba illa Domini nostri Ioh. 8. Abraham exultavit,*
„ *ut videret diem meum; vidit & gavisus est, &c: Hæc ille, quæ*
„ *repetijt ex ijs, quæ in Genesin scripsit disp. 4. in cap. 15. num. 50.*
„ *ubi etiam non obscurè fatetur, se ista ex alterius Pontificij scri-*
„ *ptoris, Thomæ Anglici commentarijs in Genesin fuisse mutu-*
„ *atum.*

QUÆSTIO II.

Quod Paulus dicit, Abraham credidisse Deo, Moses in Hebræo: ita exprimit: בַּיהוָה הֶאֱמִן, credidit in Deum; numquid ergo unum & idem est, credere Deo & credere in Deum.

Resp. Vsitata est distinctio istarum phrasium, credere Deum, credere Deo, credere in Deum, quam videre licet apud Lombardum lib. 3. sentent. dist. 23. Fundamentum hujus distinctionis videtur esse Ioh. 14, 10. seqq. ubi Christus dicit ad Philippum: non credis, quia ego in Patre & Pater in me est; hoc est, credere Christum, seu ea, quæ de Christo dicuntur: & iterum vers. 11. non creditis mihi, quia ego in Patre & Pater in me est, hoc est, credere Christo, seu verbis ejus fidem habere, vera esse quæ loquitur: & iterum v. 12. amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Est ergo credere Deum, scire Deum esse, & ea omnia, quæ de Deo in scripturis adfirmantur, esse sapientem, justum, misericordem, veracem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ &c.

Credere Deo, Deum, in Deum.

Respis

Respicit ergò hæc phrasis τὸ εἶναι rei. Credere Deo respicit dicta & facta Dei, ea nimirum pro veris habere, quæ verbo Dei cōtinentur, tanquam ab ipso Deo profecta, quod fallere non potest. Et hi duo gradus fidei etiam creaturis competunt: Sic enim & sanctos esse credimus & catholicā Ecclesiam, & simpliciter, quicquid esse scimus ex causis suis, ita esse credimus: sic & hominibus credimus, etiam ijs, qui interdum fallere solent: caritas enim omnia credit. Sed credere in Deum, est fiduciam in Deum collocare, eumq́; ut dilectissimum Patrem ardenter invocare & diligere: & hic est summus gradus fidei, qui in Deum solùm fertur, & priores duos simul includit. Non credunt Deum Epicurei, qui Dei providentiam abnegant Psalm. 14. non credunt Deo, qui verba & facta ejus sub rationis incudem vocant: non credunt in Deum, qui desperant in adversis, aut carnem ponunt brachium suum Jerem. 12. Distinctione hâc inprimis delectatus fuit Augustinus multis in locis: ita enim scribit serm: 181. de temp. aliud est credere Deo, aliud credere Deum, aliud credere in Deum. Credere illi, est credere vera esse, quæ loquitur: credere illum, est credere, quia ipse est Deus: credere in illum, diligere illum. Similia habet tract. 29. in Iohan. & in libr. de cognit. veræ vitæ cap. 37. Ubi notandum est, quòd phrasin postremam, credere in Deum *, describat per affectum dilectionis, non quasi fiduciam excludat, sed ut fiduciam ab effectu describat; quia fiducia absq́; vera dilectione Dei vana est & hypocritica: is enim in Deū verè non credit, qui Deum odit. Et hoc alibi vocat Augustinus adhærere Deo: hoc est, credere in Deum, inquit, credendo adhærere ad benè cooperandum operanti Deo, in enarrat. Psal. 77.*

Huic distinctioni nonnulla obstare videntur, quæ ne dubium relinquant Auditoribus, explicanda sunt. Primùm est,

quòd reperiuntur loca, in quibus phrasis postrema etiā sanctis tribuitur, ut Exod. 14, 31. timuit populus Dominum, & crediderunt in Dominum, & in Mosen servum ejus, ut habet Hebræus textus, בַּיהוָה וּבְמֹשֶׁה: *& cap. 19, 9. audiat populus & in te credat,* בְּךָ יַאֲמִינוּ: *& Psalm. 106. & crediderunt in verbum ejus,* בִּדְבָרָיו *&c. Sic D. Paulus laudat Philemonis fidem in Christum & in sanctos, in Epist. ad Philem. v. 5.* Secundum *est; quod & hypocritis illud tribuitur, quòd crediderint in Christum, qui tamen omni fiducia in DEVM caruerunt, ut Ioh. 12, 42. ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne è Synagogis ejicerentur.* Tertium *est, quòd illæ phrases, credere DEO, & credere in DEVM, interdum permiscentur, & ut ἰσοδυνα-μοῦσαι habentur. Sic Ioh: 5, 24. qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam: vitam verò æternam alibi ijs tribuit, qui credunt IN EVM, Joh. 6, 40. sic 1. Ioh. 5, 10. qui credit in Filium Dei, testimonium Dei habet in se: qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. In quo loco tertius gradus fidei tribui videtur verbo seu testimonio Dei.*

Ad primum dubium, sciendum est, in allegatis locis Exodi & Psalmi esse Hebraismum. Nam præpositio Beth non semper idem est ac IN, hoc est, nō notat semper effectu fiduciæ in aliquem, sed tum demum, quando objectum fiduciæ est habile: talis autem solus Deus est, qui maledictum pronunciat eum, qui confidit in homine Ier: 17, 5. ideo LXX. & præter hos Latinus interpres, rectè verterunt in Exodo, crediderunt Mosi; *item,* populus tibi credat. *Nam credimus Paulo, inquit August. tract: 29. in Iohann: sed non credimus in Paulum: credimus Petro, sed non credimus in Petrum: &*

tract:

tract: 67. expressè scribit, non nisi in eum esse credendum, qui Deus est: ita enim habent ejus verba: credite, inquit Salvator, in Deum, & in me credite; consequens est enim, ut, si in Deum creditis, & in me credere debeatis, quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Qua sententia stante, impia & absurda est doctrina Bellarmini, qui scribit lib. 1. de sanct. beat. cap. 20. eum qui sanctos invocat, ut sanctos & amicos Dei, suo modo in eos credere debere, & in eis sperare ut in patronis &c. est equidem aequalis cultus, credere in aliquem, & adorare eum, sed uterq; impiè tribuitur hominibus, quia soli Deo competit. Fatendum itaq; est, phrasin hanc, credere in aliquem, *cùm Creaturis tribuitur, non significare fiduciam, sed coincidere cum altera, credere alicui: ita Mosi & ministris caeteris creditur, ut Legatis Dei. Paulus in Epistola ad Philemonem conjungit quidem Christum & sanctos, sed non dicit, in utrumq; esse credendum, sed duas Philemonis virtutes laudat, fidem & caritatem: quarum illa ad Christum, haec ad sanctos referenda est.*

Ad secundum dubium sciendum est, loqui Iohannem de iis, qui ex signis perspiciebant, hunc quem audiebant, esse Christum. Habebant ergo initium verae fidei, quod metu externi periculi, & mundanae gloriae studio maturè fuit interceptum: ita enim de illis scribit August. tract. 53. in Johann: videte, quemadmodum notaverit Evangelista & improbaverit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit: qui in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoq; humanae gloriae proficiendo superarent, &c.

Ad tertium dico; discrimen illud à Graecis non semper observatur, sed à latinis Theologis receptum est. Quòd autem phrases illae, credere DEO & in DEUM, interdum permiscentur, mirum non est: nam tertius gradus fidei praesupponit secundum: neq; enim credere potest in Deum, qui

verbo ejus fidem non habet: tribuit ergo secundo fidei gradui id, quod tertij proprium est, per usitatam scripturæ Synecdochen: sicuti Esa. 53, 11. scientia seu notitia Christi justificare dicitur, ubi simplex notitia intelligi non potest; talis enim etiam Diabolis tribuitur; sed fiducialis notitia CHRISTI. In loco Iohannis ex priore Epistola cap. 5. nihil est obscuri, nam credimus in filium Dei, collocantes in ipsum nostram fiduciam; credimus etiam in testimonium Dei, de filio suo, non tantùm scientes, ea, quæ de Christo dicta sunt, vera esse, sed & fiducialiter in eis adquiescentes. Interim tamen discrimen hoc manet, quòd propriè verbis Christi vel de Christo credatur adsensu historico, quod & impij facere possunt; in Christum autem credatur plenâ animi fiduciâ in ipsius merito, promissis & factis suaviter adquiescente: quod tantùm est verè fidelium, &c.

QUÆSTIO III.

Cur Abraham ex justitia operum nullam haberet gloriam apud Deum, ut scribit Apostolus ver. 2. cùm tamen sint opera hominis renati, quæ Deo displicere non possunt, quippe quæ ex fide profecta?

Resp. Etsi virtutes hominum piorum summum mereantur honorē & deprædicationē apud homines tanquam optimū in hoc mundo præmium, quod scriptura prædicat Sap. 3, 15. Apocal. 14, 13. &c. apud Deum tamen nullam habere possunt gloriam, quatuor de caussis 1. quia non sunt hominum, sed Spiritus Sancti opera, cui omnis eorum bonor, & gloria in solidum debetur. 2. licèt renati Spiritui sancto cooperentur, atq; ideò particu-

particula gloriæ ad ipsos redundare videatur ; tamen ne sic quidem gloriam habent apud Deum, quia opera illa valdè sunt imperfecta, multisq; vitijs contaminata; non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet Eccl: 7, 21. 3. etiam renatorum peccata plura sunt, quàm virtutes, quarum decor multitudine delictorum obfuscatur: nam & justus in die cadit septies, prov. 24, 16. & delicta quis intelligit? Psal. 19, 13. 4. quia opera justorum etiam perfectißima jam antè sunt debita, teste Christo Luc: 17, 10. Nihil igitur faciamus gloriæ consequendæ studio, sed ex debito obsequio & filiali amore erga Patrem cœlestem, dicentes cum Regio Psalte: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Psal: 115, 1.

QUÆSTIO IV.

Quando scribit Apostolus Paulus, fidem Abrahamo imputatam esse ad justitiam: num fortasse actum fidei meritorium intelligit, siquidem de homine renato loquitur, in quo actus ille credendi caritate fuit informatus?

Resp. Ita quidem Pontificij hodierni hunc locum exponunt ad unum omnes, & imprimis Pererius disp. 2. in cap. 4. Rom. & in cap. 15. Gen. his verbis: Quid est, reputari illi ad justitiam? Hoc, scilicet, fuisse Abraham per illum & propter illum actum credendi, tanquam ex verâ & perfectâ justitiâ profectum, fuisse, inquam, eum acceptum & gratum Deo, vel fuisse eum justũ corã Deo; ita ut talis actus credendi formatus caritate, verè dominaverit & fecerit Abram justum coram DEO, &c.

Sed quid sit imputare fidem ad justitiam, suprà in analysi textus exposuimus: glossa verò isthæc Papistica consistere non potest. 1. enim non agnoscit scriptura fidem caritate formatam, non enim caritas fidei, sed fides caritatis forma est: fidei verò forma Christus est, quem fides apprehendit.

(Fides non informatur caritate. 1. quia fides habet suam formam constituentem, videlicet notitiam Christi & fiduciam. 2. quia fides est virtus intellectus, caritas voluntatis. 3. quia caritas est effectus fidei. 4. quia fides non est ex lege, Gal. 3, 12. caritas est ex lege. 5. quia fides & caritas sunt dissentanea Galat. 2, 16.)

2. *Si fidei actus fuisset meritorius, imputatio fidei facta fuisset, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum, ut Paulus ipse argumentatur v. 8. jam verò nihil agit aliud Apostolus in hoc capite, quàm ut ostendat, imputationem illam factam esse non secundùm debitum sed secundùm gratiam. 3. est glossa Pontificiorum contra scopum Apostoli, qui non proponit exemplum Abrahami operantis aut promerentis, sed credentis: ideò fidem operibus & actibus Abrahæ opponit:* Ei, qui non operatur, *inquit*, sed credit in eum qui justificat impium, fides reputatur ad justitiam v. 5. 4. *Si de actibus seu operibus Abrahami agere voluisset, haud dubiè non meminisset fidei, sed obedientiæ, patientiæ & aliarum virtutum, quibus jam tum insigniter erat celebris: noluit enim Apostolus in tanto fidei articulo per ænigmata nobiscum agere. 5. hoc Abrahamo imputatum fuit ad justitiam, quòd promissioni credidit, jam verò relatio non est inter promissionem & opera, sed inter promissionem & fidem: ergo fides hic non materialiter, ut opus, sed relativè & organicè intelligenda est. 6. Abraham proponitur, ut exemplum omnium eorum, qui justificantur coram Deo: jam verò Pontificij ipsi faten-*

fatentur, justificatione primâ fidem non esse opus meritorium: ergo neq; hic est. 7. deniq; Pererius ipse disp. 18. in cap. 3. Rom. scribit, Paulum, cùm ait, per fidem justificari hominem, non aliud significare, quàm per fidem pervenire ad justitiam, & ipsam apprehendere. Apprehendere autem non est operis meritorij, sed instrumenti: falsum itaq; est, quod in Genesin scripsit; Abrahamum propter actum illum credendi fuisse Deo gratum & acceptum.

QUÆSTIO V.

Esto, Abrahamo fidem fuisse imputatam ad justitiam non secundùm meritum, sed secundùm propositum gratiæ Dei: hoc enim expressè dicit Apostolus v. 5. sed fortasse ipsa quoq; meritoria opera, licèt in sese justitiam promereantur, tamen sunt dicenda gratuita, quia principalem vim promerendi ampliorem justitiam habent ex gratia, quam initiò quidem accipit homo gratis & non ob merita sua?

Resp. Hoc quidem commune est κρηπφύγετον *Pontificiorum, quo inprimis delectatur Pererius 2. disp. in cap. 4. Rom. sed frivolum prorsus & ineptum. Nunquam enim probabitur, Deum operibus hominum vim merendi aliquid largiri voluisse vel largitum fuisse. Vitiosus est hic bonorum operum finis, nuspiam præceptis, nuspiam in scriptura indigitatus. Quin imò, si Deus operibus hanc virtutem tribuisset, 1. frustranea esset oppositio Apostolica inter gratiam & debitum: nã & operibus illis merces deberetur, licèt ex gratia Dei sint meritoria: non enim*

enim origo dignitatis, sed actus operis in mercede dispensandâ attenditur. 2. Præterea insufficiens esset Christi meritum, quia alia in societatem promerendi vitam & justitiā admitteret. 3. Falsum denique esset, quòd Prophetæ & Apostoli Christo in solidum adscribunt omne meritū salutis nostræ, ideò dicunt, eum torcular calcasse solum, neque virum habere socium, Esa. 63. purgationem peccatorum fecisse, non per alium, sed per semetipsum, Hebr. 1. liberationem ab hostibus nostris impetrasse per semetipsum Col. 1. &c. Quæ absurda omnia luculenter evincunt, glossam Papisticam nihil esse aliud, quàm caussæ desperatæ indicium. Nam verba Apostoli, Abrahamo fides est imputata, non secundum debitum, sed secundùm gratiam, *adeo clara sunt, ut aliter depravari non potuerint, quàm illâ violentâ glossâ; actus fidei meritorius fuit Abrahamo imputatus, sed secundùm gratiam; hoc est, quia vim merendi habuit ex gratia: quæ tamen glossa tot absurdorum tàm fœcunda mater est. Quòd si maximè largiremur, Deum operibus vim promerendi tribuisse ex merâ gratiâ; non tamen hinc opera illi dici possent gratuita, sed essent ac dicerentur propriè meritoria: nam actus non ab agente remoto, sed propinquo denominationem sortitur: nullo itaque modo meritum cum gratia confundi potest, sed est firmissima oppositio; ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum seu meritum. Hinc subsumo; sed Abrahamo fides imputatur ad justitiam non secundùm debitum seu meritum, sed secundùm gratiam. Ergo fides Abrahamo imputata non potest esse actus meritorius.*

QUÆSTIO VI.

Si fides Abrahamo, non ut actus meritorius

rius imputatur, sed ut mediū ac ὄργανον apprehendens Christi justitiam: non potest conciliari Paulus noster cū Apostolo Iacobo, qui capite 2. suæ Epistolæ v. 22. scribit, fidē cooperatam fuisse operibus Abrahami: & ex operibus fidem consummatam: & impletam esse scripturam, dicentem; credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam?

Resp. Fecit hic locus Apostoli Jacobi, ut nonnulli omnem conciliationis curam abijcerent, totamq; illam Epistolam ex eo fundamento, ut spuriam & adulterinā, reijcerent, quippe quæ justitiam operum urgeat, quam tanto conatu exterminavit Apostolus Paulus. Neq; sanè diffitemur, hanc Epistolam Iacobi antiquitus pro adulterinâ habitam fuisse, ut apparet ex libro 2. Eusebij cap. 23. & lib. 3. cap. 22. Hieronymus quoq; eam sub nomine Iacobi Apostoli ab alio quodam editam fuisse censet in catalogo scriptorū Ecclesiasticorum; cui suffragatur Beatus Lutherus. Attamē cùm nec Lutherus nec alij antiquiores Ecclesiæ patres negent, esse scriptum hoc Spiritus verè Apostolici, quòd nullas traditiones hominum, sed legem Dei urgeat; non abs re faciunt, qui concinnam utriusq; Apostoli collationem instituere laborarunt; idq; exemplo D. Augustini, qui in horum locorum conciliatione operam locavit non omninò contemnendam, in præfat, enarrat. Psal. 31. & lib. 83. quæstionum quæst. 76. Fundamentum autem conciliationis est, quod & suprà notavimus, utrunque Apostolum cum diverso hominum genere agere; Paulum

De Epistola D. Iacobi.

cum Pharisæis, operum justitiam in foro justificationis urgentibus; Jacobum cum hypocritis & hominibus Epicureis, qui quidem credebant fidei justitiam, sed ne quidem extra forum justificationis operum bonorum rationem ullam habebant, sed peccandi licentiam sibi sumebant. Paulus itaq; contra suos adversarios agit de bonis operibus in ordine causarum efficientium, & sic ea à justificatione excludit, quia fides, non opera, apprehendit Christi justitiam: Jacobus verò contra suos agit de bonis operibus in ordine effectorum, & sic ea in homine justificato urget, tanquam notas veræ fidei. Et hoc est, quod D. Augustinus in quæstionibus dicit, Paulum loqui de operibus antecedentibus fidem, qualia sunt opera legalia, ex quibus nemo justificatur: Jacobum verò de operibus sequentibus fidem, quæ justificare dicuntur, quatenus justitiam jam acceptam declarant & exercent. Certum igitur & indubitatum esto, utrumq; Apostolum loqui de Abrahamo jam iustificato: & Paulum quidem de justificationis consecutione, Iacobum de justificationis declaratione seu testificatione. Hoc fundamento posito, facilè explicari potest; quomodo Apostolus Iacobus scribat 1. fidem cooperatam fuisse operibus Abrahami. 2. ex operibus fidem Abrahæ fuisse consummatam. 3. Obedientiâ Abrahami impletam esse scripturam, quæ dicit, credidisse Abrahamum Deo &c. Igitur fides cooperabatur operibus Abrahami, non in actu justificationis (Abraham enim jam tum erat iustificatus) sed in exercitio & declaratione justitiæ acceptæ. Fides enim, per quam antea justus erat, duxit eum ad opera, ut exponit Thomas Aquinas super hunc locum, scriptor Pontificijs angelicus & authenticus judicatus, hoc est, fides monstrabat opera Deo placentia, & finem, ad quem erant dirigenda. Nam ut Pererius Iesuita rectè scribit in hunc locum disp. 1. in cap. 4. Rom. num. 4. cuicunq; operanti fides cooperatur; & docens, quid agendum

gendum sit, & incitans ad agendũ, & moderans in agendo, & dirigens actionem in eum finem, ad quam referri res oportet, & fulciens & sustentans agentem, ne deficiat & ab agendo desistat. Deinde ex operibus fides Abrahami fuit consummata, non quasi opera fuerint forma fidei, (effectus enim non informat caussam) sed ut Dionysius Carthaginensis scriptor Pontificiorum non ignobilis, exponit; quia magnitudo fidei, quâ tunc Abraham credidit Deo, postmodum est approbata Deo, ac aliis declarata per hoc, quòd filium suum paratus fuit offerre. Tunc itaq; publicè & quasi consummatè innotuit, quod antea Deo & Abrahamo ferè solis notum fuit, Abrahamum nimirum tantopere fidere posse Deo. Deniq; impleta est illo opere scriptura; non faciendo demum eam veram, sed aliis quoq; notam. Nam impleta erat scriptura de fide Abrahami, antequam nasceretur Isaac; jam tum enim justificatus erat Abraham Gen: 12. & 15. implebatur autem illo facto oblationis filii, ratione declarationis: ex facto enim illo publicè apparebat, quanta fuerit fides Abrahami: idcircò Deus, cùm Abraham ipsi obediisset, subjecit hæc verba: Nunc cognovi, quod timeas Dominum, &c. quæ verba † ex veterum interpretum sententia hunc habent sensum: notum faciam & declarabo aliis, quòd sis vir pius ac timens Dominum. Iam antè enim Domino de pietate Abrahami constitit: hoc facto autem eam aliis quoq; probare voluit, ut intelligerent, scripturam non frustrà dixisse, Abrahamum Deo promittenti impossibilia fidem habuisse: eam enim immolatione filii satis superq; comprobavit.

† Vide August. lib. quæst. in Genes. quæst. 58. Gregor. lib. 23. Moral. Chrysost. homil. 47. in Matthæum.

QUÆSTIO VII.

Quomodo operanti merces non datur ex gratiâ, ut scribit Apostolus v. 4. cũ tamẽ merces vitæ æternæ detur ex gratiâ, & tamen non nisi operantibus detur, Matth. 20. &c?

Resp. Cùm Paulus scribit, mercedem dari operanti non ex gratia sed ex debito, notat opera meritoria, ubi justa est dignitas & proportio ad mercedem: ibiq; nihil donatur operanti, sed accipit justum debitumq; laborum pretium; juxta illud, dignus est operarius mercede sua. Quando autem vita æterna dari operantibus dicitur, tunc opera non intelliguntur meritoria: nulla enim est proportio aut comparatio operum etiam perfectissimorum ad infinitum illud & æternum æternæ gloriæ pondus; sed opera declaratoria, ut ita loquar, quæ sunt duntaxat descriptio & nota hominis verè credentis, & æternæ vitæ candidati: quemadmodum obsequium filiorum non est meritum paternorum bonorum, sed verorum hæredum indicium. Hîc igitur vita æterna benè operantibus gratuitò donatur, quæ inobedientibus justè denegatur. Est enim mors quidem stipendium peccati, gratia autem Dei vita æterna, Rom. 6, 23.

QUÆSTIO IIX.

Quomodo Deus dicitur justificare impium v. 5. cùm tamen abominatio sit Domino, qui facit hoc, Prov. 17, 15. Esa. 5, 25?

Resp. Distinguendum est inter impium, in impietate suâ adhuc manentem, & ex illa eluctantem. Hunc justificat Dominus

minus in foro judicij sui: ille in judicio Dei non consistet Psal. 1,5. Eluctatur autem impius ex impietate suâ, quando impiatatem agnoscit ac detestatur, eumq; qui nostra factus est justitia, fideli pectore apprehendit. Non enim propter justos, sed peccatores ac impios Christus venit in mundũ Matth. 9,13. 1. Tim. 1. hos Deo reconciliat, Deo gratos & ex impijs pios atq; sanctos facit. Vnde Augustinus scribit lib. de Spirit. & lit. cap. 9. Deum induere hominem justitiâ, cùm justificat impium. Deinde distinguendum est inter modos justificationis impij. Cùm justificatur seu absolvitur impius in judicio, absq; ulla compensatione delicti; tunc illa justificatio seu absolutio est abominatio coram Deo, & hoc respectu negat Deus se justificare impium, Exod. 34,7. Salomon etiam dicit, Deum hoc modo justificare justum & condemnare impium 1. Reg. 8,32. Cùm verò compensatio delicti facta est, sive ab impio sive ab alio, ipsius loco: tunc ipsa justitia, cui jam satisfactum est, requirit absolutionem. Talis verò compensatio pro delicto impij sufficientißimè præstita est à Christo, quem, cùm non norit peccatum, Deus fecit peccatum pro nobis, ut efficeremur justitia Dei in ipso, 2. Cor. 5, 21.

QUÆSTIO IX.

Scribit Apostolus ex Psalmo, peccata justificatorum esse tecta, v. 5. quomodo verò hoc correspondet alijs scripturæ locis, ubi iniquitates nostræ dicuntur ablatæ, Os. 14, 3. instar nubis deletæ, Esa. 44,22. quin & projectæ in profundũ maris Mich. 7,19. &c. tegere enim

non est auferre, delere, proijcere, sed rem adhuc præsentem operire?

In Baptismo fit remissio peccatorum & renovatio hominis.

Resp. Perpetua scripturæ sententia est, duo fieri in Baptismo 1. remissionem omnium peccatorum, eamq; non superficiariam aut semiplenam, sed plenam & perfectam; ita ut nulla sit condemnatio in his, qui sunt in Christo Iesu Rom: 8. 2. naturam hominis renovari à Spiritu Sancto, qui novos motus excitat, quibus homo motibus pravæ concupiscentiæ resistit. Interea tamen non ipsa concupiscentia penitus sublata est ex homine, sed agnoscit scriptura, etiam hominem renatum expurgare debere fermentum vetus 1. Cor. 5, 7. & de die in diem renovari oportere 2. Cor. 4, 16. quæ sanè concupiscentia in se non est res bona nec indifferens, sed tam mala, ut teneret in morte & pertraheret in ultimam mortem, nisi eius vinculū in illa, quæ fit in Baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur, ut Augustinus loquitur lib. 6. cont. Iulian. cap. 5. Est igitur concupiscentia etiam residua in renatis res in se odio digna, quia ipsa in Baptismo à reatu suo non est liberata: Sed homo renatus à concupiscentiæ reatu per Christum est liberatus: idcircò in odio apud Deum ipse esse non potest: quamprimùm autem homo concupiscentiæ obediret, aut imperium concederet in mortali suo corpore, ipse quoq; condemnationis reus fieret, juxta illud: si secundùm carnem vixeritis, moriemini Rom. 8. & peccatum si consummatum fuerit, parit mortem Iac. 1. Ex hac ergò doctrina sacrosanctæ scripturæ apparet, quomodo peccata in homine & tecta sint & ablata prorsus, deleta & in profundum maris projecta. Tecta *dicuntur à Regio Psalte, ratione materialis, ut in scholis loquimur, hoc est, quia non imputantur à DEO, ut David semetipsum expli-*

Peccata quomodo dicantur tecta & deleta.

explicat: non autem possunt non imputari, ea quæ non adsunt: seu, ut Augustinus super illum Psalmum exponit, quia à Deo non videntur ad pœnam, sunt enim vestimento justitiæ Christi operta, quod si removeretur, utiq; peccata pœnis æternis digna à Deo conspicerentur. Deleta & sublata *verò sunt, imò in profundum maris rejecta peccata hominum, ratione formalis, quando nimirum non puniuntur, nõ quasi in se & naturâ suâ pœnam non mereantur, sed quia remissa sunt propter Christum, ita ut nullam omninò condemnationem afferre possint credenti: ita enim scriptura semetipsam explicat Psal. 51, 11. ubi delere peccata idẽ est, ac avertere faciẽ à peccatis, Et hoc est, quod Augustinus alibi scribit: peccatũ in baptismo remitti, non ut non sit, sed ut non imputetur, libr: 1. de Concupis. & nupt. cap 24 quam sententiam Pontifices ipsi allegarunt in decretis de consecrat. dist.4. C. Non ex quo. & Driedo scriptor Pontificius lib: 1. de grat. & liber. arbitr. originale peccatum in hac vitâ solvitur quidem regeneratione Baptismi, non ut non sit, sed ut in culpam non imputetur. Huic declarationi frivola duo opponit objecta Pererius disp.3. in cap.4. ad Rom: & Bellarminus libr. 2. de justif. cap. 9. 1. Si tecta sunt Deo peccata, ergo non videntur à Deo: Si non videntur à DEO, nulla igitur sunt. Nam neq; potest quidquam esse in rebus, quod à Deo non videatur: nec possunt videri à Deo peccata, quantum ad culpam, & non videri, quantum ad pœnam. 2. Si mortifera essent peccata in homine, haberet DEVS odio ea peccata, & hominem eiusmodi præditum peccatis abominaretur, teste scripturâ: odio sunt Domino impius & impietas eius Sap. 14. & Davide affirmante, odisti omnes operantes iniquitatem Psal. 5. Hæc Pererius. Sed nullius momenti sunt*

hi cavilli

bi cavilli. Ad 1. respondet Augustinus in enarrat. Psal. 32. Tecta peccata quare dixit? ut non viderentur. Quid enim erat, Deum videre peccata, nisi punire peccata? Et hoc tantummodo fit propter Christum, qui pro peccato satisfecit, fact9 pro nobis peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in ipso.

Quæ verba Augustini ostendunt, non ideò peccata non videri à Deo, quòd non adsint, sed quòd non puniantur, licèt adsint. Nam verba sensuum Deo tributa notant affectum, seu potius effectum in Deo} voce affectus significatum. Et hoc vocat scriptura non observare *peccata Psal. 130, 3. si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Non utiq; latere possunt Deum, qui scrutatur corda: omnia enim omnium hominum peccata scit, & adsignata habet in rationali suo stylo, ferro Ier: 17, 1. Sed* non observat *peccata, quia propter filium in ea non animadvertit. Ad alterum cavillum ex superioribus responderi potest. Peccata quidem odio habet Deus, peccatorem autem, cui in Christo remissa sunt peccata, non odit. In eo enim non aspicit peccata, sed pallium justitiæ Christi, quo tecta sunt: extra Christum verò & peccatum & peccatorem odit, ibi enim non nisi operantes iniquitatem invenit: qui verò in Christo sunt, peccatum quidem habent, sed peccatum non operantur, hoc est, dominium ei} non permittunt, sed spiritu resistunt, opera carnis subinde mortificantes Rom. 8, 13. juxta illud D. Pauli, qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis Gal. 5, 25.*

QUÆSTIO X.

Circumcisio Abrahami vocatur signaculum, σφραγὶς justitiæ jam antè acceptæ: ergone

baptismus

baptiſmus etiam tantùm eſt ſignaculum; ſeu obſignatio juſtitiæ, & non organum conferendæ gratiæ juſtitiæ? idem enim olim præſtitit circumciſio, quod hodiè baptiſmus, docente Auguſtino libr. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 11.

Reſp. Diſtinguendum hic eſt inter circumciſionem Abrahami & aliorum, qui in infantia ſacramentum illud acceperunt. Abrahamo non demum juſtitia conferebatur, ſed jam antè collata hoc ſacramento obſignabatur & confirmabatur: erat itaq; circumciſio ejus obſignatio, reſpectu juſtitiæ primùm ante annos quatuor decim collatæ: erat etiam ὄργανον conferendæ gratiæ reſpectu incrementi fidei & cæterorum donorum, quæ ex accepta juſtitia proveniebant. Infantibus autem, quibus antea nulla erat collata juſtitia, per circumciſionem demum ea conferebatur, tanquam per ordinarium ὄργανον, & jam collata ſimul obſignabatur. Ideò non Abrahami circumciſio, ſed circumciſio ἐν θέσει ſumta conferenda eſt cum Baptiſmo, per quem hodiè & confertur Dei gratia, & obſignatur jam collata: eam enim nec ex parentum ſanctitate, nec ex corrupta nativitate, neq; etiam ex auditu verbi habere poſſunt: neceſſe itaq; eſt, ut eam in Baptiſmo accipiant, ſi per baptiſmum obſignari debet.

QUÆSTIO XI.

Quoniam Sacramenta vocantur ſigna & ſignacula fidei, num propterea ſequitur, ſubſtantiam Sacramenti in ſignificando conſi-

stere, eaq; nihil conferre utenti, sicuti Paræus scribit in hunc Apostoli locum pag. 400. significare vel obsignare gratiam esse de Sacramentorũ primâ συςατικῇ, unde principalis eorum effectus existat?

Signum & signaculum differunt.

Resp. Accuratè hîc discernendum est inter duo illa vocabula, quibus Apostolus noster utitur, σημεῖοι & σφραγῖδα, signum & signaculum, quæ differunt, ut latius & angustius. Latiùs enim patet σημεῖον, cùm non omne signum sit signaculum, sed omne signaculum sit signum. Utrumq; tribuitur Sacramentis; sed σημεῖον notat ipsam substantiam, σφραγὶς respicit usum & fructũ. Sacramenta vocantur signa ratione substantiæ, vel ex toto vel ex parte: constat enim totũ Sacramentum duabus partibus, terrenâ & cœlesti, visibili & invisibili. Si de toto Sacramento accipitur vox signi, signatum est extra substantiam Sacramenti, nimirum Sacramenti fructus; in circumcisione & baptismo, regeneratio; in cœna Domini vivifica cum agno Dei coalitio. Est autem signum non significans tantùm, sed & organicè conferens illa beneficia: per circumcisionem enim fiebat receptio in fœdus Gen. 17. per baptismum regeneratio, Tit. 3. Ephe. 5. per esum agni paschalis & cœnam Dominicam fidei in Messiam liberatorem mundi confirmatio; & hunc signationis effectum sacramentum assequitur tantùm in credentibus. Si vox signi de parte Sacramenti accipitur, sciendum est signa vocari externa & visibilia Symbola; signatum verò rem invisibilem, cum visibili tamen Sacramentaliter unitam. Nam visibilia illa symbola certò testantur de præsentia rerum cœlestium, etiamsi in oculos

oculos non incurrant. Quam ob caussam Augustinus tria in Sacramento agnoscit: verbum, signum, & rem in signo reconditam. Quid aliud sunt, inquit lib. 19. contra Faustum cap. 14. & 16. corporalia quæq; Sacramenta, nisi quædam visibilia verba, quia similitudinem gerunt earum rerum, quæ significant, & quæ in verbo recondita sunt. Sic in cœna Domini panis visibilis signum est corporis Christi invisibilis, quod tamen tàm certò præsens esse significat, quàm panem ipsum oculis cernimus: & sic circumcisio signum appellatur, quia & in ipsa aliud videbatur, aliud intelligebatur, dicente Origene. In hac tamen significatione signi, diversitas occurrit in Sacramentis Veteris & Novi Testamenti. In illis tantùm sunt signa σημαντικὰ, sicut omnia in Veteri Testamento, ubi adhuc erant umbræ rerum futurarum: in his verò sunt προσφερόμενα, quia jam habemus ipsas substantias rerum.

Quod σφραγῖδα seu signaculum attinet, illud neq; ex toto neq; ex parte ad substantiam Sacramenti pertinet, sed perpetuò ad fructum. Sunt enim Sacramenta omnia utriusq; testamenti signacula justitiæ fidei, obsignantia Christum & omnia ejus beneficia, cujus finis gratiâ præcipuè sacramentà à Deo sunt instituta. Solent itaq; Sacramenta & conferre illa beneficia rectè utentibus, & hoc respectu signa vocantur; & quæ conferunt, simul obsignare, & hoc respectu dicuntur signacula. Signaculi vox pertinet ad fructum Sacramenti.

Ex his omnibus intelligitur, substantiam Sacramenti nequaquam in significando consistere, sed in exhibendo seu cõferendo: hoc tantùm discrimine, quòd in Veteri Testamento Sacramenta, quatenus erant signacula, æquè ac in Novo Testamento obsignabãt; erant enim utrobiq; signacula fidei: quatenus autẽ erant signa in significatione totali, erant equidem exhibitiva, fructus nimirum; in significatione verò partiali erant

significativâ, nimirum corporis ac sanguinis Christi, cujus tanquam longissimè adhuc absentis umbram habebant. In Novo verò Testamento nulla amplius dominatur significatio vel adumbratio, sed utraq; pars substantialis sacramenti, terrena & cœlestis, præsentissimè unita, Christum cum omnibus suis beneficijs verissimè exhibet & obsignat.

QUÆSTIO XII.

Cùm circumcisio dicatur signum & signaculum justitiæ fidei, numquid rectè hinc infertur, sacramenta Veteris & Novi Testamenti differre, quo ad efficaciam gratiæ, ita ut hæc quidem eam conferant, illa verò nō conferant, sed per passionem Christi conferendam significent?

Resp. Ita quidem ex hoc loco concludunt multi ex Pontificijs, Bellarm. lib. 2. de sacr. cap. 10. & seq. Stapletonus in antidot. pag. 235. Trident. Concil. sess. 7. can. 2. & 6. quæ omnia mutuò sumta sunt ex decreto concilij Florentini anno 1439. à Papa Eugenio congregati, ubi sancitum fuit: sacramenta antiquæ legis non caussare gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse, figurare; nostræ verò legis sacramenta & continere gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferre. Pererius fluctuat in hac quæstione, quam in utramq; partem disputat; eò tamen tandem inclinat, ut dicat, per circumcisionem quidem etiam datam fuisse gratiam, sed minorem, quàm per baptismum, disp. 4. in cap. 4. Rom. quod an more veterum scholasticorum de remissione tantùm peccati originalis intelligat, quam olim

tantùm

tantùm circumcisioni tribuebant, non explicat. Nos autem teneamus fundamenta scripturæ, quibus probatur, utriusq; testamenti sacramenta non differre, quo ad efficaciam gratiæ, ac proinde circumcisionem quoq; fuisse ordinarium illud ὄργανον, quo Deus uti voluit ad offerenda, exhibenda & obsignanda gratiæ suæ beneficia. Et 1. quidem probatur hoc ex verbis institutionis, ubi Deus promissionem illam; Ero Deus tuus & seminis tui post te, addito statim sacramento circumcisionis, quasi vestire voluit, ita ut se obstringeret, se non nisi circumcisiorum Deum fore: illa verò promissio gratiam & salutem complectebatur; ergo gratia & salus per circumcisionem conferebatur. 2. contemtoribus hujus sacramenti prædicitur exclusio ex populo Dei; ergo utentibus hoc sacramento gratia confertur. 3. baptismus est sacramentum regenerationis: ergo & circumcisio fuit, in cujus locum baptismus successit. 4. circumcisio est sigillum justitiæ fidei, ergo eam conferat necesse est, præsertim in infantibus, qui justitiam fidei neq; ex carnali nativitate parentum, neq; ex auditu verbi habere possunt. 5. Si circumcisio nullam contulisset gratiam rectè utentibus, non potuissent David atq; Jonathan sese satis efficaciter circumcisione sua consolari, quod fecisse eos legimus 1. Samuel. 14. 1. Samuel. 17. Sufficiant hæc fundamenta; plura qui vult, consulat D. Gesneri disp. 16. in Gen: quæst. 12. th. 135. seqq. & D. Chemnit. part. 2. ex am. pag. 12. Quomodo verò circumcisio signum & signaculum dicatur, quæstione præcedente explicatum fuit.

Sacramenta utriusque Testamenti non differunt quo ad efficaciam gratiæ.

QUÆSTIO XIII.

Quomodo Abraham vocatur hæres mundi v. 13. cùm tamē ei terra Chanaan duntaxat

fuerit promissa, in qua ipse ne quidem passum pedis obtinuit, Act. 7, 5?

Resp. Evincit totus contextus, Apostolum Paulum non loqui de corporali aliqua hæreditate mundi, sed de Spiritualibus beneficijs, ad justificationem pertinentibus, & ab ea dependentibus. Huc enim tendunt omnia argumenta Apostoli, nos exemplo Abrahami non terrena quædam beneficia, sed hæreditatem cœlestium bonorum gratis adipisci per fidem in Christum. Dilutum autem est, quòd Paræus hæc verba spiritualiter quidem accipit, sed idem esse dicit, hæredem mundi esse, ac patrem omnium credentium, ita ut vocabulum MUNDI pro omnibus fidelibus in mundo accipiatur: Nam Abraham non est hæres, sed pater fidelium; mundus igitur non potest notare fideles in mundo: & per se παράδοξον est in scriptura, Mundum solos notare credentes; contrariũ potiùs doceri potest, Mundũ nunquam de solis fidelibus accipi, quia mundus in maligno positus est 1. Joh. 2. sed vel de solis impijs, vel de toto cœtu hominũ, in quo maxima pars est infidelium. Igitur mundus hoc in loco non fideles notat, sed beneficia spiritualia verâ fide accepta. Hanc autem appellationem sortiuntur his de caussis: 1. per Synecdochen; quia sancti, qui hisce beneficijs fruuntur, ubiq; in toto orbe terrarum sunt diffusi. 2. quia regnum Christi, quod consistit in hisce donis spiritualibus, in justitia, pace & gaudio in Spiritu Sancto Rom. 14, 17. est in universo mundo Psal. 72, 8. 3. quia beneficia hæc spiritualia prædicatione Evangelij ab Apostolis in toto mundo circumportata fuere. 4. quia Christo, cujus Cohæredes sunt sancti Rom. 8. data est hæreditas mundi Psalm. 2, 8. quâ & nos hodieq; fruimur per communionem fidei, licèt locis dissitissimi: & hæc est illa communio sanctorum, quam credere nos profitemur. 5. notatur hæc

Paræus in comment. pag. 406.

Mundus non notat solos credentes.

tur hæc

tur hac appellatione dignitas & præstantia spiritualium beneficiorum. Nam mundum universum cum omnibus suis divitijs non saltem æquant, sed & longißimè superant. 6. quia omnia, quæ mundus habet, propriè sunt fidelium; propter hos enim propriè sunt condita: hi etiam rectè ijs uti possunt; utuntur enim mundo, tanquam non utantur 1. Cor. 7, 31. Hinc illud Apostoli: omnia vestra sunt, vos autem Christi, 1. Cor. 3, 21. 7. quia scriptura sub ratione typi rerum mundanarum de rebus futuri seculi & beneficijs cœlestibus loquitur. Esa. 2. Luc. 22. Apocal. 21. &c.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Duos habemus spirituales Patres: unum in cœlis, Deũ nimirum, qui pater regenerationis nostræ est: regeneravit enim nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis 1. Petr. 1, 3. alterum in terris, Abrahamũ, qui est Pater imitationis; imitantur enim filij Dei fidẽ Abrahami in Christum; qui autem Christi sunt, semen Abrahæ sunt, & secundùm promissionem hæredes Gal. 3, 29.*

2. *Quemadmodum Iudæis infidelibus nihil profuit carnalis prosapia Abrahami, ita sanctitas parentum nihil juvat liberos ex ijs progenitos, nisi & ipsi fidem habeant. Iustus enim sua fide vivet, Habacuc. 2.*

3. *Gloriatio hominum duplex est: una in foro justificationis, quæ exclusa esse dicitur hîc v. 2. & sup. cap. 3, 27. Eph. 2, 9. 1. Cor. 1, 29. altera in foro cõsciẽtiæ, ad quam provocare licet, exemplo Apostoli Pauli 2. Cor. 1, 12. 1. Cor. 4. Actor. 24, 16. Sed gloria hæc valet apud homines, non apud Deum: apud hunc enim, ne quidem innocens est innocens, Exod. 32. & ipsi litigare nobis cum volenti, ad millena ne quidem unum respondere possumus.*

4. Iust.

4. Justitia Christi duplici jure nostra est, partim ratione adquisitionis, partim ratione applicationis; ideo vocatur Iehova justitia nostra, Ierē. 23, & 33. Non enim sibi, sed nobis eam adquisivit agendo & patiendo. applicatio fit per fidem: idcircò fides Abrahamo imputata esse dicitur ad justitiam, v. 3.

5. Duplex imputatio est, ut patet ex v. 4. una meritorum, altera fidei: illa fit ex debito, hæc ex gratia: Illa fundamentum habet in eo, cui fit imputatio, ipsa nimirum opera, quibus imputatur merces: hæc fundamentum habet non in eo, cui fit imputatio, sed in relatione, hoc est, in cogitatione judicis & voluntate imputantis, cujus exempla sunt, Genes. 31, 15. Psalm. 144, 3. Esa. 53, 4, 6. &c. Rom. 8, 36. 2. Corinth. 5, v. ultimo.

6. Deus justificat impios: ergo antequam justificemur, sumus impij; nullam itaq; vel præparationem vel dispositionem afferre possumus ad justificationem nostram: sed initium & finis justitiæ nostræ adscribendum est proposito gratiæ Dei.

7. In articulo justificationis synonyma sunt, Beatitudo; Imputatio justitiæ fidei; Remissio peccatorum; ubi semper excluduntur opera; & ad sanctificationem ceu effectum justificationis nostræ referuntur.

8. Imputatio fidei duo complectitur, privationem mali & positionem boni. Privatio est, quòd peccata, quæ nobis inhærent, nobis non imputantur; imputantur autem Christo, 2. Cor. 5. Esa. 53. hinc beatus prædicatur, cui Deus non imputat peccatum v. 8. Positio est, quòd justitia nobis non inhærens, inhærens autem Christo, nobis imputatur, ac si esset à nobis præstita. Posito ergo uno, subintelligitur alterum; nam sublato peccato, rectà subsequitur justitia: vicissim justitiâ

Christi

Christi nobis per fidem imputatâ, spontè cedit peccatum. Ex *quibus omnibus liquidò constat 1. non esse imputationem inanem phantasiam, sed reale quid, ubi tollitur iniquitas, & donatur justitia. 2. præclaram esse permutationem, quam Deus nobiscum instituit: nam quod nostrum est malum, filio imputat; quod filij est bonum, nobis donat: neutrubi subjectivè inhæret, nec malum Christo, nec bonum nobis, sed per imputationem utriq; confertur.*

9. *Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato utentis, aliàs Abrahamus etiam per circumcisionem demum accepisset justitiam, quam tamen habuit jam in præputio.*

10. *Singularis Dei bonitas est, qui nostræ imbecillitatis gratiâ verbo promissionis addidit sigilla gratiæ; qualia erant in promissionibus rerum corporalium, partim miracula, partim alia quædam signa, ut arcus cœlestis, confirmans promissionem Noæ factam Genes. 9. vellus Gedeonis modò siccum, modò aridum Judic. 6. umbra horologij retrocedens ad decem lineas Esa. 37. &c. in promissionibus spiritualibus sunt sacramenta constantia re terrenâ & cœlesti, quæ simul sumta obsignant gratiam misericordiamq; Dei specialiter, in verbo generaliter promissam.*

11. *Sacramenta testificantur & confirmant fidem: opera fidē & sacramenta confirmant, juxta illud Col. 2, 10. in Christo estis repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo & circumcisi estis circumcisione non manu factâ in expolitione corporis carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei &c.*

12. *Admirandæ bonitatis Dei argumentum est, quòd præputiati referuntur inter filios Abrahami & hæredes pro-*

 missionum.

missionum. Hoc enim est, quod prædicat scriptura, quòd Deus ex non populo fecerit populum, Ose. 2. quæ consideratio divinæ misericordiæ studium gratæ mentis in nobis excitare debet, & exercitia pietatis in nobis augere, ne splendidum illum titulum filiorum Abrahæ unà cum rebus promissis per infidelitatem amittamus. Hi enim sunt filij Abrahæ, qui sectantur vestigia fidei Abrahæ, ut Paulus noster loquitur, v. 12.

13. *Lex non potest spiritualia conferre beneficia, quia non perfectè impletur: ideò loco benedictionis affert maledictionem; promissiones autem gratiæ ad Evangelium pertinent, quod suprà lex fidei appellabatur cap. 3.*

14. *Fideles sunt hæredes mundi, licèt nihil possideant in mundo: ipsi enim rectè utuntur mundo: unde sequitur, omnes qui mundana sapiunt, & secundum carnem vivunt in mundo, neq; fideles esse, neq; filios Abrahami nuncupandos; abutuntur enim mundo in suam perniciem.*

15. *Perpetuò inculcat scriptura hunc usum legis, quòd iram operatur, ut inde destruat justitiam legis.* Ad hunc e*nim finem lex lata non est, ut nos justificet, teste Paulo Gal. 3. sed partim ut coërceat contumaces, partim ut peccata revelet impijs, eosq; ad Christum, suo modo, quasi manuducat, partim ut sit norma vivendi in renatis.*

16. *Magnus est usus hujus Regulæ:* Ubi nulla lex, ibi nulla prævaricatio. *Ex hac enim regula absolvuntur à damnatione infantes Hebræorum ante octavum diem mortui, quia lex de circumcisione ipsis non erat lata: ex hac regula absolvuntur itidem à damnatione infantes in utero mortui, quia renasci non potuerunt nondum nati: ex hac itidem regula absolvuntur omnes, qui ab auditu verbi & alijs exer-*

exercitijs pietatis excluduntur casu necessitatis, qui non habet legem De similibus idem est judicium.

17. *Iustitia fidei firmas facit promissiones gratiæ v. 16. Est ergo hoc dogma verè Apostolicum, hominem de gratia Dei & salute sua dubitare non debere. Falsum itaq; est, quod Pontificij docent, certitudinem salutis, non nisi ex singulari revelatione Dei haberi posse: hic enim Apostolus noster scribit, eam dependere ab ipsa promissione, & extendere se ad omnes, qui credunt.*

18. *Promissiones gratiæ non sunt conditionales, non enim dependent ex nostra dignitate, sed ex mera Dei gratia: alias non possent esse firmæ.*

19. *Promissiones gratiæ sunt universales; pertinent enim ad omne semen v. 16. apud Deum itaq; non est respectus personarum, sed omnes vult salvari, modò ipsi per incredulitatem suam sese non excludant 1. Tim. 2.*

20. *Duplex est posteritas Abrahami: una ex lege, altera ex fide v. 16. illa carnalis vocatur, hæc spiritualis, unde nonnulli filij Abrahami secundùm carnem, nonnulli secundùm Spiritum appellantur, Roman. 9. Galat. 4. Carnalis affinitas Abrahami nihil prodest ad salutem, nisi spiritualis accedat, in qua fides & opera Abrahamum patrem fidelium repræsentant: quo referantur ea, quæ Christus contra Judæos disputat de carnali progenie Abrahami multùm gloriantes Matth. cap. 3, 9. Iohan. 8, 39. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

21. *Resuscitatio mortuorum opus est solius Dei. Quemadmodum autem mors duplex est, naturalis & spiritualis*

tualis; ita & resuscitatio duplex est, una corporis, quæ futura est in novissimo die, quæ passim in scriptura Deo tribuitur; altera animæ, quæ quotidiè fit, quando homines à morte peccati resurgunt, de qua loquitur Filius Dei, Johan. 5, 25. Illa interdum etiam Prophetis & Apostolis tributa fuit, hæc etiam cæteris Ecclesiæ ministris competit, sed utrumq; ministerialiter ex virtute potentiaq; Dei, qui solus propria virtute vocare potest ea, quæ non sunt, ut sint.

22. *Fides semper intueri debet Dei bonitatem & potentiam: illa nos de Dei voluntate, hæc de potestate, utrumq; de promissionum divinarum veritate certos reddit: illa indignitati nostræ, hæc impossibilitati naturæ opponenda est. Nam si nos indigni, ipse bonus est, qui pluit super justos & injustos, Matth. 5, 46. Si promissio naturæ videtur impossibilis, ipse omnipotens est, qui omnia facere potest superabundanter, quàm petimus aut intelligimus Ephe. 3, 20.*

PARS ALTERA
TEXTUS.

Ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν κατὰ τὸ εἰρημένον, Οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου.

Καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίστει, οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, ἑκατονταέτης που ὑπάρχων, καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας.

Εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Θεοῦ

18. QVi contra spem in spem credidit, ut fieret Pater multarũ gentium, secundùm id quod dictũ est: sic erit semen tuum.

19. Et non infirmatus est fide: nec consideravit corpus suum jam emortuum, cùm ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ.

20. In repromissione etiam Dei non

οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, ἀλλ᾽ ἐνεδυναμώθη τῇ πίστει, δοὺς δόξαν τῷ Θεῷ.

non hæsitavit diffidentia: sed confortatus est fidei, dans gloriam Deo.

Καὶ πληροφορηθεὶς ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι ποιῆσαι.

21. Plenissimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere.

Διὸ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.

22. Ideò & reputatum est illi ad justitiam.

Οὐκ ἐγράφη δὲ δι᾽ αὐτὸν μόνον, ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ.

23. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi:

Ἀλλὰ καὶ δι᾽ ἡμᾶς, οἷς μέλλει λογίζεσθαι, τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν.

24. Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrũ à mortuis.

Ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν.

25. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

QVoniam Apostolus Abrahamum in præcedentibus Patrem credentium nominaverat, ejusq; fidem ad imitationem proposuerat: exquisitissimo judicio nunc magnitudinem ac præstantiam fidei Abrahameæ describit: oportet enim exempla sanctorũ inprimis eminere, ut imitari saltem studeamus, quod assequi non valemus. Deinde ea, quæ de fide & justitia Abrahami hactenus dixerat, ad omnes justificandos applicat. Duo itaq; sunt membra hujus partis: 1. Fidei Abrahameæ descriptio. 2. ejusdem fidei ad nos applicatio.

Magnitudo fidei Abrahameæ quatuor notis hîc describitur:

Prima *est objectum illius fidei in natura impossibile. Promissa erat Abrahamo, cùm adhuc esset ἄπαις, amplissima posteritas, quæ æquatura esset stellas cœli & arenam maris Genes. 15, 5. cum qua promissione nomen ejus immutatum fuit, ut fieret ex Abramo Abrahamus, ex patre excelso pater multarum gentium Gen: 17, 5. Hoc verò erat contra naturæ cursum, ut videbatur, hominem centenarium ex conjuge effœta & naturâ sterili fieri patrem multorum populorum.* Credidit tamen Abrahamus contra spem in spem, *hoc est, ubi nulla erat spes in natura, concepit ipse spem ex fide, quæ superat omnem cursum naturæ, & cùm hoc crederet, revera factus est ex Abramo Abrahamus, seu multarum gentium Pater, juxta verbum promissionis: Sic erit semen tuum.* Secunda *nota est, perfectio fidei, quòd non modò non omnem fidem derogavit Deo promittenti impossibilia in natura: verùm etiam* ne quidem infirmatus fuit fide *(ut Apostolus loquitur v. 19.) hoc est, nihil de fide remisit, sed firmissimè credidit Deo promittenti, licèt ratio subinde aliud persuadere vellet, fieri non posse, ut ipsi centenario & Saræ suæ sterili & effœtæ anui tam copiosa proles obtingeret.* Tertia *nota est πληροφορία fidei, quæ excludit hæsitationem & diffidentiam, ideò dicit Apostolus,* in promissione Dei non hæsitavit diffidentiâ, *v. 20. includit autem plenissimum consensum & persuasionem certissimam, ideo addit* plenissimè sciens, quod qui promisit, possit & facere *v. 21.* Quarta *nota est reverentia numinis divini:* tribuit enim gloriam Deo promittenti, *ut in honorem Dei ea crederet, quæ non intelligebat, quæque omnem captum rationis humanæ superabant. Tribuit autem gloriam* veritatis: *Deus enim etiam impossibilia promittens neminem fallit, ideò* noluit *contra Dei promissum* disceptare diffi-

dentia,

dentia, *seu in dubium vocari promissa. Tribuit deinde gloriam* potentiæ: *quia Deo nihil est impossibile, ideò plenus erat persuasionis illius, Deum illa facturum, quæ non adsequebatur ratio. Hæc enim sunt duo quasi fulcra fidei, quæ qui firmiter amplectitur, in honorem Dei rationem suam captivat in obsequium Christi quod omnium verè credentium proprium est. Huic descriptioni fidei Abrahameæ subjungit Apostolus effectum ejusdem*; ideò reputatum est illi, *inquit*, ad justitiam. *Quia enim in promissione divina inclusum erat, imo primas obtinebat semen benedictum, ut suprà fuit ostensum, idcirco hujus præstantissimi objecti respectu, in quod fides ejus ferebatur, Abrahamus justitiam & salutem, tanquam finem fidei, consecutus est.*

Cùm verò hæc fides Abrahami exemplum esse debeat omnium credentium, jam applicat eam ad cæteros v.23. Non est autem scriptum (*inquit*) tantùm propter ipsum, quòd reputatum ei sit ad justitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis &c. *Communem scripturæ usum accommodat ad illam historiam Abrahami, quem nobiscum confert in quatuor capitibus. 1.* in accepto beneficio; *quemadmodum enim Abrahamus accepit justitiam, ita & nos, qui filij Abrahami sumus, justitiam & salutem expectamus: discrimen tantùm est in tempore: ille jam adeptus est justitiam, nobis beneficium adhuc futurum est, ideò dicit* μέλλει λογίζεσθαι 2. in modo collationis, *nimirum non ob meritum operum, sed per imputationem fidei; quemadmodum enim Abrahamo non operanti, sed credenti fides imputata est ad justitiam: ita nobis CREDENTIBUS deinceps quoq; imputabitur.*

3. in

3. in generali objecto fidei; *quemadmodum enim Abraham credidit in eum, qui vivificat mortuos v.17. ita & nos in eum, qui suscitavit IESVM CHRISTVM à mortuis v. 24.* 4. In speciali & proprio objecto fidei justificantis: *quemadmodum enim Abraham non tantùm credidit in Deum omnipotentem & promittentem posteritatem carnalem, sed vel inprimis in semen illud benedictum, & universum ejus meritum, ut suprà fuit expositum: ita nostra fides fertur inprimis in Christum Iesum pro nobis mortuum & resuscitatum:* traditus enim est in mortem propter delicta nostra *expianda, quibus mortem merebamur*; resurrexit propter justificationem nostram, *quam merito suo jam nobis partam esse resurrectione sua, tanquam plenario victoriæ suæ complemento, testabatur.*

Paraphrasis hujus partis.

TAnta verò fuit fides Abrahami, quem patrem fidelium dixi, ut ex fide spem conciperet, ubi ratio desperaverat, tum cùm ad ipsum divinitus dicebatur, posteros ejus numero adæquaturos sidera cœli, aut arenæ marinæ congeriem, unde & Abraham dictus fuit, hoc est, pater multarum gentium, cùm antea Abram, seu pater excelsus vocaretur. Verè enim admiratione dignum est, quòd ipse rationem suam captivare potuit sub obsequium fidei, ita ut ne tantillum fiducia ejus labefactaretur, licèt videret ac intelligeret, esse contra omnem naturæ cursum, contra omnem rationis intellectum, ut viro centenario, ex anu sterili & effœta nasceretur proles non saltem unica, sed tam numerosa. Ipse tamen in promissionem DEI oculos defixos

habuit

habuit; huic fidem dedit, nullam admittens dubitationem, nihilque de rebus in natura impoſsibilibus ſecũ diſceptans. Licet enim ipſe nõ intelligeret, quomodo hoc fieri poſſet, dedit tamen Deo gloriã veritatis & potẽtiæ: ideoq; firmiſsimè ſibi perſuaſit, Deũ ea, quæ promiſerat, & præſtare velle, quia verax eſt; & præſtare poſſe, quia eſt omnipotens. Quæ fides ipſius cùm apprehẽderet ante omnia promiſſũ illud & benedictũ ſemẽ ex ſua poſteritate oriundũ, loco juſtitiæ fuit habita, quia juſtitiã in illo ipſo ſemine benedicto fuit amplexa. Sciatis autem, ô vos mei, hæc omnia de Abrahamo nõ noſtræ ſcientiæ, ſed ſalutis cauſſa in ſcriptura adſignata fuiſſe. Hoc ipſum enim exemplum illuſtriſsimum juſtificationis noſtræ proponere voluit Spiritus ſanctus ut quemadmodum ille non ſuis operibus, obedientia, patientia, fortitudine animi & ſimilibus, ſed fide in Deum & filium ejus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum jam tùm juſtificatus fuit: ita & nos hodieq; & deinceps non operibus noſtris, ſed fide in Deum, qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, & in ipſum Chriſtum à mortuis reſuſcitatum, juſtitiam & vitam æternam conſequamur. Non enim agnoſcimus aliud ſalutis noſtræ remedium, quàm Chriſti mortem & reſurrectionem, quarum illa peccata noſtra pleniſsimè expiavit, hæc verò expiata eſſe, teſtificata fuit.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Quomodo Paulus Abrahami nondum omninò centenarij corpus vocat emortuum, cùm tamen esset vix mediæ ætatis, secundum quam homines tunc vivebant: quomodo itē generatio sobolis ut miraculosa ab Apostolo prædicatur, cùm tamen post susceptum Isaacū ex Sara, deinceps ex Cethura alios quinque filios susceperit, Genes. 25, 1. 2?

Resp. Movent hanc quæstionem Origenes & Augustinus diversis in locis. Origenes. *Origenes scribit in comment. sup. 4. cap. Roman. Abrahami corpus, ut & Saræ, naturaliter ad generandum fuisse idoneum, emortuum autem spiritualiter, per donum continentiæ. Fuit in Abrahamo, inquit, mortificatio membrorum; non incitabatur luxuriâ, non urebatur libidine, sicut illi, de quibus Apostolus dicit: melius est nubere quàm uri. Hoc idem erat & in Sara, quia defecerunt Saræ fieri muliebria. Non enim erat in illa lascivia muliebris, aut incontinentiæ dissolutio, neq; in usum libidinis præcipitabantur inviti: sed ubi audiunt tantam posteritatis spem, & sobolis suæ gloriam cœlo & sideribus exæquandam, ubi hæc audiunt, nō adspiciunt ad propria bona, ad continentiæ gratiam, ad membrorum mortificationem, sed hæc omnia, quæ sibi lucra ducebant, arbitrantur detrimenta, ut Christum lucrifaciant. Hæc ille. Sed haud dubiè hallucinatur; totus enim contextus &*

in Genesi & in Paulo nostro, non de Spirituali mortificatione, sed de naturali impotentiâ loquitur, non de affectuum excessu, sed de corporis effœti imbecillitate, & de matrice Saræ ad partum inepta. v. 19. In Genesi expressè ætatis impedimentum & naturalis Saræ defectus adducitur, ut ratio sterilitatis: erant ambo senes provectæq; ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria, Genes. 18, 11. Augustinus dexteriùs ad hanc quæstionem respondet lib. 1. quæstion. in vetus testament. quæst. 35. Emortuum corpus, inquit, non ita intelligendum est, ac si omninò nullam vim generandi habere posset, si mulier juvenilis ætatis esset, sed secundùm hoc emortuũ, ut etiam de provectioris ætatis muliere non posset, Nam ideò de Cethura potuit, quia & juvenem illam invenit. Sic enim medici tradunt, quoniam cujus corpus viri secundum hoc jam defecit, ut cum fœmina provectioris ætatis, quamvis menstrua adhuc patiatur, generare non possit, de juvencula potest. Et rursus, mulier, quæ jam provectæ ætatis est, quamvis adhuc menstrua fluant, ut de seniore parere non possit, de juvene potest &c. Eodem modo respondet lib. 16. de civ. Dei cap. 28. ubi tamen aliam quoq; solutionem addit, quia nimirum in generatione Isaaci singulare donum generandi divinitùs accepit, quod postea etiam post obitum Saræ retinuit, ideò ex Cethura plures suscipere potuit liberos: & huic postremæ responsioni inprimis subscribimus, quæ illustrat beneficium Dei, facientis ex mortuis vivos, ex sterilibus fœcundos.

Augustinus.

QUÆSTIO II.

Scribit Apostolus, Abrahamum non fuisse infirmatum fide, sed plenissimè scivisse Deũ promittentem amplissimam posteritatem;

id quod promisit, etiam præstare posse: cur ergo tantus in fide heros, accepta promißione, risit, & in corde suo dixit; putasne cẽtenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? hæc enim verba videtur dubitantis esse Genes. 17, 17?

† Chrysost. homil 6. de pœnit. & Hieron. lib. 3. dialog. contra Pelag.
† Iohan. Arboreus.
† Caietanus.

Resp. *Sunt, qui Abrahamum aliquid humani hac in parte passum fuisse, & ex fluctuante pectore ista deprompsisse putant: ideò hoc peccatum Abrahami in posteris servitute quadringentorum annorum punitum fuisse censent.* † *Sunt, qui Abrahamum dubitasse quidem putant in initio, cùm adhuc ratione sua pensitaret divinum promissum, credidisse verò firmiter, cùm immediatè promißionis divinæ declarationem audiÿsset v. 19.* † *Sunt, qui Abrahamum dubitasse quidem putant, sed non de veritate promißi divini, verùm de intellectu verborum, num videlicet, de posteritate carnali vel spirituali atq; mystica loquatur tam amplum promissum. Sed quocunq; demum modo dubitasse dicatur sanctus patriarcha, non conciliabitur Moses cum Paulo nostro. Noster enim Apostolus omnem penitus dubitationem à fide Abrahami excludit. Omnium optimè itaq; locum Mosaicum exponit D. Ambrosius lib: 1. de Abrah: cap. 4. Quòd promisso ex Sara filio risit Abraham, inquit, non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit. Cui adstipulatur Augustinus; qui risum Abrahami vocat exultationem gratulantis; non irrisionem diffidentis lib. 16. de civ. Dei cap. 26. & Lyranus scribit super illum locum Geneseos: Risit Abraham non ex derisione, alioquin fuisset increpatus à Deo; sicut Sara, sed risit præ cordis exultatione. Fuit ergò risus Abrahami fidelis animi character,*

D. Ambros. 9.
D. Augustin 9.
Nicol. Lyra.

character, hoc est, singularis lætitia & exultatio propter promissum Meßiam ex semine suo oriundum; quo nomine dicitur Meßiæ *diem vidisse & exultasse Ioh. 8, 56. Quod autem quæsivit; putasne centenario nascetur filius? &c. hoc non dicit dubitando, sed divinum officium admirando, inquit iterum Lyranus in glosâ. Obstupuit enim Dei bonitatem, qui ea ipsi indigno præstiturus erat, quæ omnem rationis captum & naturæ cursum excedebant, soli verò potentiæ divinæ erant poßibilia. Et hac ratione ipsemet Apostolus noster interpretatur hanc Abrahami quæstionem, non de dubitatione vel diffidentia aliqua, sed de plenißima fidei* πληροφορία *qua credere potuit ea, quæ rationi sibi relictæ & sub obsequium fidei nondum captivatæ, non nisi jocularia videntur & ridicula.*

QUÆSTIO III.

Fides ita hic describitur, quòd sit absq; hæsitatione & diffidentia v. 20. quæritur itaq; num fides absq; omni planè dubitatione sit, & quid de infirmorum fide sit sentiendum, siquidem ea multis dubitationum fluctibus conjuncta esse videatur?

Resp. Distinguendum hic est inter dubitationem, quæ fidē vincit, & eam quæ fidem saltem impugnat. Illa nihil aliud est, quàm stolida rationis disceptatio, quæ assensum omnem expellit, nedum fiduciam admittit: talis sanè dubitatio locū non habet in fide, quinpotius fidei opposita est: quid enim magis contra fidem, quàm credere nolle, quicquid non poßis ratione attingere, inquit Bernhardus epist. 190? Fertur hæc Dubitatio duplex.

 διάκρισις

διάκρισις simpliciter cōtra promißiones Dei, præsentemq́; infidelitatē arguit. Deinde verò est dubitatio infirmitatis, quæ non omnem omninò assensum, fiduciamq́; abjicit, sed luctatur saltē in tentationibus, fiduciamq́; languidam facit. Non enim vivimus in hoc mundo inter perfectos, sed sæpè vacillat fides, scrupulumq́; patitur interdum *in notitia & assensu, qualis erat fides discipulorum, qui in principio non omnia doctrinæ Christianæ capita exactè tenebant;* interdum *in fideli apprehensione meriti Christi, quæ varias ob caussas labefactari potest etiam in piis. Et ejusmodi luctæ & dubitationes faciunt infirmam fidem; quæ nihilominus vera fides est, quia æquè apprehendit meritum Christi, quàm fides fortissima, licèt ista apprehensio non sit tam firma. Sciendum autem est, infirmitatem illam & fluctuationem mētis in tentationibus non esse à Spiritu Sancto, sed est opus carnis, quod nequaquam laudem meretur, sed resistendum ei est piis precibus, exemplo discipulorum Christi Luc: 17. Domine adauge nobis fidem, & aliis exercitiis, ne caro vincat spiritum, nec dubitationes illæ omnem excutiant fidem. Quam ob caussam hortatur nos Paulus alibi, ut, qui stat, videat, ne cadat 1. Cor. 10, & ut cū timore ac tremore operemur salutem nostram Phil. 2. Nihil autem commune habent hæ fluctuationes justorum cum dubitatione pontificia. Pontificii enim eum etiam, qui apprehendit meritum CHRISTI, dubitare jubent, num sit in gratia apud Deum, & an meritum Filii ad se quoq́; spectet: & hanc dubitationem, ut virtutem singularem & ornamentum veræ fidei commendant: nos verò dubitare non jubemus, multò minùs dubitationes commendamus, sed iis, ut operi carnis & reliquiis peccati resistere præcipimus: & nihilominus certò persuasi sumus, etiam langvidam illam fidei scintillam in tentatis residuam apprehendere remißionem peccatorū, quia non innititur*

inititur meritis aut sanctitati nostræ, sed perfectissimo Christi merito. Et hoc respectu fides hominis pij etiam infirma est absq; hæsitatione, tali nimirum, quæ meritum Christi gratiamq; Dei eo adquisitam, penitus evertat, sibiq; inutilem reddat.

QUÆSTIO IV.

Numquid homini pio absq; detrimento fidei suæ liceat in rebus divinis & intellectũ humanum excedentibus, quærere Quomodo; siquidem hîc talis διάκρισις inquisitio & disceptatio mentis videatur infidelitati adscribi v. 20. & Iustini Martyris sententia nota est: σαφὴς ἔλεγχος τῆς ἀπιστίας, τὸ πῶς περὶ τοῦ Θεοῦ λέγειν?

Resp. Primò: *alia est disceptatio rationis, alia fidei. Illa omnia vocat in dubium, quæ ratio non intelligit, licet expressum adsit verbum, cui contradicere nefas est homini Christiano: & hoc pacto Nicodemus cum suo Quomodo reÿciebatur à Christo Ioh. 3. & talis διάκρισις familiaris est Spiritui Sacramẽtario, qui rationi dominium concedit in rebus Spiritualibus. Hæc verò fit discendi caussâ, non reclamandi, ubi ratio jam subjecta fidei quærit de ÿs, quæ verbo continentur, non nisi ex ipso verbo meliorem instructionem, quam eâm accepit, non reluctatur, sed verbo debitâ modestiâ adquiescit, licèt sibi soli relicta extra verbum semper haberet, quod oggannire posset: & huc pertinet quæstio Beatæ Virginis Luc: 1. Prioris* Quatenus liceat quærere Quomodo in rebus divinis?

generis

generis διάκρισιν τῇ ἀπιστίᾳ *tribuit Apostolus, & huc referendum est dictum Iustini: posterior autem ad scrutinium scripturæ pertinet, quod nobis commendat Salvator Johan 5.* Deinde *in specie, quo ad particulam Quomodo, respondeo, illa non semper est dubitantis, sed admirantis, ut loquitur Augustinus in enarrat. Psal. 33. Atq; sic quæstionem Mariæ matris Domini interpretari licet, non quòd dubitarit, ex infidelitate, sed quòd consilium Dei admirata fuerit, quòd ex virgine matrem fieri, ex homine Deum nasci voluerit. Talis admiratio unà cum fide locum habere potest: dubitatio verò, quæ verbo promissionis pertinaciter se opponit, non item: ea enim in dubium vocando rem divinam, simul negat eam, quo pacto illa particula sæpè usurpatur in scriptura, e.g. Job. 6. quomodo is carnem suam nobis dabit ad manducandum? Rom. 10. quomodo audient absq; prædicante? Luc. 11. quomodo potest Satanas Satanam eijcere? &c. in quibus exemplis,* Quomodo *non quærit de modo rei, sed negat rem totam. Tale Quomodo in mysterijs divinis locum non habet.*

QUÆSTIO V.

Quomodo Deus Pater suscitasse dicitur Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis v. 24. cùm filius dicat Ioh. 10, 18. se habere potestatem ponendi & resumendi animã, & Rom. 1, 4. per resurrectionem suam filius Dei declaratus fuisse scribitur?

Resp. Resurrectio filij Dei tribuitur in scriptura, 1. Deo Patri. 2. Deo filio seu Christo secundùm divinitatem. 3. carni Christi: nulli horum aliquid in hoc opere derogatur, licèt quandam actionis participationem habeant. DEO PA-

TRI

TRI tribuitur hoc in loco & Hebr. cap. 13, 20. partim, *quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*; partim *quia voluntate sua & destinato consilio in mortem ipsum tradidit, ergo & secundùm voluntatem suam à mortuis resuscitavit*: partim *etiam, quia filio omnem suam potestatem æterna generatione communicavit Joh. 5. Principium ergò resurrectionis filij ad Patrem redundat, C H R I S T O secundùm divinitatem tribuitur Rom. 1, 4.* partim *quia eiusdem est potestatis cum æterno & omnipotente Patre, juxta illud: Pater meus usque modò operatur, & ego operor Ioh. 5, 17.* partim *quia mors ejus fuit spontanea, à libera ejus voluntate profecta; ergo & resurrectio à morte spontaneæ ipsius voluntati est adscribenda, Christo deniq; secundùm C A R N E M tribuitur Ioh. 10, 18. per communicationem idiomatum ex unione personali cum λόγῳ resultantem. Sicut enim caro Christi alios exsuscitare potuit mortuos: ita quoq; ad sui ipsius resuscitationem suum ἐπιβάλλον μέρος addidit. Manet ergò primatus potentiæ in resurrectione Christi penes Deum Patrem, qui potestatem illam communicavit filio, per æternam generationem; filius eandem communicavit assumtæ carni, per personalem unionem. De hac quæstione vide locum Fulgentij libr. 3. ad Trasymundum sub finem, ubi inter alia sic inquit: Licet alia sit persona Patris & alia filij, tamen in resurrectione Christi invenitur operis æqualitas, propterea quòd Patris filijq; sit una potestas & majestas.*

QUÆSTIO VI.

Quando Paulus noster distinctè scribit, Christum fuisse traditum propter delicta

Ss nostra,

nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram v. 25. numquid patrocinatur Pontificijs, qui existimant, justificationem nostrã non consistere in sola remissione peccatorum, sed principalem ejus partem esse renovationem vitæ, quæ exemplariter notetur resurrectione Christi?

Resp. Ita quidem communiter censent Romanenses, in primis autem Pererius, cujus hæc sunt verba super hunc locum disp. 10. in cap. 4. Rom. th. 48. *Paulus hoc loco remissionem peccatorum distinguit à justificatione, dicens, Christum esse mortuum propter delicta nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram, apertè indicans, nec in sola remißione peccatorum consistere justificationem, & principalem justificationis partem esse renovationem vitæ ac rectitudinem mentis, cujus exemplum fuit resurrectio Christi: Hæc ille.* Atqui variè peccat in his verbis Pererius. 1. quòd nos remißionem peccatorum absq; dono justitiæ esse putare scribit, imò fingit. Credimus enim remißis peccatis, certò sequi justitiam, sed non infusam aut nobis inhærentem, sed imputatam justitiam, videlicet, Christi, quâ pro nobis legi perfectè satisfecit. 2. quòd renovationem vitæ & mentis rectitudinem principalem justificationis partem nominat: non enim pars ejus, sed fructus est, & ad sanctificationem pertinet: & populus jam mundatus à peccato, Deoq; acceptabilis, sectator bonorum operum est Tit 2, 3. injuriam nobis facit, quando scribit, nos donationẽ justitiæ, per quã fit rectitudo mentis, abijcere: non enim abijcimus

mus eam, sed in suum locum remittimus, nimirum non ad justificationem, sed ad sanctificationem. Atq; hoc respectu resurrectionem Christi loco exempli nobis alibi proponi, non negamus; consepulti enim ei sumus per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus Rom. 6. Hoc verò in loco exemplaris illa interpretatio resurrectionis Christi locum non habet: nondum enim Apostolus de effectis, sed de caussis justificationis nostræ adhuc agit. Quòd autem Resurrectioni in specie justificationem tribuit, usitata scripturæ synecdoche fit, quæ justificationem nostram partim obedientiæ Christi tribuit, ut Ro: 5. partim morti ac passioni, ut Roman. 4. partim Resurrectioni, ut hoc loco & Philipp. 3. ubi tamen semper totum ejus meritum intelligendum est. Falsissimum autem est, quod Pererius in eadem disp. num. 48. scribit, Resurrectionem Christi non habere caussam meritoriam justificationis nostræ. Nam si Christus mansisset in morte, nondum devicta esset mors, aut is, qui mortis habebat imperium, diabolus, nondum expiata peccata, juxtà illud 1. Cor. 15, 17. Si Christus nō resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Rectè igitur scripsit Hieronymus super hunc locum: CHRISTUM resurrexisse, ut justitiam credentium confirmaret. Fuit enim resurrectio publicum testimonium triumphi à morte & Diabolo reportati: ideoq; nunc quasi complementum est fidei justificantis, quæ nisi resurrectionem quoq; Christi fiducialiter apprehenderet credendo, nimirum factam eam esse propter justificationem nostram, imperfecta; imò nulla esset. Nam mortuum esse Christum, etiam Pagani & Judæi credunt, suscitatum verò esse ex morte propria fides est Christianorum, scribit August. libr: 10. con. Faustum Manich. cap. 29.

[*Dicunt Pontificij justificationem constare Remissione peccatorum & infusa gratia, tanquam privatione & forma. Sed*

falsum est: 1. quia opposita non sunt simul: sed unum tollit alterum. 2. ex oppositis non potest fieri unum. Omnis enim unio est consensionis, non oppositorũ. 3. remissio peccatorum non est privatio, sed privationis, hoc est, peccati ablatio. 4. quæ toto genere differunt, non possunt unum per se constituere. &c.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. Fides & Ratio diversa habent objecta; fides τὰ πιστὰ, quæ interdum sensum humanum fugiunt: ratio τὰ νοητὰ, quæ sub intellectum humanum cadunt. Fides enim priùs credit, deinde intelligit: ratio priùs intelligit, deinde credit. Ratio nihil habet in intellectu, quod non fuerit priùs in sensu: in fide etiam in intellectũ venit, quod sensum excedit. Nam homo fidelis credit contra omnem spem aut sensum rationis, in spem fidei: unde fides vocatur ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, Hebr. 11, 1.

2. Spes propriè sumta est filia Fidei: qui enim credit, omnia sperat, licèt eventu dubia: est enim spes expectatio futuri boni, à fideli pectore profecta, licèt nullus in rebus humanis videatur rerum humanarum successus: nam si, quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus, Rom. 8. Ideò spes alibi ancora animæ vocatur Heb. 6. Fides autem est certa fiducia eorum, quæ per spem expectantur. (vide D. Hunnium cont. Pistor. thes. de justif. th. 29. p. 61.

3. Fundamentum fidei est promissio Dei complectens veritatem & omnipotentiam Dei. Quicunque ergo Deo promittenti fidem non habet, vel mendacem facit eum 1. Iohan. 5, 10. vel potentiam ejus convellit, ac in dubium vocat; quorum utrumque maximæ impietatis est; & Epicureismum sapit: &

quomo

quomodo talis diffidentia punita fuerit, videantur exempla Num. 11. & 2. Reg. 7. spoliat enim Deum gloriâ veritatis & potentiæ. Vide plura in hanc sententiam, in Bernhardi episto la 190.

4. Fundamentum articulorum fidei est verbum Dei, illud inprimis in quo articulus ille propriè & ex professo tractatur, quemadmodum in sacramentis sunt verba institutionis. Qui ergò de verbo illo disputat, aut ratiociniys suis sensum ejus simplicem & literalem in dubium vocat: nullam fidei certitudinem retinet, sed infidelitatem suam & curiositatem prodit, quia dicta divina ratione sua metitur.

5. Deus universæ naturæ suos posuit limites, quos præter miraculum transgredi non potest: hinc tempus est pariendi, tempus est nascendi, tempus etiam moriendi Eccl. 3. & ut sidera certas statasq; habent vices oriendi & occidendi, volucres tempus migrandi & revertendi: ita animalia quoq; certas habent statasq; vices generandi; ætas juvenilis ad generationem apta, decrepita verò inepta est: ex quibus omnibus admiranda Dei providentia agnoscenda est. Jeremias hinc locum communem petit de obedientia DEO debita, Ier. 8, 7.

6. Fœcunditas parentum est donum Dei: ipse enim præclusit uterum Saræ, ne pareret Genes. 16, 2. Agnoscendum igitur est, liberos esse donum Dei, qui dat eos timentibus eum Psal. 128. ab ipso etiam petendum est fœcundum conjugium, exemplo sanctorum Genes. 25. 1. Sam. 1. Tob. 8.

7. Fides etiam infirma habet πληροφορίαν. Luctatur enim adversus gravissimas tentationes satanæ, mundi & carnis & tandem vincit isthæc omnia; ideò fides vocatur victoria, quæ vincit mundum, 1. Ioh. 5, 4.

8. Usus scripturæ non tantū est nuda notitia, sed exemplorū

ad nos applicatio, sicuti hic clarè dicitur, Abrahami justificationem in scriptura descriptam esse propter nos *ver.* 24. *quæcunque enim scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, Rom.15,4.*

9. *Objectum fidei justificantis est gratia Dei resuscitantis filium, & ipsum meritum filij pro nobis in mortem traditi & resuscitati. Ideò credere dicimur in eum, qui resuscitavit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis v.* 24. *& in hac fide consistere dicitur vita æterna, Ioh.17,3.*

10. *Formalis justificationis nostræ caussa sæpè inculcatur in hoc capite, & in exemplo Abrahami ostenditur, ne quidquã dubitemus, unam eandemque eam esse semper, nimirum imputatio fidei in Christum Redemtorem nostrum: quæ repetitio ad confirmandam fidem nostram in hoc doctrinæ capite magnopere facit.*

11. *Passio & mors Christi non est facta absque singulari & destinato Dei consilio: ideò non simpliciter mortuus aut crucifixus, sed in mortem* traditus *fuisse dicitur; quo quasi digito notatur providentia Dei circa mortem filij; ad quam respicit Petrus Act.2, 23. Iesum Nazarenum definito Dei consilio præscientiaque Dei traditum, per manus iniquorum interemtum esse.*

12. *Decretum & voluntas Dei circa passionem Filij sui non ad actionem Iudæ aut Iudæorum referenda est, sed ad passionem filij. Illam nullo modo voluit aut decrevit, sed permisit, hanc voluit, & decrevit, & ad saluberrimum finem redemtionis generis humani direxit, juxta illud Prosperi: Actio displicuit, passio grata fuit: qua de re vide plura in Epistolam ad Hebr.cap.10.disp.11.par.1. thes. de providentia Dei &c. thes.9. seqq.*

13. Passio

13. Passio & mors Christi non fuit pœna ipsi debita, sed nobis: traditus enim est propter delicta nostra. Deus enim conjecit in ipsum iniquitates omnium nostrum. Mors ergo *Christi vitam nobis peperit: innocentia patientis injustitiam nostram expiavit.*

14. Re*surrectio Christi est complementum justitiæ à Christo nobis adquisitæ: omnia enim, quæ Christi sunt, nostra sunt: Nobis natus, nobis passus, nobis mortuus est, nobis quoq; resurrexit. Hinc plena nobis in Christo est justitia, quia plena parta est victoria: Pereat itaq; necesse est, qui à peccatis aliter, quàm per mortem & resurrectionem Christi resurgere cupit.*

15. Mors & resurrectio communia sunt Christi beneficia, utriq; enim tota redemtio alibi adscribitur: morti Rom. *3, 24. resurrectioni,* Rom. *10, 9. hîc verò juxta proximos fines discernuntur: per mortem enim facta est peccatorum expiatio; per resurrectionem justitiæ collatio: quod tamen discrimen tàm exactè non observatur; alibi enim etiam resurrectioni emundatio à peccatis tribuitur, quando nimirum D. Paulus scribit: Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris, 1. Cor. 15, 17.*

CAPUT V.

Argumentum & Partitio Capitis.

H*Actenus de causis justificationis nostræ coram Deo: ubi sufficienter probavit Apostolus noster, justitiã nostrã nõ esse ex operibus, sed fide tantùm. Iam de effectibus ejusdem ali-*

qua

quæ subjungit, tractatu satis prolixo, usq; ad cap. 8. In hoc capite quinto initium facit hujus tractatus duabus partibus. In 1. aliquot exprimuntur effectus justitiæ fidei, cum suo fundamento, usq; ad v. 12. In 2. de merito Christi nonnulla attexuntur, institutâ eleganti antithesi inter inobedientiam primi & obedientiam secundi Adami, seu inter peccatum ab homine introductum, & justitiam à Christo acquisitam.

PARS PRIMA
TEXTUS.

Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν θεὸν, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ.

Δι' οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν, καὶ καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ θεοῦ.

Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, εἰδότες, ὅτι ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται.

Ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα.

Ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει, ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν.

Ἔτι γὰρ χριστὸς, ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε.

1. Justificati ergò ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.

2. Per quem habemus accessum fide in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

3. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur.

4. Patientia autem probationem, probatio verò spem.

5. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctū, qui datus est nobis.

6. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est.

7. Vix

Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν.

7. Vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.

Συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ θεὸς, ὅτι ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε.

8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.

Πολλῷ οὖν μᾶλλον δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα δι᾽ αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς.

9. Multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

Εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ.

10. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus: multô magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.

Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ θεῷ διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι᾽ οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν.

11. Non solùm autem, sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

ANALYSIS ET EXPLICATIO

PRimæ partis duo sunt membra. In priore duo recensentur effectus justificationis. Primus *est pax & tranquillitas conscientiæ. Iustificati pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum v. 1. Intelligit pacem non politicam, aut concordiam mutuam inter homines, sed spiritualem & cœlestem, quæ consistit in tranquillitate animi, nihil metuentis adversi, nullam vindictam aut condemnationem; ideò vocat pacem apud Deum. Hanc tribuit justificatis fide, quia imputatio fidei abstulit peccatum, & contulit*

Opponitur hic effectus tentationi de ira Dei.

 justi-

justitiam Christi: ubi verò justitia est, ibi nullum amplius de condemnatione est periculum: idcirco justificatos eam jam habere scribit; non demum, ut habeant, hortatur, quemadmodum Pontificij perperam exponunt; ἔχομεν enim dicit, in indicativo, non ἔχωμεν, consolari voluit; non exhortari. Autorem hujus pacis adjicit, Dominum nostrum Iesum Christum: *ipse enim eam nobis adquisivit sanguine suo, unde pax nostra vocatur Eph. 2, 14. Potest autem hoc quoque referri ad argumenta, quibus probat Apostolus justificari nos fide, non operibus: nam quod animum hominis reddit tranquillum & pacatum, ei tribuenda est justificatio: hoc facit fides in meritum Christi, non opera. Ergo &c.* Secundus *effectus est accessus ad Deum, à quo per peccata separati & exclusi eramus Es. 59, 2. sed nunc per Christum reconciliati* habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei v. 2. *Christus enim est thronus gratiæ, ut suprà vocabatur cap. 3, 25. Sine quo Deus non nisi peccata in nobis videre potest: ad hunc autem thronum gratiæ accedentes, misericordiā consequimur, & gratiam invenimus in auxilio oportuno Hebr. 4, 16. Accedimus autem non humanis fulti præsidijs, sed* per fidē, *inquit Apostolus: nam accedentem ad Deum oportet credere Heb. 11. Introducitur itaque hîc Christus ut προσαγωγεὺς manuductor & conciliator noster: qui, cùm antea essemus inimici, nobis aditum ad Deum placatum patefecit.* Tertius *effectus in ijsdem verbis continetur, & est gloriatio hæreditatis cœlestis: nam quia accessus nobis ad Deum partus est per Christum, hinc jam certa nobis spes est, nos restitutos esse in υἱοθεσίαν & hæreditatem Dei, unde per peccatum excideramus. Notetur autem eximium orationis incrementum in*

Opponitur hic effectus tentationi de mutabilitate.

Opponitur hic effectus tentationi de exilio mundano: quia civitatem manentem hic non habemus.

hoc versi-

hoc versiculo: Primùm *enim per Christum accessum habemus ad Deum*; deinde *per eundem stamus in gratia Dei*, *hoc est, certi sumus de Dei favore immutabili, modò nos non mutemur, plus autem est in gratiâ stare, quàm accessum ad eum habere, nihil ampliùs metuentes periculi*; deniq; *gloriamur insuper nos in sortem sanctorum filiorumq; DEI receptos esse.* Quartus *effectus est gloriatio in adversis*: Non solùm autem (*inquit Apostolus*) sed & gloriamur in tribulationibus, *quasi dicat, non tantum internam habemus animi tranquillitatem, sed & extrinsecus nullas extimescimus adversitates, sed de ijs insuper nobis gratulamur, easq; honori nobis ducimus, usq; adeò saluti nostræ nihil officiunt. Quod cùm rationi nostræ παράδοξον videatur, probat assertionem suam ab effectibus tribulationum, qui non nisi in praxi calamitatum percipiuntur.* Nam scimus, *inquit, experientia nimirum edocti*, quòd tribulatio patientiam operatur: patientia probationem, probatio spem: spes non confundit. *Hæc tria, patientia, probatio, spes per accidens resultant ex tribulationibus piorum, optimoq; ordine invicem se consequuntur, ideò per Soriten hîc connectuntur. Nam pij sciunt tribulationes divinitus immitti ad exercendam fidem & spem suam, ideò obediunt Deo in perferendis adversis, quæ Deus perferre jubet, quæq; sibi in bonum cedere sciunt, & hæc virtus vocatur* patientia, *quam operatur Spiritus Sanctus* per tribulationes *divinitus immissas, quæ sunt exercendæ patientiæ ἀφορμὴ & materia. Ex malis autem forti & patienti animo sæpiùs perpessis oritur* probatio, *probatio nimirum fidei, quæ rebus secundis interdum videtur languidior, dum desiderijs concupiscentiæ & Diaboli suggestionibus impeditur, & per negligentiam in studio bonorum operum obscuratur: sub cruce verò magis magisq; enitescit; dum enim Deo nos*

Opponitur hic effectus tentationi de cruce.

percutienti adhæret animus pius, precibus instat, nec contra proximum, tanquam mali caussam frendet, sed Deum autorem agnoscit, indicium haud obscurum est, fidem nondum planè extinctam, sed sub cruce quoq; incrementa capere. Cùm autem fides crescit, spes *quoq; roboratur, ideò probatio spem parere dicitur; quia memoria præteritorum beneficiorum facit spem futurorum. Et hæc spes* non confundere *dicitur, quia non nititur humanis, sed divinis promissis, quæ neminem decipiunt: obsignatur etiam Spiritu Sancto in cordibus fidelium, ut versu statim sequente docetur. Et hoc fuit principale argumentum, cur gloriari possint pij in tribulationibus, quia nimirum calamitates nullæ, quam in DEO fixam habent, spem ipsorum intercipere possunt. Hactenus de priore membro primæ partis.*

In posteriore fundamentum monstratur omnium horum effectuum justificationis, nimirum caritas DEI, *quam* diffusam esse *scribit* in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis v. 6. *Intelligit autem caritatem Dei activè sumtam, quâ Deus nos complectitur, quod partim abundantia, partim officium caritatis indicat: effusa enim scribitur in cordibus nostris, quod de caritate, qua nos Deum diligimus, dici non potest: ea enim multò est languidior, quàm ut effusionis vox ei tribui queat. Obsignare quoq; dicitur spem, quam habemus in Deo, quod solus amor Dei erga nos præstare potest, quem ex testimonio Spiritus Sancti in cordibus nostris sentimus. Vnde verò de caritate Dei certi esse valeamus, exponit in sequentibus versiculis, nimirum ex traditione filij sui pro nobis in mortem, hoc est, ex merito Christi, ex quo commendat nobis abundantiam amoris divini duobus modis. 1. Simpliciter & absolutè, quia Christus pro peccatoribus mortuus est:* Vt quid enim Christus,

Caritas Dei in cordibus nostris diffusa.

ſtus, *inquit*, cùm adhuc infirmi eſſemus ſecundũ tempus pro impijs mortuus eſt? *quaſi diceret*, *quomodo Chriſtus mori potuiſſet pro peccatoribus, ut tunc tẽporis eramus, (hos enim vocat infirmos) & abalienatis à Deo (hos vocat impios) ſi non ex immenſa Dei caritate pro nobis in mortem traditus fuiſſet? Hinc integrum Syllogiſmum infert in ſequentibus, hoc ſenſu: Immenſus erga peccatores ejus amor eſt, qui pro peccatoribus tradit filium innocentem in mortem. Id verò Deus fecit in paſſione filij ſui: Ergo immenſum ipſius amorem erga nos eſſe oportet. Maior propoſitio extat v. 7.* vix pro juſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori: *quaſi dicat, vix dari poteſt exemplum in humana hiſtoria, quòd quis pro viro bono & innocente vitam profuderit, & Si daretur exemplum, non tamen niſi pro bono & innocente id factum fuiſſe certum eſt: pro impio verò & ſcelerato homine neminem fuiſſe mortuum, legimus; id verò Chriſtus fecit, qui ipſe innocentiſſimus pro impijs & peccatoribus animam poſuit. Minor propoſitio unà cum concluſione habetur v. 8.* Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis, ſeu, erga nos; quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, *quaſi dicat, magna Dei caritas erga nos ex hoc opere elucet, quòd Chriſtus pro nobis mortem oppetijt, cùm adhuc eſſemus abalienati à Deo ob peccata, quos odiſſe potiùs, quàm amare; abijcere, non redimere debebat. 2. commendat abundantiam caritatis divinæ erga nos comparatè v. 9. & 10.* Multò igitur nunc magis juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum: Si enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij ſui, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius, *quaſi diceret: Si tanta Dei in nos fuit caritas, ut nos adhuc impios à pec-*

catis absolveret, & ab æstu iræ divinæ per mortem Christi liberaret: multò major erit caritatis abundantia, quòd nos jam sibi reconciliatos ad spem futuræ vitæ conservat, ex qua Dei caritate summa animi nostri certitudo de hæreditate vitæ æternæ, & spes inconcussa in adversis dependet; qui quartus erat justificationis nostræ effectus. Huic alium quasi ex abundanti subjungit, gloriationem nimirum de Deo propitio: de qua ἐλλειπτικῶς loquitur v. 10. Non solùm autem, *scilicet gloriamur in spe filiorum Dei sub ipsis tribulationibus, verùm etiam gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Quia enim per Iesum reconciliati sumus Deo, hæc sanè nostrum omnium summa est gloria, quòd Deum habemus propitium, cujus favore qui gaudet, nullius frangitur vel odio vel invidia.*

Paraphrasis hujus partis.

Quotquot ergo ex morte & resurrectione Christi justitiam apud Deum per fidem in Christum consecuti sumus, jam pacem conscientiæ & tranquillitatem summam experimur, quam nobis Christus adquisivit; nobisq; ad Patrem cœlestem, à quo abalienati eramus ob peccata, aditum patefecit, gratiam & favorem conciliavit, in quo nos permansuros confidimus, tanquam filios Dei & vitæ æternæ hæredes. Neque verò hanc animi tranquillitatem quidquam interturbabit tribulatio & angustia, cui in hoc seculo sumus expositi. Nam reipsa experimur, quòd tribulatio nobis materiam exercendæ patientiæ suppeditat, qua fides nostra probatur, & spes futuri boni animatur, quæ nos favore gratiaq; Dei excidere non patietur. Habemus enim

enim arrhabonem Spiritum Sanctum in cordibus nostris, qui testificatur, Deum summo favore nos complecti, abundantiamq; sui erga nos amoris in nos effundere: quem luculenter in eo quoque comprobavit, quòd filium pro nobis in mortem tradidit eo tempore, cùm nos neque nos ipsos juvare poteramus ob imbecillitatem nostram, neque ad Deum accedere propter impietatem nostram. Quis ergo hinc non immensum Dei erga nos amorem æstimaret? siquidem in rebus humanis ita comparatum est, ut vix quisquam reperiatur, qui pro viro bono atque innocente vitam profundat; Christus autem ipse innocentissimus pro peccatoribus in peccatis suis mortuis mortem ex ordinatione Patris oppetijt. Vnde nunc longè major nobis spes effulget: si per Christi meritum justitiam impetravimus, cùm adhuc peccatores essemus, ut jam non habeamus, quod iram Patris, nostris peccatis accensam, metuamus, postquam per Christi mortem ipsi reconciliati sumus, fore, ut jam post factam reconciliationem, salutem & vitam æternam certò consequamur. Hæc ergò est gloria, hic triumphus noster in mediis angustiis hujus mundi; quòd per Christum reconciliati Deum habemus propitium, qui & calamitates ipse immittit, & fidelibus suis requiem in consortio filiorum Dei paravit.

Quæstio-

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Dicit Apostolus v. 2. nos stare in gratia Dei & Heb. 13, 9 scribitur, gratiā illā stabilire cor: cur ergo alibi D. Paulus hortatur; qui stat, videat ne cadat 1. Cor. 10, 12. Si enim gratia Dei cor stabilit, nullum videtur esse periculum metuendum, ne excidamus gratiâ: stare enim & cadere sunt opposita?

Resp. 1. Præsens Apostoli nostri locus, ut & epistola Hebr. l. d. agit de ea firmitate & stabilimento cordis, quod opponitur casibus adversis & infestis, quorū nullus tam magnus esse potest, ut de statu gratiæ deturbare possit eos, qui fiduciam suam in Deum habent repositam; Pater enim, qui dedit eos Filio, major est omnibus, Iohan. 10, 29. Et hoc sensu Paulus infrà cap. 8. scribit, nullam creaturam esse tàm potentem, quæ pios à dilectione Dei separare possit. At in Epistola ad Corinthios loquitur Apostolus de casu ex statu gratiæ, qui fit per peccata; talemq; casum fieri posse, probat; aliàs exhortatio illa esset frustranea. Quòd si dixeris, si ex statu gratiæ excidere possumus: ergo Deus erit mutabilis, cujus tamen dona sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11.

Est Objectio Paræi pagg. 455. sui commentarij ?

Respondeo secundo loco: Gratia immutabilis est ex parte Dei, qui neminem deserit, nisi ab ipso priùs deseratur: Deus enim gratiam suam non indeterminatè adstrinxit ad certas personas, sed ad credentes, ex quocunq; ordine hominum.

Quicunq;

Quicunque ergò fide adhæret Deo, is firmum habet asylum in omnibus adversitatibus in gratuito Dei favore desixum. Atque sic in gratia Dei stare dicimur, quando nos propitium habere Deum credimus, eique adhæremus; quia gratia illa Dei non est aliquid temporaneum fluxum aut caducum, sed æternum, fixum & firmum. Adhortationem autem suam in Epistola ad Corinthios D. Paulus opposuit temeritati hominum, qui sibi quodlibet etiam facientibus gratiam favoremque Dei vana persuasione pollicentur: ideò ait, qui existimat se stare, videat ne cadat. Multa enim sunt in vita, quæ nos in curriculo pietatis præpedire, imò spem ejus omnem intercipere possunt: quæ omnia homo, pijs precibus ac Christiana prudentia præcavere potest: & hoc vocat Paulus alibi, cum timore ac tremore operari salutem. Phil. 2, 12.

Stare in gratia Dei quid sit?

QUÆSTIO II.

Quomodo Apostolo Paulo convenit cum Iacobo: ille enim scribit, patientia operatur probationem fidei v. 4. hic, probatio fidei operatur patientiam cap. 1, 3.?

Resp. Duplex est horum locorum conciliatio. 1. probatio fidei apud Paulum significat effectum patientiæ: patientia enim in adversis probatam reddit fidem hominum, & hoc Paulus vocat δοκιμὴν; apud Jacobum significat ipsam tribulationem, quâ exploratur fides, & hoc vocat Iacobus δοκίμιον. Idem ergo dicit Jacobus, quod Paulus in versiculo proximè antecedente, tribulatio patientiam operatur. Iacobus enim per metonymiã effecti tribuit probationi, hoc est, ipsi rei, per quam fit probatio fidei: quod Paulus expressè tribuit tribula-

tioni. 2. Jacobus ex probatione fidei tanquam à posteriori colligit patientiam antegressam, quasi dicat, ex explorata fide credentis apparet, ipsum adversitates hujus mundi patienter tolerasse, fortiterq; superasse. Et hoc sensu κατεργάζεται, operatur, apud Iacobum idem esset, ac, apparere facit.

QUÆSTIO III.

Recténe dicitur, spem fidelium solis niti promißionibus Dei: huic enim obstare putat Pererius, quòd Paulus hoc in loco spem non confundentem conjungit cum patientia in adversis: unde concludit; ergo spes maximè roboratur & vegetatur testimonio bonæ conscientiæ & probatione patientiæ, & per longam tribulationum tolerantiam?

Resp. Rectißimè dicitur, promißiones divinas esse fundamentum spei & fiduciæ Christianæ. Illæ enim pollicentur nobis & potentiam & veritatem Dei, quæ duo omnes dubitationum scopulos in adversis eximunt fidelibus. Ideò de Abrahamo scriptum est, quòd crediderit contra spem in spem, quia non hæsitaverit in promißionibus Dei, Rom. 4, 20. Promißiones autem Dei, quo ad effectum non excludunt, sed includunt potius & præsupponunt bonam conscientiam & patientiam in adversis. Non enim agnoscimus fidem in impijs, quod facit Pererius disp. 4. in cap. 5. Rom. num. 12. secutus concilium Tridentinum seß. 6. can. 15. neq; quilibet facientes quodlibet promißionibus gratiæ confidere possunt, sed fideles tantùm; quibus etiam latæ sunt; ubi verò fides est, ibi & bona consci-

Perer. disp. 1. in cap. 5. ad Roman.

conscientia est, & adsuetudo tribulationum, quibus pij præ cæteris in mundo exercentur.

QUÆSTIO IV.

Numquid caritas Dei est aliquid à Deo creatum, & inhærens in animis nostris, quam alioquin inhærentem seu infusam justitiam vocant Pontificij: hoc enim evidenter declarari scribit Pererius eo, quòd dixit hoc loco Paulus de caritate, diffusam esse in cordibus nostris, illud, diffusam esse, inquit, demonstrat esse aliquid à Deo productum; & illud, in cordibus nostris, esse aliquid donatum à Deo, & in nobis ipsis inhærens disp. 3. in cap. 5. Rom?

Resp. Perperam colligitur id ex hoc loco Apostolico. Nam 1. Pererius ipse caritatem DEI utroq; modo accipit in hoc textu, tàm activè de ea, quâ Deus nos diligit, quàm passivè de ea, qua nos Deum diligimus disp. 2. in cap. 5. Roman. num. 9. non igitur evidenter hinc declaratur, caritatem Dei esse inhærentem in nobis justitiam: Ambigua enim interpretatio nullam parit evidentiam. Multò minùs hæreticum erit, ut Pererio videtur, intelligere caritatem Dei de favore benevolentiaq; Dei erga nos: alioquin & ipse Pererius foret hæreticus, & cum ipso Origenes, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Cajetanus, ex quibus & ipse caritatem Dei activè interpretatur, loco dicto. 2. suprà demonstratum fuit, non posse hunc locum aliter, quàm

quàm activè intelligi, nimirum de gratuito Dei erga nos favore; ergò malè hinc infertur inhærens seu infusa nobis justitia. Rationes vide partim suprà in analysi hujus textus, partim cap. 3. part. 3. quæst. 2. sub finem. Gratuitus autem Dei favor diffusus dicitur in cordibus nostris, 1. propter abundantiam amoris Dei erga nos, quem percipiunt corda maximè contrita. Et quia abundantia amoris illius maximè in morte filij comprobata fuit, idcirco D. Iohannes scribit: in hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam Filius animam pro nobis posuit, 1. Ioh. 3, 16. 2. propter suavia effecta, quæ ex caritate Dei ad nos redundant. Etsi enim amor in Deo est, tamen fertur in objectum amabile, quod est cor nostrum, sanguine Christi tinctum, in quo percipimus fragrantiam favoris divini, testificante Spiritu Dei, quòd simus filij Dei; ideò per Spiritum sanctum diffusa in nos dicitur caritas Dei, tanquam per infallibilem testem ac arrhabonem, quem accepimus in Baptismo. 3. propter opera renovationis, quæ abundant in fidelibus, quibusq; declaratur, nos à Deo impensè amari. Nam quos Deus secundùm misericordiam suam salvos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis, in hos Spiritum sanctum abundè effudit, per Iesum Christum Salvatorem nostrum, Tit. 3, 6. et hoc pacto Pererius ipse phrasin illam exponit disp. 2. in cap. 5. Rom. num. 8. his verbis: Sive legamus diffusa, sive effusa, NON ALIUD ea voce significatur, nisi quod caritas Dei apertè ac evidenter declarata est per multa & varia dona Spiritus sancti, quæ in nos effudit, id est, largè, copiosè ac abundanter contulit. *Propria itaq; vineta cædit Pererius, quando ex diffusionis vocabulo caritatem Dei de justitia nobis infusa exponit. Puerile autem est, quod objicit disp. 3. in cap. 5. Rom. Si caritas & gratia non esset aliquid productum & inhærens*

Gratia Dei quomodo dicatur diffusa in cordibus nostris.

animis

animis nostris, non posse Sacramenta Novi Testamenti continere gratiam, conferre & efficere: siquidem nec gratia & caritas, quæ est in Deo, nec justitia, quæ est in Christo, à Sacramentis contineatur & cōferatur & efficiatur. Puerile, inquam, hoc est. Nam illa collatio gratiæ non fit per infusionem, sed per applicationem. Applicantur autem ea, non quæ inhærent: ea enim jam antè nostra sunt; sed quæ extra nos sunt præstita: ea enim per applicationem nostra fiunt; & hoc officium est ex parte nostra fidei, ex parte Dei verò verbi & Sacramentorum.

QUÆSTIO V.

Christus pro impijs mortuus esse scribitur v. 6. sed annon hoc est contra expressum Dei verbum, quo cautum est, ut unusquisq; pro peccato suo moriatur Deut. 24, 16. & anima, quæ peccaverit, moriatur, Ezech. 18, 20. quin & Apostolus noster suprà dixerat: justitiam Dei hæc postulare, ut digni sint morte, qui talia faciunt cap. 1, 28.

Resp. Deus non sibi, sed hominibus legem illam posuit. Ipse verò in mysterio redemtionis liberrimi fuit consilij & arbitrij: illud enim non ad legem, sed Evangelium pertinet. In lege quidem locum habet illud Domini: unusquisq; pro peccato suo moriatur: In Evangelio verò negotium salutis nostræ ita declaratur, quòd Deus ipse pro nobis dedit filium; quòd filius semetipsum dedit redemtionē pro multis, animā pro ovibus; item quòd unus mortuus sit pro populo, ne tota gens periret. Atq; hanc declarationē Evangelij opponimus haut im-

meritò omnibus legis sententijs, aut rationis humanæ cavillis. Non enim in Lege salus nostra fundata est: neque ex humana consuetudine, aut judicio rationis nostræ dependet; sed ex admirando Dei consilio, cui placuit, ut mortem, qua nobis omnibus vi primæ comminationis, moriendum erat, Filius oppeteret: ubi tota ratio consilij simpliciter est voluntas ita consulentis: alias ipsi procurandæ salutis nostræ leges præscribere, absq; blasphemia & in divinam sapientiam contumelia, non licet. Scire sufficit, Deum admirabile servasse temperamentum Legis & Evangelij; justitiæ ac misericordiæ. Nam peccatori vi legis & justitiæ suæ debebat pœnas: Sed ex ἐπιεικέιᾳ Evangelij peccatori parcit, & Filium punit loco peccatoris, ut ita in Filio justitiæ satisfiat; in peccatore misericordiæ: id quod hoc loco Apostolus noster tantopere commendat, tanquam rem ab omni hominum consuetudine alienam, Deo verò impium justificanti propriam.

QUÆSTIO VI.

Si juxta legem anima, quæ peccavit, mori debet, numquid ergò rectè scribit Apostolus, audire aliquem pro bono mori: vel numquid ipse rectè fecit, qui optavit anathema esse pro populo suo Rom. 9, 3. & Moses, qui pro populo rebelli deleri cupit è libro vitæ; id quod Dominus responso suo improbavit, cùm diceret Mosi, qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo Exod. 32, 32?

Resp. Secundùm Legem mori non licet pro alijs, ita ut satisfiat Deo pro transgressione alterius, hoc enim præter Christum

stum nemo præstare potest: ideò noluit Deus delere Mosen è catalogo viventium, pro populo suo: interim autem adfectus ille caritatis non est prohibitus, quo quis suo quoque cum periculo proximi salutem quærit: quo nomine non tantùm Ethnicorum commendantur exempla, qui vitam profuderunt pro patria & Parentibus, qualia sunt in historia Romana Decij Consulis, conijcientis se in aciem hostium, & morte sua cives redimentis; M. Curtij præcipitantis se in pestilentem specum, ut contagium à civitate averteretur: item Codrus Atheniensium dux, & alij; verùm etiam exempla historiæ sacræ, qualia sunt Simsonis Jud. 16. Mosis Exod. 22. Pauli Rom. 9. Davidis 1. Samuel. 17. quin & præceptum Domini habemus, quod huc pertinet; nimirum ut ponamus animam pro fratribus 1. Johan. 3, 16.

QUÆSTIO VII.

Quomodo Deus caritatem suam erga nos commendat in morte filij sui, & tamen nobis irascitur; quorum utrumque dicit Apostolus v. 8. & 9. nam irasci & amare sunt opposita?

Resp. Conciliatio est facilis: oppositio enim non est καθ' ἀυτὸ. *Irascitur nobis extra filium: amat nos in Filio. Filius ergò est radix pacis nostræ, ut eum D. Chrysostomus appellat super Psal. 121. & fundamentum vinculumque amoris erga Deum & nos. Deus enim extra Filium neminem hominũ amare potest: ita enim omnes sunt naturâ filij iræ, & de his ait Iohannes Baptista, qui non credit filio, ira Dei manet super illum Ioh. 3. fiunt autem filij Dei ex gratia per Christum Jesum. Qua de re præclarus extat locus. B. Lutheri tom. 6. Jen. ger. in libello de Missâ privatâ, pag. 85 b.* Et peccator sum, & nõ sum peccator. Peccator sum mihi ipsi extra Christum:

non ſum peccator in Chriſto extra me ipſum. Ipſe enim peccata mea delevit ſanguine ſuo.

QUÆSTIO IIX.

Socin. in lib. de Servatore part. 2. cap. 8. & part. 3. cap. 3.

Scribit Apoſtolus Paulus v. 8. Chriſtum pro nobis fuiſſe mortuũ: quid ſi illud, pro nobis, non notaret vicem noſtram, ſed tantùm utilitatem noſtram, ſicut Fauſtus Socinus hæreticus exponit, quaſi Chriſtus noſtræ utilitatis cauſſâ mortem oppetierit, non autem mortem eam, quam nos eramus meriti?

Chriſtus in noſtras pœnas ſucceſsit.

Reſp. Quòd præpoſitio PRO in ſcriptura ſæpè ſignificet vicem alterius, ſeu commutationem aliquam, multis exemplis doceri poteſt: ità enim dies pro anno dari dicitur Ezech. 4, 6. & Moſes Pharaoni pro Deo datus eſſe ſcribitur Exod. 7, 1. & impius pro juſto tradi ſcribitur Prov. 11, 8. hoc eſt, in pœnas juſti ſuccedere. Quòd autem hoc quoq; ſenſu Chriſtus pro nobis, mortuus fuerit, hoc eſt, noſtro loco mortem nobis debitã o[illegible]rit, atq; ſic in noſtras quaſi pœnas ſucceſſerit, inde probatur quòd vocatur mediator noſter inter Deum & homines 1. Tim. 2. quòd vocatur noſtra propitiatio 1. Ioh. 2. quòd dicitur præſtitiſſe ἀντίλυτρον pro noſtris peccatis, quòd nos redemiſſe ſcribitur ſanguine ſuo Act. 20. quòd in mundum ſe veniſſe dicit ipſe, ut ſalvaret quod perierat, Luc. 9, 50. quòd languores noſtros verè tuliſſe ſcribitur Eſa. 53, 4. quod, quæ non rapuit, ſolvit, Pſal. 69, 8. quòd traditus eſt propter noſtra delicta Rom. 4, 25. & infinita alia, quæ Chriſtum morte

innocentem

innocentem fuisse, ac proinde mortem non ipsi, sed nobis debitam, luculenter ostendunt. Huc pertinent omnia dicta de redemtione & merito Christi loquentia, quæ omnia sufficienter docent, mortem Christi non fuisse tantùm confirmationem doctrinæ, ut blasphemè loquitur Socinus; hoc enim pacto mors Christi non esset præstantior morte martyrum: verùm etiam compensationem pœnæ, quam nos Deo debemus, Ideò enim factus dicitur maledictum, ut nos benedictionem Abrahæ consequeremur Galat.3. factus est peccatum à Deo, ut nos fieremus justitia, 2. Cor. 5, 21. quæ omnia meritum & satisfactionem, nostro loco præstitam, inferunt, & blasphemiam hæretici jugulant; id quod incidenter hic monendum fuit.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Pax Dei & tranquillitas conscientiæ præcipuus justificationis nostræ fructus & effectus est. Impijs enim non est pax Esa.48, 22. quia Deum habent infensum, & timida est nequitia, dans testimonium condemnationis, semperq; præsumit sæva prava conscientia, Sap.17,1. sed qui pacem cum Deo habet, & pacatam conscientiam, is habet gaudium in tribulatione, divitias in paupertate, vitam deniq; in morte; quo nomine pax Dei omnem intellectum humanum superare scribitur, Phil. 4,7.*

2. *Pax Dei non adquiritur humanis viribus, sed per Christum Iesum, qui est princeps pacis, Esa.9. pax nostra, per quem habemus accessum in uno Spiritu ad Patrem Ephe.2, 14, 18. Idcircò concio angelica de nativitate Christi, erat concio*

pacis Luc.2. Primum Christi verbum ad discipulos, post resurrectionem, erat de pace Luc.24. & Evangelium, quod in suo nomine divulgari jussit in toto mundo, est & vocatur Evangelium pacis, Eph.6,15.

3. *Quemadmodum peccatum nos separat à Deo Esa.59. ita Christus noster est ἀγωγός, qui facit nobis accessum ad Deum, ad quem extra Christum nullus patet aditus. Falsum itaq; est, quòd vel B. Maria vel Sancti nos ad Deum adducant; sufficit nobis unicus Christus interpellans semper pro nobis Rom.8. sufficit unicus mediator inter Deum & hominem, homo Iesus Christus 1. Tim.2. Nemo enim venit ad Patrem, nisi per me, ut ipse inquit Joh.14.*

4. *Non quosvis, sed fideles tantùm Christus ad Patrem adducit. Accessum enim habemus ad Patrem per Christum in fide v.2. Et extra fidem impossibile est placere Deo Hebr.11. quin & Christus ipse absq; fide nobis otiosus est. Et hæ sunt oves Christi, quæ agnoscunt vocem Christi; cæteros infideles non novit Matth.7. ideò nec ad Patrem adducit.*

5. *Solidum fundamentum spei Christianæ est favor Dei, quo complectitur peccatorem in Filio suo. Is enim quia non est lubricus sed ex parte Dei ἀμετάβλητος, facit animum hominis firmiter adquiescere in adversis, nec quidquam de felici rerum quoq; pessimarum eventu dubitare: Bonis enim omnia cedunt in bonum. Hinc est illud Bernhardi ser.10. super Psal. 91. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit: caritatem adoptionis, veritatem promissionis, & potestatem redditionis.*

6. *Summa Christianorum gloria est, quòd sunt filij Dei. Quòd si enim filij, etiã hæredes, hæredes Dei, cohæredes autem Christi, Ro.8. Sed hæc filiatio, non nisi inde nobis obtingit, quòd*

Christum Dei filium habemus fratrem, unde & fratres nos vocare dignatur, Psal. 22. Joh. 20. Et Deum patrem suum & nostrum ibid.

7. *Afflictiones Christianorum carni quidem sunt adversæ, sed animo verè pio utiles & gloriosæ. Multa enim sunt earum commoda in vita communi: exercent patientiam, probant fidem, corroborant spem hominis, de quibus Paulus in specie hoc loco: excitant quoque preces & appetitum verbi divini, de quo Esa. 26. & 28. impediunt peccata, coercent carnis desideria: nam qui patitur in carne, desinit à peccato 1. Petr. 4, 1. Sunt etiam indicia & certi quasi Characteres domesticorum Dei; nam judicium à domo DEI incipit 1. Petr. 4, 17. Si quis ergò patitur ut Christianus, glorificet Deum isto nomine: bonum enim est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua Thren. 3, 27.*

8. *Spes hominum promissis innixa valde est lubrica: omnis enim homo vanitas est: sed spes in Deo posita non confundit, unde & ancora fidei vocatur Hebr. 6. Bonum itaque sperare in Domino, & non confidere in homine Psal. 118. sperantem in Domino misericordia circundabit Psal. 32, 10.*

9. *Qui credit, scit se credere: habet enim caritatem seu favorem Dei diffusum in corde suo: ideo sentit, se Deum habere propitium: unde sequitur certitudo de Dei auxilio in rebus adversis, de reconciliatione cum Deo, de justificationis gratia & vita æterna. Nam si cor nostrum nos non condemnat, habemus fiduciam apud Deum 1. Joh. 3, 21. Semper tamen excipitur status tentationis, ubi fides sæpe numero quasi extincta videtur, & tamen per intervalla subinde scintillat.*

10. *Spiritus Sanctus secundùm substantiam & dona sua est in fidelibus. Ipse testimonium dat de favore Dei in cordibus*

nostris: per dona verò sua nos vicissim ad amandum Deum & inserviendum proximo impellit. Ita verò cohaeret cum donis suis, ut nusquam sit otiosus, ubi ubi est: nam qui sunt filij Dei, aguntur Spiritu Dei Rom: 8. & vicissim, ubi opera Spiritus Sancti non animadvertuntur, ibi neq; Spiritū Sanctum suum amplius habere hospitium credendum est. Non enim intrat animam malignam Sap. 1. Hinc est illud Hilarij in Psal: 64. Est nobis per Sacramentum baptismi renatis maximum gaudium, cùm quaedam in nobis Spiritus Sancti initia sentimus, cùm subeat nos sacramentorum intelligentia, prophetiae scientia, sermo sapientiae, spei firmitas &c.

11. Christi mors & satisfactio excludit omne nostrum meritum: praestita enim fuit pro infirmis, hoc est, ijs, qui satisfacere ipsi non valebant: praestita etiam pro impijs, hoc est, pro ijs, qui condemnationem potius, quàm redemtionem merebantur.

12. Christus pro impiis mortuus exemplum patientiae nobis reliquit, ut & nos infracto animo injurias aliorum toleremus, & inimicis benefaciamus, sicut ipse hortatur Matth. 5, 44. Luc. 6, 27. huc pertinet locus 1. Petr. 2, 3.

13. Mors & pericula, quae sustinentur pro patria & amicis in caussa justa & honesta, commendatione digna sunt, quanquam carni non abblandiantur. Ideo enim D. Iohannes charitatem Christi vitam pro nobis profundentis, commendavit, ut & nos animam pro fratribus ponamus 1. Ioh. 3.

14. Longè sublimior est Dei amor erga homines, quàm erga creaturas reliquas, ne quidem angelis exceptis. Nam pro homine tantùm dedit Filium in mortem, quod filius ipse praedicat Ioh. 3. Tantò majore nos vicissim erga se amore obligat, quantò excellentiorem habemus dilectionis divinae obsidem, pro quo ut D. Basilius loquitur, nihil exigit à nobis

Deus,

Deus, nisi ut diligamus eum, & templa nostra ei servemus, ut ille semper in nobis habitet, & nos in illo permaneamus.

15. *Meditatio mortis Christi parit in nobis pietatis & fortitudinis Christianæ exercitium. Nam Christus pro salute nostra mortuus est: multò magis nos salutis nostræ conservandæ gratia carni aliquid detrahamus, aut patiamur ea, quæ divinitus injunguntur. Et quemadmodum ipse non nisi maximis cum doloribus quæsivit nostram salutem, non propriam gloriam; ita vicissim quæramus, quæ Christi sunt, non nostra Phil. 2.*

16. *Exemplum Christi doceat nos diligere inimicos nostros non tantum vulgari modo, ut dicamus, nos ipsos odio non habere, sed ut ipsos juvemus, ut vel emendentur vel sanentur, quemadmodum Christus pro salute inimicorum suorum mortuus est.*

17. *Absurdi sunt, qui omnes adæquè homines æquali dilectionis gradu dilectos esse dicunt: quod facere necesse est eos, qui distinctionem inter dilectionem generalem & specialem non admittunt, & ex generali dilectione universalem electionem faciunt. Paulus certè hoc loco diversos dilectionis gradus agnoscit, quando sic concludit: si, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, multò magis reconciliati salvi erimus; quasi diceret, si DEUS dilexit nos, antequam per CHRISTUM fide apprehensum cum ipso reconciliaremur: multò magis nos nunc diliget, postquam per fidem in Christum ipsi reconciliati sumus. De generali itaq; dilectione loquitur Christus Joh. 3, 16. omnes enim homines dilexit DEUS, & omnibus donavit filium: de speciali dilectione loquitur Paulus Eph. 1, 6. nam fideles tantùm & electos sibi fecit, in filio gratos & acceptos: generalis dilectio vocatur ἀγάπη, Specialis, χάρις.*

18. Meritoria justificationis nostræ caussa est sanguis Christi; hoc est, omnis ejus & actio & passio, quæ usitatâ scripturæ Synecdoche voce sanguinis exprimitur. In hoc ergò sanguine Christi solùm salus & justitia nostra quærenda est, non in sanguine martyrum, aut eorum, qui in sua propria corpora injurij sanguinem profundunt, redimendorum & expiandorum peccatorum gracia, ut hodierni Flagelliferorum Patroni blasphemant. Sanguis enim Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, Hebr. 9, 14.

PARS ALTERA
TEXTUS.

Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος. καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους, ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

12. PRopterea sicut per unum hominem peccatum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt.

(Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ· ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται, μὴ ὄντος νόμου.

13. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputatur, cùm lex non est.

Ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως, καὶ ἐπὶ τοὺς

14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos,

τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ, ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος.

Ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα· εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε.

Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα. τὸ μὲν γὰρ κρίμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα, τὸ δὲ χάρισμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα.

Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνός· πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες, ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάκριμα, οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς.

Ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί.

eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.

5. Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis JESU Christi in plures abundavit.

16. Et non sicut per unum peccantem, ita & donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.

17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem.

19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi:

οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι, κατασταθήσονται οἱ πολλοί.

ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.

Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα. οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις.

20. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.

Ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, οὕτω καὶ ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν.

21. Vt sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

QVoniam parte priore, Christo omne redemtionis nostræ meritum, omne reconciliationis nostræ cum Deo negotium adscripserat; ne quis dubitare posset, quomodo solus Christus hæc tanta præstare potuerit; jam collationem instituit inter Christum & Adamum, ut si constiterit, ex uno homine esse omnium condemnationem, mirum non esse appareat, ex uno homine esse nostram coram Deo justificationem. Quæ omnia eò tendunt, ut meritum Christi magis magisq; amplificetur. Occurrunt autem in ista collatione quædam paria, quædam imparia in Christo & Adamo. Pares sunt in eo, quòd Adam & Christus verus & unus homo, quòd uterq; stirpis rationem obtinet: quodq; omnes homines aliquid ab ipsis accipiunt. Impares sunt 1. partim respectu personæ. 2. partim respectu ejus, quod conferunt. 3. partim respectu medij seu modi, quo conferunt. 4. partim respectu finis, cujus gratia conferunt, sicuti de singulis in ipso textu audiemus. Πρότασις *bujus* συγκρίσεως *continetur v. 12. & constat prolixa expolitione, quæ per* ἐπιβολὴν *inspergitur, antequam subsequatur* ἀπόδοσις *in v. 18.*

Paritas & imparitas inter Christum & Adamum.

v. 18. ubi collatio tota aliquantò dilucidiùs proponitur. Ita ergo habet Apostolus: Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt, &c. *Connectit hæc cum præcedentibus per præpositionem caussalem διὰ τοῦτο, hoc sensu: Reconciliationem cum Deo nos habere per solũ Christũ, propterea, seu, similiter ac per unum hominem Adamum peccatum ac condemnatio in omnes homines pervenit. Concludit enim à contrariis effectis ad contrariam caussam. Hic verò fontem aperit omnis mali in mundo, quem tota philosophia gentilium ignoravit. Malum in mundo duplex est, unum culpæ, alterum pœnæ. Malum culpæ vocatur hic ἁμαρτία v. 12. παράβασις v. 14. παράπτωμα v. 15. παρακοή, v. 19. Malum pœnæ vocatur θάνατος v. 12. & κατάκριμα v. 16. Utrumq; ad unã communem caussam refertur, videlicet ad unum hominem;* Per unum hominem, *inquit Apostolus,* peccatũ in mundum intravit, & per peccatum mors, &c. *Homo ille fuit Adam, ut infrà v. 14. exprimitur, & 1. Cor. 15, 22. in Adam omnes morimur: à quo tamen non excluditur mulier, nam & huic tribuitur origo omnis mali, Syr. 25, 33. à muliere initium factũ est peccati, & per illã omnes morimur. Mulieri autem tribuitur ratione ordinis, quia Eva prior peccavit, 1. Tim. 2, 14. Adamo verò ratione propagationis. Per peccatũ intelligit peccatũ originale, quod quidem in Adamo fuit actuale, transgreßio nimirũ præcepti de arbore prohibita: in nobis autem est originale, quia per generationẽ naturalem nobis commune fit, & cum naturæ nostræ origine incipit.*

Malum in mundo duplex.
Malum culpæ.
Malum pœnæ.

[*Primum peccatum tria mala complectitur. 1. culpam actualem. 2. reatum legalem. 3. pravitatem naturalem. Horum*

omnium rei sumus participatione culpæ, imputatione reatus & propagatione naturæ.)

Hoc peccatum per Adamum introÿt in mundum, hoc est, ad omnes omninò homines in mundo pervenit (mundum enim hîc appellavit Apostolus universum genus humanum, inquit Augustinus in Enchirid. cap. 26.) ita ut nemo naturaliter natus ex posteritate Adami, à peccato & ejus effectibus immunis esse possit. Introÿt autem non per imitationem, ut olim Pelagiani contendebant, quasi posteri tantùm exemplo Adami primi parentis peccare didicerint; sed per propagationem naturalem, ita ut, propagatâ naturâ Adami, vitium naturæ revera simul propagatum fuerit. Fuit enim Adam quasi radix totius generis humani, in qua vel vita vel mors omnium hominum fuit: vita, si mansisset in statu integritatis; mors, postea quam jam sua integritate excidit. Quemadmodum itaq; ipso manente integro, nos quoq; integri & incorruptè fuissemus in lucem editi: ita nunc ab ejus lapsu nemo se excludere potest, sed in illo omnes peccavimus, omnes enim eramus Unus ille homo, ut Augustinus loquitur lib. 1. de remissione peccatorum cap. 10. vel ut Ambros. lib. 7. in Luc. exponit: in Adamo fuimus omnes: perÿt Adam, & in illo perierunt omnes. Quòd autem non per imitationem tantum peccatum Adami ad nos pervenerit, multis probari potest ex textu nostro: 1. ex instituta collatione Christi & Adami. Nam sicut Christi justitia venit in mundum, ita & injustitia Adami. Sed justitia Christi transit in mundum non per imitationem, ut volunt Photiniani novi hæretici, sed per regenerationem: ergo injustitia per generationem. 2. Si Apostolus de imitatione locutus fuisset, haud dubiè dixisset, non per unum hominem, sed per unum Angelum introÿt peccatum in mundum; nam ex imitatione Diaboli pervenit peccatum ad primos homines, sed propagatione

Peccatum originis non saltem imitatione ad nos pervenit.

gatione primorum hominum ad posteros, juxta illud: Invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum; imitantur autem eum, qui sunt ex parte ejus, Sap, 2. & 1. *Ioh. 3. ab initio Diabolus peccat. 3. peccatum & mortem in omnes homines* pertransijsse *scribit Apostolus, emphaticè notans, non similitudinem aut imitationem aliquam, sed realem diffusionem per totam naturam, qualis fit per propagationem. Hinc. D. Augustinus sedulò ursit hanc vocem;* Pertransijt, *inquit*, pertransijt, verbum attendite, quod audivistis, considerate: videte, quid est, pertransijt? inde est parvulus reus: peccatum non fecit, sed traxit: etenim peccatum illud non in fonte mansit, sed pertransijt; non in illum aut illum, sed in omnes homines pertransijt: *& serm: 4. de verbis Apostoli illud*, Pertransiit, *ita interpretatur, quòd peccatum non tantum in Adamo manserit, sed ex eo tanquam ex fonte ad posteros promanaverit.* 4. *In Adamo omnes peccasse dicimur v. 12. quia nimirum ab Adamo vitiosam naturam hausimus: ipse enim in seipso omnem suam stirpem tanquam in radice vitiavit, ut Ansbelmus super hoc caput loquitur; jam verò vitiosam naturam hausimus ab Adamo, non per imitationem, sed generationem: ergò & ipsum vitium non per imitationem, sed generationem habemus. 5. deniq., qualis est ratio effectus, talis est caussæ; sed effectus peccati mors introijt ad eos etiam, qui peccaverunt non ad similitudinem Adæ v. 14. ergo & peccatum non est similitudo, seu imitatio primi peccati &c. Sed hæc hactenus.*

Porrò per mortē *intelliguntur omnis generis calamitates, & tandē temporalis ac æterna maledictio, ideò infrà vocatur condemnatio v. 19. & hoc sensu passim alibi in scriptura sumitur, vi primæ maledictionis, Gen. 2, 17. vide loca similia. Deut. cap. 30, 15. Eze. 3, 8. 33, 8. Iob. 5, 24. Ose, 13, 14. &c. Ea per peccatum introijt in mundū, & sic in omnes pertransijt, quia in*

Adamo omnes peccaverunt. Est enim mors stipendium peccati Rom. 6, 23. Falsum itaq; est, quod Zuinglius olim scripsit: peccatū originis non esse peccatum, sed morbum & Christianorum liberos propter morbum istum non addici æterno supplicio: in declarat. de peccato orig. ad Vrbanum Regium.

Huc usq; primam hæreditatem descripsit Apostolus, quam à Protoplastis accepimus: jam objectionibus quibusdam occurrit. Et 1. quidem objicere poterant Iudæi, quomodo peccatum in omnes pervenire potuerit, cùm legem non omnes habuerint, quæ annis bis mille demum post conditum Adamum fuit lata: peccatum autem est transgreßio legis. Argumentum tale est: Vbi nulla lex, ibi nulla prævaricatio. Ante latam legem Mosaicam nulla fuit lex in mundo; Ergo nulla prævaricatio. Respondet Paulus v. 13. usq; ad Legem erat peccatum in mundo, peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset, *quasi dicat: Habebant quidem peccatum etiam ante latam legem, sed vim & atrocitatem ejus absq; lege non facilè animadvertebant (hoc vocat peccatum non imputari) ex lege autem vera est agnitio peccati, ut supra dixerat. Alioquin lex, cui repugnat peccatum originis, divinitus inscripta fuit mentibus hominum: est enim lex divina in primo & ultimo præcepto comprehensa; ad quam imago Dei homini concreata, conformata erat. Contra hanc itaq; legem mentibus insculptam fuit hominum peccatum ante legem Mosis latam, ut & contra præceptum Adamo seorsim datum in paradiso; quod in Adamo omnes transgreßi fuerant. Sed hanc responsionem expressè non ponit, contentus dixisse, peccatum fuisse ante legem, licèt non manifestè cognitum. Alteram responsionem subjicit, petitam ab effectu peccati v. 14.* Regnavit mors ab Adamo usq; ad Mosen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem

præva-

prævaricationis Adæ, qui est forma futuri: *quæ probatio tali potest includi syllogismo: Ubi effectus peccati locum habet, ibi est & ipsum peccatum. Sed in ijs, qui ante Mosen vixerunt, effectus & stipendium peccati, mors, locum habuit: Ergò peccatum habuerunt. Fuisse autem peccatum originale, simul probat eodem versiculo, hoc sensu: Quicunq; moriuntur, peccatum habent. Qui non peccaverunt actu ante Mosen, (hoc enim vocat non peccare in similitudinem prævaricationis Adæ: ejus enim peccatum actuale fuit) mortui sunt, ut multi infantes in diluvio, & paßim alibi. Ergò etiam, qui non peccaverunt actu, peccatum habent, originale nimirum: de quo propriè hoc loco loquitur. Addit autem, Adamum fuisse* τύπον seu formam futuri, *hoc est, Christi, ceu alterius Adami: est enim ex instituto consilioq; Dei mutua correspondentia inter Adamum & Christum, ut quemadmodum per Adamum peccatum & mors intravit in mundum; ita per Christum vita & justitia mundo restituatur, quemadmodum ista deinceps fusius & clariùs explicantur. Hinc igitur apparet, inter Adamum & Christum analogiam potius esse, quàm similitudinem. Nam, ut Origenes scribit in hunc locum, juxta genus est similitudo, juxta speciem repugnantia. Quiddam dimanavit ab utroq; in omnes: sed ab altero mors, ab altero vita. Et hactenus primam collationis partem habuimus inter Adamum & Christum, in quo pares fuerunt.*

Nunc ut dispares conferuntur. Consistit autem ista disparitas in tribus 1. in ipsa re, quæ posteris confertur. Adam confert παράπτωμα, *Christus* χάρισμα. Non sicut delictū ita & donum, *inquit Paulus: uterq; enim quod suum est, communicat; peccator peccatum; redemtor redemtionem à peccato. 2. in quantitate rei utrinq; commmunicatæ. Adam unà*

cum peccato intulit in mundum mortem: Chriſtus autem multò ampliorem redemtionis gratiam mundo contulit, quàm fuit deſtructio ex peccato Adami ad homines redundans. Hac de re ita loquitur Paulus: Si enim unius delicto multi mortui ſunt; multô magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis JESU Chriſti in plures abundavit. *Argumentum eſt à minore ad majus; cujus hæc eſt ratio, quia potentior eſt creatoris operatio, quàm creaturæ paſſio: efficacior ergò fuit Chriſti reſtauratio, quàm Adami corruptio. Fuit autem meritum Chriſti potentius & efficacius omnibus peccatis, duabus de cauſſis 1. quo ad remiſſionem & condemnationem peccati; quia nullum eſt peccatum tantum, quod non propter Chriſti meritum pœnitentibus remitti queat. 2. quo ad ſanationem peccati, & reſtaurationem naturæ, quia ſemper cum remiſſione peccatorum conjuncta eſt donatio Spiritus Sancti. Et hæc eſt ratio collectionis Paulinæ. Vocabula quod attinet:* Multi *dicuntur mortui delicto Adami, cùm tamen totus mundus peccati iſtius reus fuerit; quia hic non docet ex profeſſo univerſalitatem lapſus aut redemtionis, ſed duntaxat oſtendit, quòd ex uno in plures delictum derivari potuerit; dici tamen poteſt, Multos hîc æquipollere omnibus, quia non agit Apoſtolus de actu perditionis, ſed de cauſſa: ſicut & infrà v. 19. χάριν καὶ δωρεὰν ἐν χάριτι diſtinguit, non ut donum regenerationis & renovationis, ut perperam ſophiſticantur Pontificij, ſed ut cauſſam efficientem & meritoriam juſtificationis noſtræ. Nam χάρις θεοῦ eſt gratuitus Dei favor & dilectio, δωρεὰ ἐν χάριτι eſt juſtitia meritumq; Chriſti gratuitò nobis donatum, quæ infrà v. 17. vocatur δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης gratia juſtitiæ, nimirum per Chriſtum donatæ. 3. Tertia diſparitas conſiſtit in cauſſa perditionis & reſtaurationis. Perditio ab Adamo*

Chriſti meritum potentius eſt omnibus peccatis.

damo fuit illata in mundum per unum delictum ; non enim omnia Adami peccata posteris fuerunt communicata, sed primum illud, quod respectu subsequentium à nonnullis originale vocatur: Sed Christus ab omnibus omninò peccatis redemtionem adquisivit. De his ita habet Apostolus noster v. 16: Et non sicut per unum peccatorem (*scilicet mors venit in mundum*) ita & donum. Nam judicium quidem seu reatus ex uno(*scilicet peccato*) in condemnationem: gratia autem (*hoc est, redemtionis beneficium*) ex multis delictis in justificationem. *Sufficere itaq; potuisset ad condemnationem totius mundi, unius Adami primum peccatum: sed ad redemtionem CHRISTI non sufficit: facta enim est pro totius mundi peccatis. Hinc per expolitionem infert iterum, quod paulò ante notaverat, nimirum meriti Christi efficaciam longè potentiorem esse, quàm lapsus Adamitici offensam: plus enim posse Deum Creatorem reparando, quàm hominem peccatorem depravando. S*i enim in unius delicto, *inquit v.17.* mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per Jesum Christum. *Vbi nota discrimen inter delictum Adami, & justitiam CHRISTI: illud ad nos generatione naturali propagatur: hoc non nisi fide acquiritur & accipitur; ideò de delicto Adami simpliciter dicit*, mortem regnare per unum*: de justitia verò Christi*, accipientes justitiam regnabunt in vita. *Illa verò λῆψις fide fit Ioh.1,12.*

Et hæc fuit σύγκρισις Adami & CHRISTI per partes paritatis & disparitatis versiculis septem exposita: nunc vers. 18. & 19. σύγκρισιν ipsam summatim complectitur. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines

in con-

in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiã unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem justi constituentur multi. *Hæc omnia in præcedentibus sunt exposita. Opponuntur 1. unius delictum, scilicet Adami, & unius Justitia, scilicet Christi. 2. condemnatio & justificatio vitæ. 3. inobedientia Adami, & obedientia Christi. 4.* καπάςασις *seu cõstitutio peccatorum, & cònstitutio justorum. Ex Adami delicto & inobedientia cæteri peccatores & condemnationis rei facti sunt. Ex Christi verò justitia & obedientia cæteri à peccatis absoluti, & justitia coram Dei judicio donati sunt: est enim* κατας αθήσονται, *verbum forense, notans, ista omnia coram Dei judicio agi. Hactenus collatio primi & secundi Adami. Iam occurrit objectioni de usu legis invenatis: Nam si tam abundans est Christi meritum, quid prodest lex? respondet Paulus v. 20.* Lex subintravit (*hoc est, unà introÿt ad communem illum morbum, quo laborabant omnes Adami posteri*) ut abundaret delictum, *dum nimirum magnitudinem & atrocitatem peccatorum ostendit, ut eò magis rei declararentur peccatores coram Deo: hinc enim ipsum Christi meritum factum est tantò illustrius, quantò peccatum, quod eo expiandum erat, fuit atrocius. Ideò dicit,* ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia, *gratia nimirum remissionis peccatorum, quam antea peccatis potentiorem fecerat. Finis enim istius accusationis legalis non est desperatio, sed meriti Christi amplificatio; Illud enim in vita æterna imperium obtinere debuit, quam Christus nobis peperit, quemadmodum peccatum Adæ regnavit in morte, quam peccato suo in universum mundum proseminavit, ut & suprà docuerat.*

Para

Paraphrasis hujus partis.

NE verò vobis mirum videatur, quod dixi, nos omnes per Christum habere reconciliationem cum Deo, videte mihi quæso Adamum primum generis humani parentem. Nam per unum Christum justitia in nos omnes gratuitò pervenit, sicut per unicum illum *A*damum peccatum in omnes homines in mundo, cum quo simul mors invasit, & ad omnes penetravit, quia in *A*damo tanquam communi peccantium stirpe omnes peccaverunt. Etsi enim ante latam legem nullum in mundo videbatur peccatum esse: erant tamen omnes, qui ante legem ab Adamo usq; ad Mosen vixerunt, peccato obnoxij; quod inde constat, quia à morte non erant exemti ne quidem miselli infantes, qui actuale peccatum, quale fuit *A*dami, non habebãt: qualis igitur est ratio *A*dami & sui peccati, talis est & ratio Christi & suæ justitiæ: si enim illud transferri poterat ad posteros, quidni & isthæc ad alios? Quo ad hoc itaque isti duo pares sunt: jam verò immensa & non contemnenda occurrit in utroque disparitas. Nam *A*dam quidẽ iniquitatem propagavit ad posteros. Christus verò gratuitum Dei donum mundo contulit. *A*dam suo peccato mortem & perditionem disseminavit inter plures: gratia verò Dei, & quod huic cohæret, meritum Filij gratuitum, longè abundantius sese effundit super alios, quò excellentior est perditorum restauratio, quàm nondum lapsorum perditio. *A*dam per unicum arboris prohibitæ tactum, reatum mortis & æternæ condemnationis intulit in mundum: Chri-

ſtus autem pro omnium hominum delictis ſatisfecit, ut omnibus abſolutionem à peccatis, juſtitiam & ſalutem adquireret. Nam ſi propter unius delictum mors imperium obtinuit in omnes, eò quod delictum illud per carnalem nativitatem hauſerunt: multò magis abundabit gratuitus Dei favor per juſtitiam Ieſu Chriſti in omnes, qui juſtitiam illam verâ fide adquirunt. Relinquitur itaq; uti dixi, per unius Chriſti meritum & obedientiam omnibus adquiſitam eſſe vitam & juſtitiam; ſicuti per unius *Adami* inobedientiam extrema naturæ corruptio & æterna condemnatio in omnes propagata fuit. Non autem ſequitur, quod opinari poteſtis, reconciliationem, per Chriſtum partam, tollere legem à jam reconciliatis: ideò enim acceſsit uſus legis ad communem illum morbum peccati, quo ab uno homine omnes ſunt contaminati, ut ex accuſatione legis delictorum atrocitas innoteſceret, non in deſperationem conſcientiarum, ſed in amplificationem meriti Chriſti, cujus vis eò eſt potentior, quò iniquitas hominum, per Chriſtum expianda, fuit atrocior. Stat enim ſententia Dei, ut, quemadmodū peccatum Adami morti addixit omnes ejus poſteros: ita juſtitia Ieſu Chriſti Domini noſtri ex mera Dei gratia vitam & ſalutem quampluribus conferret.



Quæ-

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Per unum hominem ſcribit Apoſtolus, peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: quæritur igitur, ſi mulier ſola peccaſſet, num peccatum & mors tranſiiſſent in poſteros?

Reſp. Diſputant hæc de re ſcholaſtici, ſed otioſo labore, poſtquam jam conſtat, utrumq; peccaſſe. Et ſuprà notavimus in explicatione textus, Paulum noſtrum hoc loco non intelligere unitatem ſexus, ſed ſpeciei. Veriſimile tamen eſt, ſi Adam manſiſſet in ſtatu integritatis, peccatum ad poſteros propagari non potuiſſe, quia propagatio fit per generationem, Pſal. 51. cujus principium activum vir eſt. Hinc Origenes *ſuper hunc locum: Quia Apoſtolus de peccato loquebatur, ex quo mors in omnes homines pertranſierat, ſucceſſionem poſteritatis humanæ, quæ morti ob peccatum ſuccubuit, non mulieri aut Diabolo adſignat, ſed viro: non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro: & ob hoc mortalis poſteritas & corporalis ſucceſſio viro potiùs autori, quàm mulieri debetur. In quam ſententiam ſcribit D. Auguſtinus libr: 12. de Trinit. cap. 12. In illis duobus primis hominibus perſonam ſuam quiſq; portabat; & ideò ſi ſola mulier cibum ediſſet illicitum, ſola utiq; mortis ſupplicio plecteretur. Num autẽ Deus aliam ipſi additurus fuiſſet conjugem, incertum eſt, neq;*

Origenes.

Auguſtinus

nostrum, in ea inquirere. Stante hac sententia, labitur opinio Scoti, quam habet in 2. dist. 32. quasi Adamo non peccante, peccante autem Caino, ob hanc Caini prævaricationem posteri peccati originis rei tenerentur. Est hoc contra Apostolum nostrum, qui ait, per unum hominem peccatum intrasse in mundum, intelligens protoplastos, non protoplastorum filios: est enim contra præceptum Dei, quod dedit Adamo, pertinens ad totum genus humanum: tale verò commune præceptum Caino datum non erat; ergò peccatum Caini nihil attinet posteros.

QUÆSTIO II.

Quomodo mors per peccatum demum venit in mundum, cum homo videatur naturâ mortalis, quippe qui constat ex materia & forma, ejusq; corpus ex contrarijs, & invicē perpetuò pugnantibus qualitatibus; unde naturalis sequitur dissolutio?

Resp. Duæ sunt opiniones hæreticæ de mortalitate hominis ante lapsum: Vna est Pelagianorum, qui dicebant, hominem moriturum etiamsi non peccasset, teste Augustino lib. de hæres. hær. 88. Altera est Pontificiorum, qui docent, hominē secundum nudā naturæ suæ cōditionem, remoto dono supernaturali, morti esse obnoxium; ideò immortalitatem hominis ante lapsum vocant donum supernaturale: unde Bellarm: libr. de grat. primi hominis cap. 8. & Perer. disp. 7. in cap. 5. Rom. num. 34. pag 591. Vtrinq; statuitur, homini mortem fuisse naturalem etiā ante lapsum. Sed falsissimum hoc est & hæreticum dogma; cui opponimus hunc orthodoxæ Ecclesiæ

Aphorismum,

Aphorismum, petitum ex Augustini libr: 13. de civ. Dei cap. 15. Inter Christianos, qui veraciter catholicam fidem tenent, constat, etiam ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege naturæ, sed meritò inflictam esse lege peccati, quia peccatum vindicans DEUS dixit primo homini, in quo tunc omnes eramus: terra es, & in terram ibis. *Opinio Pelagianorum ab ipsis quoq; Pontificiis rejicitur, & refutatur omnibus iis scripturæ locis, quibus mors & afflictiones aliæ peccato adscribuntur, ut Genes. 2, 17: 3, 17. Sap. 1, 24. Rom. 5, 12. &c. Pontificiorum opinio eò tendit, ut probent alium errorem suum, nimirum naturalia post lapsum mansisse in homine integra: sed facilè refutari potest, observatis his duabus hypothesibus: 1. Quod de corpore hominis verum est, non statim verum est de toto homine: alia enim est partis, alia totius consideratio. 2. Mors hominis æstimanda est non tam ex principiis mixti corporis, quàm ex conditione animæ corpori unitæ: ea enim cessante, corporis & animæ dissolutionem sequi necesse est. Ex priori hypothesi respondemus ad rationem dubitandi in quæstione propositam. Concedimus enim corpus hominis constare contrariis qualitatibus mutuò pugnantibus, ex quibus tandem necessariò sequitur destructio mixti, & sic corpus ante lapsum, tanquam compositum ex elementis, naturaliter interitui obnoxium, non negamus. Non autem sequitur: ergò totus homo naturaliter, seu secundùm naturæ suæ considerationem, fuit mortalis. Homo enim non tantùm corpore constat, sed & anima: quæ anima illam à Deo habuit virtutem, vim & potestatem, ut conservare potuerit corpus à perpetua corruptione, si ipsa Dei præcepto perpetuò fuisset subjecta; accedente præsertim ligno vitæ, cujus usus robur & sensus corporis mirificè vegetare, & usque ad terminum suæ transmutationis,*

absque morte, sustentare potuisse. Cùm autem anima imperio Dei se subtraxisset, insecutum est peccatum, deperdita fuit vis illa animæ, cessavit usus ligni vitæ; tunc deniq; desiit etiam conditio illa animæ, quæ corpus regere, & à corruptione ex instituto Dei præservare, ipsa quoq; dolore & miseria vacare debebat; vicissim subsecuta est non modò corporis corruptio, verùm etiam animæ & corporis dissolutio, dolor & miseria animæ è conditione sua præter Dei ordinem deturbatæ, seu, ut Apostolus noster loquitur; peccatum, & per peccatum mors intravit in mundum. Hinc sequitur, immortalitatem primi hominis fuisse naturalem: mortalitatem autem cum aliis omnibus defectibus & miseriis, propter defectum hominis à Deo, successisse.

QUÆSTIO III.

Quando scribit Apostolus v. 12. per unius hominis peccatum mortem venisse in mundum; annon patrocinatur Pelagianis, qui peccatum originis in solo reatu lapsus consistere putabant: nulla enim hic fit mentio naturalis corruptionis?

Resp. Nullum patrocinium hic habent Pelagiani. Nam quòd non solùm reatus, sed & ipsum primum peccatum in posteros transierit, inde constat, quod Apostolus per unum hominem peccatum in mundum introiisse scribit, ipsum vitium originis intelligens, per quod natura corrupta fuit: Quodq; ideò mortem in omnes transiisse ait, qui in Adamo omnes peccaverunt, non modò sic, quòd in Adamo comprehende-

bamur

bamur nos omnes ejus posteri, verùm etiam, quòd in possessionem hæreditariam illius peccati pervenimus, illudq́; ad posteros propagamus. Docet igitur Apostolus, reatum primi peccati mediatè ad nos pertransiisse. Primùm enim per peccatum Adami transit in nos naturæ corruptio: deinde per corruptionem naturalem mors & condemnatio, aliàs nisi ipsum vicium primorum parentum in nos fuerit propagatum, primum peccatum illud, tanquam planè alienum, imputari nobis non potuisset.

QUÆSTIO IV.

Argumentatur Apostolus ab effectu; regnavit mors in eos, qui non actualiter peccarunt, sicut Adam, quales sunt infantes: ergo habent peccatum originis à primo parente in se propagatū v. 14. Videtur autem infirma collectio, quia morti obnoxij esse potuerunt, non quòd contraxerint peccata à parentibus, sed quòd Deus peccata parentum punit in liberis, juxta comminationes Exod. 20, 5. Ier. 32, 18.

Resp. 1. Dicta illa locum habent in peccatis personalibus, & quidem tunc demum, quando liberi imitantur peccata parentum: non autem in peccato naturali, quale erat peccatum Adami: illud enim punitur in ijs etiam, qui Adami peccatum imitari non possunt, ut sunt infantes, quia in ejus lumbis

lumbis nos eramus & peccabamus omnes: ergo & pœna peccati nobis est debita, non alienâ acquisita culpâ. 2. Locum habent illa dicta in pœnis temporalibus, non autem in Spiritualibus & æternis. Puniuntur interdum liberi propter parentum delicta corporali plaga, sed Spirituali pœnâ vel damnatione æterna nequaquam. Nam ut quisq; sua fide vivit, ita & quisq; propter sua peccata morietur, juxta illud Ezech. 18, 20. Anima quæ peccaverit, morietur: filius non portabit iniquitatem patris, neq; pater iniquitatem Filij &c. Cùm ergo Adam non saltem ad corporalem, sed spiritualem & æternam mortem fuerit damnatus: sequitur posteros propterea puniri non potuisse, quòd Adam peccavit, nisi & ipsi in Adamo eiusdem culpæ rei facti fuissent.

QUÆSTIO V.

Quomodo peccatum primi hominis nocere potest infantibus, cùm peccatum sit ex lege, Rom. 3, 20. quam infantes ignorant; & ubi lex non est, ibi nec prævaricatio, Rom. 4, 15. infantes autem nullius præcepti capaces sunt, quia carent rationis usu: ergo nec legem prævaricari, hoc est, peccare possunt?

Resp. Objectio hæc est Pelagij, qui existimabat, infantem morte præventum, non baptisatum perire non posse, quia sine peccato nascatur; & unumquemq; hominem propter propria condemnari peccata, in quibus primum peccatum imitatus fuerat, ut constat ex Epistola 89. August, ad Hilarium quæst. 3. Cum qua sententia prorsus consentit Zuinglius in lib. de baptismo anno 1525, ubi peccatũ Originis vocat morbũ in se non damnabi-

Zuinglij error de peccato originis.

damnabilem, sed vitium naturæ, quod quis citra suam culpam contraxit per generationem fol. 89. b. adhuc clariùs fol. 90. morbus hic, inquit, damnationem nobis afferre nequit, qui tùm demum subsequitur, cùm legem oculis nostris expositam conspicati, adhuc tamen morbo hoc & affectu corruptæ naturæ impulsi, legem transgredimur. Hæc ille. Sed hoc pacto Deus tyrannidis accusaretur, qui morte puniret infantes nil tale merentes; & falsum esset illud Pauli nostri, quod in omnes homines mors pertransierit, in eos etiam, qui non peccarunt ad similitudinem Adami: falsum etiam esset illud alterum, ex uno delicto factam esse condemnationem hominum, cùm ex adversarij sententia illud delictum nihil eis nocuerit; sed dicendum fuisset, ex multis delictis, quæ nimirum quisq; facit, fieri condemnationem, quemadmodum pulchrè colligit Augustinus loco dicto. Quod attinet locum Rom. 3. loquitur ibi D. Paulus non de peccati propagatione, quam hîc ex uno homine esse scribit in omnes; & quæ etiam in ijs est, qui sine legè peccarunt Roman. 2, 12. sed de peccati agnitione: ex lege enim est agnitio peccati, inquit; quam agnitionem peccati infantibus deesse fatemur; non autem sequitur, deesse ipsum peccatum: sunt enim multa occulta delicta Psalm. 19. & 90. In 4. cap. Rom. generaliter loquitur Apostolus de prævaricatione legis, quæ etiam ab infantibus fieri posßit in communi parente Adamo: ipsi enim sicut Adam transgreßi sunt pactum, prævaricati sunt in me, inquit Dominus Ose. 6, 7. & hoc sensu scriptum est, Psal. 119. prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ. Eo enim modo, quo sunt peccatores etiã prævaricatores legis illius, quæ in Paradiso data est, agnoscuntur, inquit Augustinus lib. 16. de civ. Dei cap. 27. ubi & hæc addit: Etiam parvuli non secundum vitæ suæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem;

omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt.

QUÆSTIO VI.

Si primum tantùm Adami peccatum propagatur ad posteros, in quibus originale vocatur: ergòne peccatum tantum originale remittitur in baptismo, quia dicit Apostolus noster: sicut unius delicto multi mortui; ita gratia unius hominis in multos abundavit?

Resp. Ita quidem colligit Pererius disp. 10. in cap. 5. Rom. num. 54. ob id infantes baptisantur, *inquit*, in remissionẽ peccati non actualis, quod in illa ætate facere non potuerunt, sed originalis, quod ex Adam nascendo traxerunt. *Sed fallitur ac fallit alios: nam baptismus est lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu Sancto Tit. 3. quæ regeneratio & renovatio sine remotione peccatorum actualium fieri non potest: & Christus mundavit sibi sponsam Ecclesiam suam lavacro aquæ in verbo, ut in ea non sit macula nec ruga Eph. 5. Ideo vocatur baptismus stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo 1. Petr. 3. Sed bona conscientia cum peccatis actualibus, præsertim voluntariјs consistere nequit. Quam ob causam D. Augustinus scribit lib. 3. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 3. omnia factorum, delictorum, cogitationum nostrarum vitia per baptismum ablui. Etsi igitur infantes tempore accepti baptismi actualia peccata, præsertim ex habitu peccandi profecta, non faciunt: habent tamen διάθεσιν peccandi: & baptismi effectus etiam ad ea tendit peccata, quæ in adulta ætate sunt subsecutura: aliàs in adultis omne*

solatium

solatium baptismi in infantia percepti expiraret. Comparatio autem Paulina non respicit numerum delicti vel contracti vel expiandi, sed similitudinem ac proportionem utriusque radicis, quarum una mortem, altera vitam propagat in mundo.

QUÆSTIO VII.

Numquid rectè scribit Apostolus, Christi gratiam magis abundare, quàm peccatum Adami v. 15, 17, 20. siquidem peccatũ Adami latiùs patere videtur, quàm Christi gratia: omnes enim homines ex Adamo peccatum contrahunt, per Christum autem non omnes regenerantur, atque sic non omnes gratiam Christi participant?

Resp. 1. *Abundantia gratiæ Christi cum lapsu Adamitico collata, non consideratur ratione objecti, sed adjuncti, hoc est, non ratione hominum, sed ratione rerum, quæ utrobique conferuntur: ubi sanè longè abundantior thesaurus sese offert in restauratione, quàm abyssus malorum est in corruptione. Nam Adamus uno peccato homines infecit; Christus ab omnibus peccatis absolvit: Adamus contaminavit naturam integram, & absque vitio creatã; Christus nõ tantũ abluit maculam, sed & cõtulit sanctificationem: Adam abstulit beneficium, quo potuit homo non mori; Christus effecit, ut homo non possit mori &c: Perperã itaque facit Pererius, quòd abundantiã gratiæ Christi ex numero eorũ colligit, qui vel in Adamo lapsi, vel in Christo servati, quando scribit disp. 12. in cap. 5. Rom. nu. 59. omnes*

equidem regeneratos per Christi gratiam justificatos esse; non autem omnes peccato Adami infectos esse; excipi enim B. Virginem. Quæ exceptio frivola est & impia, reclamans Apostolo nostro, qui ait, in Adamo omnes peccasse v.12. neq; in B. Virgine privilegium aliquod aut exceptionem divinam ostendere potest Esauita, de qua nugatur disp. 8. in hoc cap. qua de re plura egimus supra cap. 3. part. 2. quæst. 2. Ad quæstionis enodationem secundo loco sciendum est, abundantiam meriti Christi considerari non ratione actus, sed potentiæ, seu sufficientiæ & efficaciæ. Etsi enim actu non omnes eo fruuntur, actu tamen pro omnibus est præstitum, eiusq; est potentiæ & efficaciæ, ut si mille mundi essent redimendi, si & angeli lapsi ex decreto Dei essent restituendi ad id longè esset sufficientissimum & efficacissimum. Est enim meritum filij Dei immensum & infinitum, cum quo neq; extensivè (ratione quantitatis) neq; intensivè (ratione qualitatis) lapsus Adami conferendus est.

QUÆSTIO IIX.

Cùm Apostolus Paulus scribat, ex uno peccato Adami esse judicium seu reatum in condemnationem v.16. quæritur à nonnullis, qualis ea sit condemnatio seu pœna, qua puniuntur parvuli in peccato duntaxat originali decedentes?

Pœna damni & sensus.

Resp. Vsitata est distinctio scholasticorum in Papatu, inter pœnam damni & pœnam sensus: illam vocant carentiam visionis divinæ; hanc cruciatus & tormenta gehennæ. Pœnam sensus & damni tribuunt decedentibus in peccatis actualibus: æternā quidē ac infernalē in mortali peccato; temporalem, quæ

in pur-

in purgatorio luenda sit, in veniali peccato decedentibus. Pœnam damni decedẽtibus in solo peccato originali, quos remittunt in limbum, quem vocant, puerorum; qua de re vide Durandum lib. 3. dist. 22. quæst. 4. Gregor. de Valent. tom. 2. disp. 6. quæst. 17. de tertio effectu peccati punct. 4. fol. 818. Pererium disp. 13. in cap. 5. Rom. num 62, 63. p. 624. Sed ignorat hanc distinctionem universa scriptura, quæ ut duas tantùm habet classes hominum, credentium & non credentium, ita duo quoque tantùm habet loca pro defunctis, cœlum aut infernum; omnesq; è cœlo regnoq; Dei excludit, qui fide carent Matth. 16, 16. Iohan. 3:36, 5, 24. quales omnes sunt in peccatis morientes. Qui autem extra regnum Dei est, eum in inferno esse certum est; non enim nisi cum Diabolo est, qui non est cum Christo, inquit Augustinus lib. 1. de peccat. mer. & remis. cap. 28. Autoritatibus Ambrosii seu commentatoris in epistolam Pauli sub nomine Ambrosij, Bernhardi, Innocentij Papæ, quas allegant Pontificij, opponimus contraria loca D. Augustini serm. 14. de verbis Apostoli, & in Enchir. cap. 93. inprimis autem locum Fulgentij, quem & Valentianus commendat, & tamen contra conscientiam errori inveterato Pontificiorũ subscribit. Ita verò habent verba Fulgentij libro de fide ad Petrũ cap. 27. Firmissimè tene, & nullatenus dubita, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cùm de matribus nati, sine Sacramento baptismatis de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos. *Hæc ille; quæ tamẽ verba cum grano salis accipienda sunt, de infantibus extra Ecclesiam natis. Nam de infantibus Christianorum in casu necessitatis absq; sua vel parentum culpa baptismo carentibus, meliora speramus: hos enim Deus extra ordinem regeneratio-*

nis beneficio donare potest, præsertim si precibus piorum parentum Deo, adhuc utero matris inclusi, fideliter offerantur, quod alibi rationibus & exemplis probari solet.

QUÆSTIO IX.

Vrgent inprimis Pontificij v. 19. hujus capitis: sicut per unius obedientiam justi constituti sunt multi &c. pro inhærente sua justitia. Ita enim concludunt: Sicut peccatores constituuntur per Adamum, ita justi per Christum: sed per Adamum constituuntur peccatores intrinsecè ac formaliter, per peccatum in ipsis intrinsecè manens, & non per peccatū Adæ ipsis imputatum: per Christum igitur etiam constituuntur justi per justitiam ipsi datam, & in ipsis intrinsecè manentem, & non per justitiam Christi ipsis imputatā?

Hæc sunt verba Pererij disp. 17. in cap. 5. Rom. num. 74. similia habet Bellarm. lib. 2. de justific. cap. 3. & 7.

Resp. *Antithesis Paulina eò se non extendit, quò eam trahunt Pontificij. Non enim conferuntur Christus & Adamus, quò ad modum justitiæ vel injustitiæ nobis collatæ; aliàs sequeretur: quemadmodum Adami injustitia nostra fit per generationem carnalem, ita & justitiam Christi per generationem carnalem in nos proseminari, id quod apertè negat D. Johannes cap. 1, 13. Sed considerat Apostolus in hac antithesi. 1. salutis ac condemnationis nostræ caussas: sicut enim condemnatio ab Adami inobedientia; ita salus ab obedientia Chri-*

tia Christi, 2. obedientiæ & inobedientiæ effecta: sicut enim per inobedientiam Adami constituuntur peccatores: ita per obedientiam Christi constituuntur justi. 3. Utriusque subjecta: sicut enim inobedientia Adami transijt in omnes; ita obedientia Christi præstita est pro omnibus. Ulterius hæc antithesis extendi non potest. Quomodo verò obedientia Christi nostra fiat, suprà docuit, nimirum per imputationem fidei cap. 4, 9. Quod si maximè extendatur ampliùs, ut fiat collatio nõ tantùm inter reatum, quem habemus ab Adamo, & absolutionẽ à reatu, quam habemus à Christo: verùm etiam inter depravationem naturæ, quã habemus ab Adamo, & sanctitatem naturæ, quã habemus à Christo: illa tamẽ sanctitas nõ ad justificationem, sed sanctificationẽ pertinet. Quòd autem utitur Apostolus vocabulo constituendi, *quod inprimis urgent Bellarminus & Pererius, nequaquam propterea infertur inhærens aliqua justitia; sed vocabulum illud notat, 1. justitiam à Christo verè nobis esse partam, nosque per Christum verè fieri justos. 2. nostram justificationem fieri in judicio Dei, ubi non novus justitiæ habitus infunditur, sed accusati à peccatis absolvuntur, & pro justis verè reputantur.*

QUÆSTIO X.

Numquid præsidij habet figmentũ universalis electionis: ubi abundavit delictũ, ibi superabũdavit gratia, v. 20? Ita enim hinc colligitur: Si, qui per Adamũ fuerunt perditi, in Christo iterum sunt restaurati: sequitur omnes eos, qui in Adamo fuerunt perditi, in Christo ad vitam fuisse prædestinatos?

Resp.

Resp. I. In hoc capite D. Paulus ne verbo quidem meminit prædestinationis, sed de justificatione agit. Si autem valeret illa collectio; sequeretur omnes quoq; homines justificatos esse: jam verò Scriptura passim ubiq; docet, justificationem fieri per fidem: fides verò non est omnium: ergo nec justificatio. II Confundit *articulum redemtionis & electionis. Redemtio seu restauratio generis humani requiritur quidem ad electionem nostram, sed eam nondum absolvit. Plura enim requiruntur, quæ recenset formula concordiæ fol. 763. lat. edit. Lips. 1. Redemtio & reconciliatio totius generis humani cum Deo, de qua hoc loco agit Apostolus noster. 2. vocatio, qua offertur nobis misericors Dei voluntas per verbum & sacramenta. 3. Fides, quæ accenditur per verbum 4. Justificatio, quæ sequitur ex fide. 5. sanctificatio. 6. nostri defensio contra Diabolum & infernum. 7. perseverantia in fide usq; ad finem. 8. æterna glorificatio. Uno horum deficiente, Electio propriè loquendo dici non potest. III. distinguendum est inter adquisitionem & applicationem meriti Christi. Illa quidem universalis est; hæc particularis, vitio hominum, qui reparationis gratiam non agnoscunt, aut contemnunt. De illa loquitur Apostolus noster, non de ista. Absq; applicatione autem nemo electus esse potest: nam electio adsequitur justitiam Christi, ut infrà Paulus docet cap. 11, 7. Quòd autem Christi meritum & Dei gratia abundare dicitur supra delictum, id non numerum electorum concernit, sed præstantiam & abundantiam effectus ac doni. Nam vita & justitia per Christum parta longò excellentior est morte, quam Adami delictũ ad posteros proseminavit. Latiùs etiam se extendit Christi liberatio, quàm Adami ad nos deducta captivatio. Hæc enim ex uno delicto venit; illa ex omnibus delictis nòs ad libertatem transtulit.*

Requisita Electionis ex form. Concordiæ.

Apho

Aphoriſmi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Peccatum diverſo reſpectu refertur ad Diabolum, Adamum, & unumquemq; hominem. Ad Diabolum, reſpectu imitationis & ſuggeſtionis: Scriptura enim, cùm de primo autore peccati, quem peccatores imitentur, loquitur, diabolum nominat, Gen. 2. Sap. 2. Ad Adamum refertur, reſpectu propagationis: is enim eſt unus ille homo, per quem peccatum in mundum introÿſſe ſcribitur. Ad homines deniq; cæteros, reſpectu voluntatis, quæ ſuggeſtionibus Diaboli paret, & ab Adamo primum peccatum jure hæreditario accipit.*

2. *Peccatum, quod hodie originale vocatur, in Adamo fuit actuale & perſonale: in nobis etiam naturale dicitur, nō quòd ſit de eſſentia naturæ, ſed quia corruptio cum ipſa natura adſumitur. Aliàs diſtinguendum eſt inter ipſam naturam, ipſiusq; naturæ concreatas proprietates, & inter vitium, quod poſt lapſum ad naturam accedit, eamq; corrumpit.*

3. *Hæreticum eſt, quod Eunomius & Manichæi olim docebant, peccatum eſſe à malo & æterno principio ortum. Etſi enim non eſt increatum quid, talis enim ſolus DEVS eſt, neq; creaturis quiddam concreatum: talia enim omnia bona ſunt: non tamen eſt à Deo productum, ſed à Diabolo primo homini adſperſum, & per iſtum in cæteros propagatum: unde ſæpe vocatur contagium, quia ex contagio vitiata natura à parentibus in liberos propagatur.*

4. *A peccati contagio neminem eſſe exemtum docet Apoſtolus Paulus partim eo, quòd in lumbis Adami fuimus*

omnes: ideo dicit, in quo omnes peccaverunt. *partim ab effectu peccati, morte nimirum, quæ omnibus expectanda est. Falsum itaq; est, quod Pontificij, Pererius inprimis, scribunt, B. Mariam singulari Dei gratia à peccato fuisse præservatam. Nam & ipsa originem suam habet ab Adamo, & morti fuit subjecta.*

5. *Mors, quæ complectitur omnis generis miserias, est stipendium peccati: id quod Apostolus expressè hòc & infra cap. 6. docet: mortẽ enim Deus nõ fecit, sed invidiâ Diaboli intravit in mundum Sap. 2. unde sequitur, Christũ naturâ non fuisse mortalem, quia fuit ἀναμάρτητ☉, sed quòd mortuus est, spontaneæ liberrimæq; suæ fuit voluntatis: ideò dicit: nemo tollit animam à me, sed ego ponam eam à me ipso, Ioh. 10, 18.*

6. *Multa sunt occulta peccata, quæ tamen mortem adæquè merentur, ac aperta. Scribit enim Apostolus; peccatũ etiã ante legem fuisse in mundo: sed non fuisse agnitum, nisi ex lege. Hoc enim est officium legis, adducere ad agnitionem peccatorum, quemadmodum suprà docuerat cap. 3, 21.*

7. *Optima de vitijs & virtutibus judicandi norma est lex divina, vel humana, quæ cum divina consentit. Idcircò Augustinus libr. 1. de civ. Dei cap. 21. scribit, legem esse justißimæ rationis imperium. Nam mens humana cæca in divinis, non rectè judicat de vitijs aut virtutibus: sæpè gravißima peccata pro levibus aut nullis habet. Vnde Paulus noster scribit v. 13.* peccatum non imputabatur, cùm lex non esset; *hinc orta descriptio legis apud Johannem: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία 1. Ioh. 3, 4. & in hoc capite sæpeq; alibi παράβασις transgreßio seu prævaricatio Legis appellatur; vide August. Enchir. cap. 78.*

8. Distin-

8. Distinctio inter peccatum originale & actuale fundamentum habet in hoc loco. Dicuntur enim quidam peccasse non ad similitudinem prævaricationis Adami; Prævaricatio verò Adami fuit actualis: dissimile igitur est aliquod peccatum actuali, quod vulgò originale vocatur, quia cum ipsa natura suam habet originem.

9. Morti tribuitur regnum seu imperium in homines v. 14. quatenus sunt extra Christum: in Christo enim sunt ipsi domini mortis, nam quòd moriuntur, Domino moriuntur, Rom. 14. & Christus devicit eum, qui habebat mortis imperium, diabolum. Hinc est triumphus Christianorum: absorpta est mors in victoria, ubi est mors victoria tua, ubi est, mors, stimulus tuus &c. 1. Cor. 15, 54.

10. Iustum est Dei judicium, per quod propter primi parentis delictum liberi nascuntur peccatores, & morte puniuntur. Adam enim post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se, tanquam in radice, vitiaverat, pœnâ mortis & damnationis obstrinxit, inquit Augustinus in Enchirid. cap. 26. Nam æs alienum à parente contractū hæredibus solvendum est, licèt nondum natis esset contractum: sicut vicissim nobilitas parentis ad liberos etiam nascituros redundat.

11. Peccatum primi parentis per imitationem ad posteros transire negat Apostolus v. 14. transit autem originaliter, inquit Augustinus lib. 2. contr. Pelag. cap. 40. hoc est, unà cum natura in posteros proseminatur: sicut quæ nascuntur, sui seminis vitia naturaliter trahunt ac retinent. Hujus ergo proseminationis duæ dari possunt caussæ. 1. lex Adamo lata, quæ fuit universalis, pertinens ad totum genus humanum, quod peccante Adamo, peccavit universum. 2. lex naturæ, quâ fit, ut, quod ex alio nascitur, ejus indolem repræsentet: ita

vipera viperam, fons sulphureus rivum sulphureum, massa acida panē acidū, homo corruptus hominē corruptū producit.

11. *Falsissimum est axioma Pontificium: omne peccatum esse voluntarium. Nam & ijs, qui nō ad similitudinem Adami, (hoc est, qui non voluntariè) peccaverunt, peccatum tribuit Apostolus v. 14. Et si peccatum omne voluntarium esset, infantes non essent peccatores; in ijs enim talis voluntatis consensus non reperitur, qualem in peccato requirunt Pontificij.*

13. *Mors Christi est læsæ in Adamo naturæ medicina: ea enim redundat in eos ad vitam, qui in Adamo interemti erāt, quod Apostolus noster non saltem hîc v. 15, 16, 17. seqq. docet, verùm etiam 1. Cor. 15, 22. Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur. Error igitur est non levis eorum, qui existimarunt, incarnationem Filij Dei fuisse necessariam, etiamsi homo non peccasset: contra quem errorem disputat multis Bernhardus epist. 190. contra sectam Petri Abailardi.*

14. *Sufficientissimum est Christi meritum pro extinguendis omnium hominum peccatis. Est enim infinitum Filij DEI meritum ex infinito fonte misericordiæ divinæ profluens. Nemo itaq; ex opere redemtionis exclusus est, quia abundantior est gratia Dei, quàm delictum. Delictum autem transit in omnes; ergò multò magis gratia: ita enim argumentatur Apostolus v. 15. 17. 20. &c. quod contra particularitatem Calvinianorum observandum est.*

15. *A Redemtionis negotio exclusum est omne humanum meritum: id enim ostendit antithesis inter Adamum tanquā unum hominem & Christum, ut unum: ideò etiam toties repetitur, Unius Jesu Christi esse hoc beneficium v. 15. 17. 18. 19. &c. cum quo consentit universus Prophetarum chorus, teste Petro Act. 10, 43. 4, 12.*

16, Mem o

16. *Memorabiles aliquot fructus, qui ex morte Christi ad nos redundant, hoc in textu Apostolico occurrunt 1. peccati hominis gravitas & multiplicitas inde agnoscitur v.16. 2. Justificatio ei adscribitur ibidem. 3. fons gratiæ apertus & effusus in homines v.16. 4. vita & salus omnibus parata. v. 18. 21. 5. exemplum humilitatis & obedientiæ propositum v.19. De quibus omnibus vide præclarum locum Augustini in Enchirid. cap. 108. Cùm genus humanum peccata separaverint longè à Deo, per Mediatorem (qui solus sine peccato natus est, vixit & occisus est) reconciliari nos oportebat DEO usq; ad carnis resurrectionẽ in vitam æternam ut & humana superbia per humilitatem DEI argueretur ac sanaretur, & demonstraretur homini, quàm longè à DEO recesserat, cùm per incarnatum Deum revocaretur; & per hominem Deum exemplum obedientiæ contumaci homini præberetur, & unigenito suscipiente formam servi, quæ nihil antè meruerat, fons gratiæ panderetur, & carnis etiam resurrectio redemtis promissa in ipso redemtore præmonstraretur, & per eandem naturam, quam se decepisse lætabatur Diabolus, vinceretur.*

17. *Primum primi hominis peccatum Apostolus noster vocat inobedientiam, quâ voce lapsum Adami exaggerat: nam quoddam peccatũ ariolandi est, repugnare; & quoddam scelus idololatriæ, nolle adquiescere 1. Samuel. 23. At multa alia in hoc peccato concurrunt, ut defectus à Creatore, divini honoris appetitus, superbia & ambitio, sacrilegium in arboris prohibitæ tactu, contemtus mandati divini, & quæ sunt his similia. Itaq; extenuandum non est, ut faciunt nonnulli; quantum enim decedit lapsui Adamitico, tantùm etiam decedit merito Christi. Quando autem scriptura Tob. 4, 14. Sir. 10, 15. primum peccatum Adami dicit fuisse superbiam, sciendum est, verum hoc esse de affectu Adami, qui ex superbia ad peccandum commotus*

motus est: sed quoad offensam & damnum, quod redundavit in posteros, inobedientia fuit primum peccatum: propterea enim Deus offensus est Adamo, quòd inobediens erat mandato divino, Gen. 3, 17.

[*August. l. 14. C. D. c. 13. In occulto mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas: porrò malæ voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia? Hæc Augustinus. Sciendum autem est, quòd peccatum Adami non fuit formaliter & specialiter inobedientia: sed tantùm materialiter & genericè: h. e. non peccavit, volens esse inobediens vel per contemtum præcepti divini; sed volens comedere fructum, à Deo sibi interdictū, fuit inobediens,* Deo)

18. *Antithesis inter inobedientiam Adami & obedientiam Christi manifestè evincit, non tantum passivam sed & activam Christi obedientiam ad opus redemtionis nostræ pertinere. Inobedientiam enim Adami activam fuisse, extra controversiam est.*

19. *Sententia Pauli v. 20. ubi abundavit delictum, superabundavit gratia, non est pro impijs & securis, sed pro consternatis & verè pœnitentibus, non ut confirmentur peccatores in peccatis; sed ut erigantur adflicti, & reficiantur tentati. Qui enim gratiâ Dei abutuntur ad licentiam peccandi, iram Dei sibi multiplicant; huc refer locum Siracidæ 5, 6. &c.*

20. *Impia & desperabunda vox Caini est: Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear, Gene. 4, 13. cui opponenda est hæc Pauli: Abundat gratia supra delictum. Nam si reprehendit nos cor nostrum, Deus major est corde nostro, & novit omnia, inquit Iohannes, 1. Ioh. 3, 20. ergo noverit etiam peccatores absolvere.*

CAPUT

CAPUT VI.

Argumentum & Partitio Capitis.

Dependet hoc Caput ex præcedente quinto, in cujus fine memorabilem gratiæ divinæ commendationem adjecerat Apostolus. Dixerat enim, gratiam Dei abundantiorem esse hominum delicto v. 20. inter alia etiam eam ob caussam, quia meritum Christi, in quo Deus dilexerat mundum, ejus est amplitudinis, ut non modò ad redimendum mundum hunc, sed &, si plures essent redimendi, sufficere, propter immensitatem τοῦ λύτρου *per mortem Christi præstiti. Iam verò obÿcere poterat ratio; ergo gratuita hominis justificatio tollit studium benè vivendi, & introducit licentiam peccandi? Huic opponit se Apostolus in hoc capite, ostendens tantum abesse, ut justitia fidei studium bonorum operum impediat, ut potiùs illud tanquam præclarum effectum, in justificatis producat. Atq; hac occasione de novo Iustitiæ effectu agit Apostolus in hoc Capite, quam usitatè* sanctificationem *vocant. Etsi verò totum hoc caput uno contextu cohæret, ut ægrè in partes secari queat; ordinis tamen gratia bipartitum illud facimus.*

In I. parte continetur dehortatio à licentia vivendi usq; ad v. 11.

In II. parte exhortatio ad studium benè vivendi, tanquam proprium justificatorum officium.

PRIMA PARS TEXTUS.

Τί οὖν ἐροῦμεν; ἐπιμενοῦμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ;

Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet?

2, Absit

Μὴ γένοιτο· οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν αὐτῇ;

2 Absit: qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?

Ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν;

3. An ignoratis, quia quicunq; baptisati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptisati sumus?

Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον· ἵνα ὥσπερ ἠγέρθη χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν.

4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

Εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα.

5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus:

Τοῦτο γινώσκοντες, ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ.

6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.

Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας.

7. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccatis.

Εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν χριστῷ, πιστεύομεν, ὅτι καὶ συζήσομεν αὐτῷ.

8. Si autem mortui sumus cum Christo; credimus, quia simul etiam vivemus cum illo.

Εἰδότες ὅτι χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν, οὐκέτι ἀποθνήσκει· θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει.

9. Scientes, quòd Christus resurgens ex mortuis, jam non moriatur: Mors illi ultrà non dominatur.

Ὃ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ· ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ.

10. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem nunc vivit, vivit Deo.

11. Itaq;

Οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν εἶναι τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν.

Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι, εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ.

11. Itaque & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.

12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

PRincipio objectionem ipsam adversariorum ponit, præmissa quæstione Apostolicæ gravitatis plena, quæ planum facit, se non ex sua sed adversariorum sententia loqui. Quid ergo dicemus? inquit, quasi dicat: Iterum amoliendæ sunt calumniæ à doctrina pietatis. Sequi enim putant homines corruptæ mentis, permanendum esse in peccato: ut gratia abundet, v. 1. *ex qua impia opinione, meam quoq; de Iustitia fidei doctrinam impietatis arguere volunt. Objectio adversariorum talis est: Quicquid gratiam Dei facit abundantiorem, in eo permanendum est. Peccata gratiam faciunt abundatiorem. Ergo in peccatis permanendũ, seu peccatis strenuè, absque omni pœnitentia indulgendum est; hoc enim significat permanere in peccatis. Major per se liquet: Minor est Apostoli Pauli v. 20. præcedentis* Capitis, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. *Huic cavillo respondet Apostolus 1. per simplicem inficiationem:* Absit: *quasi indignum illud æstimet, cui respondeatur. Est enim mera sophisticatio, ex fallacia particularitatis & accidentium profecta. Non enim de omni peccato dixerat Apostolus, quod abundet supra delictũ, sed de peccato pœnitentium, quod est ex lege serio cum dolore agnitum; ideò dicit legem subintrasse, ut abundaret gratiam, dum nimirum atrocitas delicti in lege ostenditur:*

 bis

bis gratia parata est amplißima per Christum, qui peccatū in se recepit; impœnitentibus autē & securis peccatoribus ista dicta nō sunt. 2. inficiationis suæ rationes addit, & calumniā illā refutat 1. argumēto petito à natura justitiæ fidei: Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo v. 2. *Mori peccato ambiguè dicitur:* Vel *enim significat perire ob peccatū, quo sensu & nos omnes ante conversionem mortui peccato fuimus, Eph. 2, 1.* vel *significat expiare & toller peccata, quo sensu infrà in hoc cap. v. 10. Christus peccato mortuus dicitur, quia peccata nostra expiavit:* vel *significat liberariâ peccato, vel deniq; valedicere peccato. Posteriores duæ significationes huc quadrant. Nā justificati fide, liberati sunt à peccatis per Christū; ideò jam ipsorum propriū est, cavere, ne hospes semel exclusus iterū apud ipsos locū inveniat. Vivere in peccato idē est, quod alibi dicitur, esse in peccatis 1. Cor. 15, 17. hoc est, peccati reatu adhuc teneri peccatis indulgere, & non nisi mala licenter operari; vivēdi enim voce peccatoribus operationem tribuit: & hæc duo in vicē se consequuntur. Nā qui adhuc habēt reatum peccati, ij peccatum licenter operātur, quia à Spiritu Dei nondū ducuntur. Est ergò sensus argumenti Paulini iste: Quorum proprium est liberatum esse à peccato & valedicere peccato, eorū non est, indulgere peccatis, aut facere peccata. Justificatorū fide proprium est, quòd liberati sunt à peccatis, ijsq; valedicunt: Ergo non debent indulgere peccatis. Minorē Syllogismi propositi probat Apostolus v. 3. à baptismo Christi, quod ex parte Dei est organum justificationis nostræ:* An nescitis, *inquit,* quòd quicunq; baptisati sumus in Christo Jesu, in mortē ipsius baptisati sumus? *Baptisari in Christo est ablui à peccatis in nomine Christi instituētis ac præcipiētis usum hujus sacramenti, operantis etiā ac promerentis remißionem peccatorum, quam in baptismo accipimus: cui quoq; nos per sacramentum baptismi totos dicamus atq; consecramus. Baptisari in mortem Christi, est 1. per baptismum fieri participe*

Mori peccato quid sit.

Vivere in peccato quid sit?

Baptisari in Christo quid.

efficacia mortis Christi, quæ peccatum in nobis abolevit, vitam ac justitiam impetravit. 2. Deo promittere fidem istorum beneficiorum, & mortificationem peccati: Et ita complectitur hæc phrasis simul & efficaciam & conformationem mortis Christi. Summa ergò probationis hæc est: Quicunque baptisati sunt in Christo Jesu, hi per mortem Christi liberati sunt à peccatis, & valedixerunt licentiæ peccandi. Iustificati fide baptisati sunt in Christo: ergò per mortem Christi liberati sunt à peccatis, & valedixerunt licentiæ peccandi, ὅπερ ἔδει δεῖξαι:

Secundum argumentum, quo calumniam Adversariorum refutat, petit à contrario, hoc sensu: Justificatis surgendum est à peccatis: ergò non permanendum in eis. Antecedens illustrat mystica interpretatione Resurrectionis Christi v. 4. Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. *Quo versiculo duo agit ad præsens institutum pertinentia. 1. Spiritualem mortem peccati, qua nos peccato mori seu valedicere jubemur, confert in mysterio morti Christi. Quemadmodum enim ipse naturaliter & verè mortuus est: ita revera peccatum in nobis spiritualiter mortificatum, imò sepultum omninò est per baptismum, ubi partim reatus peccati, partim dominiũ, quod habiturum alioquin erat in homine, ipsi ademtum est. 2. novitatem vitæ confert in mysterio resurrectioni Christi; quemadmodum enim ipse nõ modò mortuus est, sed & resurrexit à mortuis ad meliorẽ vitã & statũ gloriæ: ita & justificatis fide satis nõ est, resistere peccatis, sed & incedendũ est in integritate vitæ: & hoc usitatè* Renovatio *vocatur, quæ ad novam obedientiã pertinet. Dicitur autem Christus resurrexisse PER gloriã Patris, non quasi aliena virtute surrexerit, sed quia primatus originis in hac divina potestate ad Patrẽ, à quo filius per æternã generationẽ habet omnia, referẽdus est, quemadmodum* [illegible] *4. part. 2. quæst. 5. fuit explicatum*

Syllogismus, quo antecedens superioris Enthymematis illustratur, hic est:

Propter quos Christus resurrexit à mortuis, hi à peccatis quoque resurgere debent.

Propter eos, qui justificati sunt fide, resurrexit à mortuis.

Ergo justificati fide non indulgere debent peccatis, sed à peccatis resurgere.

Majorem argumenti probat v. 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, quasi *dicat, conformes Christo facti sumus non tantùm in morte, verùm etiam in resurrectione: hæc enim duo divelli non possunt in Christo, & ad quem mors ejus spectat, ad eum etiam resurrectio. Quemadmodum igitur ad similitudinem mortis Christi, mortui sumus peccato, ita etiam ad similitudinem resurrectionis, nobis resurgendum est à morte peccati ad viva opera justitiæ.*

Tertium argumentum itidem petit à contrario eodem sensu cum præcedente, aliter tamen illustrat, instituta comparatione mystica crucifixionis Christi cum crucifixione veteris Adami v. 6. Hoc scientes quòd vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato. Vetus homo *vocatur non ratione substantiæ, sed ratione qualitatum & accidentium vitiosorum, qualia sunt in homine ante regenerationem, & quales inveteratæ reliquiæ etiam homini renato adhærent: idē vocatur hîc corpus peccati, non quasi peccatum sit substantia, sed quia corpori arctissimè & hæc in vita inseparabiliter adhæret.* Crucifigi *dicitur vetus homo, quando desideriis carnis seriò resistitur, id enim non fit sine molestia & cruciatu gravissimo carnis; neque etiam levissima tantùm pravorum affectuum fractio,*

Vetus homo.

ctio, verùm totalis extirpatio hac voce præcipitur. Servire peccato *est desiderijs carnis in omnibus morem gerere, seu, ut alibi exponitur, desideria carnis perficere, vel ut suprà dicebat, in peccato permanere.* Destruitur corpus peccati *nō quando substantia hominis interimitur, sed quando pravitas adfectuū exuitur: destructio enim accidentalis, non substantialis intelligitur. Sensus igitur hujus argumenti hic est: Quod crucifixio Christi abolevit, ei non est serviendum. Veterem hominem, seu corpus peccati crucifixio Christi abolevit: abolitionem enim peccati mysticè significavit v. 6. Ergò &c. Ratio consequentiæ additur v.7.* Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato; *quæ generalis sententia est, & hoc in loco geminum habere potest sensum: vel enim intelligitur de morte naturali, in qua demum hominis plenaria fit liberatio à peccatis & omni alia servitute, per crucifixionem autem Christi nos mortui sumus peccato: ergò cessamus à peccando, & exemti sumus à servitute peccati: vel de civili morte potest accipi, hoc sensu; Civiliter mortui nullis servitijs sunt obstricti: justificati per crucifixionem Christi mortui sunt peccatis: Ergo nullis servitijs amplius peccato sunt obstricti. Quia verò quamplurimum referebat, ut sciremus, mortem & resurrectionem Christi etiam hac ratione, quatenus exemplariter nobis proponuntur, cohærere; ideo iterum hoc inculcat v.8.* Si mortui sumus cum CHRISTO, credimus, quòd simul vivemus cum Christo; *ea nimirum ratione, quæ modò explicata fuit. Qua occasione nonnulla de morte Christi attexit 1. quòd mors Christi semel fuit præstita, non amplius iteranda. 2. quòd mortem ipse non promeruit, sed pro peccatis nostris fuit mortuus. 3. quòd à morte resurrexit & jam Deo vivit, hoc est, ad gloriam Dei in Ecclesia sua amplificandam sempiternam vitam vivit, quæ nulla unquam*

Servire peccato.

privatione dignitatis aut gloriæ suæ contaminabitur. Ex his capitibus collationem instituit inter Christum & justificatos, qui ejus imaginem gerunt v.9,10,11. Quemadmodum enim Christus pro peccatis nostris semel mortuus, nunc in sempiternum vivit; ita justificatorum est, peccato, à quo per mortem Christi semel fuerunt liberati, valedicere, & vitam agere Deo placentem, juxta voluntatem & exemplum Jesu Christi: hoc enim est peccato mortuum vivere Deo in Christo Jesu Domino nostro, v.11.

Paraphrasis hujus partis.

SEd hîc nobis iterum defendenda veritas est sanæ doctrinæ contra calumnias Adversariorum. Sunt enim qui ex eo, quod diximus, ubi abundat delictum, superabundare gratiam, colligunt, hanc doctrinam latam aperire fenestram licentiæ peccandi, quasi propterea indulgendum sit peccatis, quia veniæ portus apud Deum peccatoribus semper patet. Verùm hæc calumnia maximâ cum impietate est conjuncta. Nequaquam enim hoc ex nostra doctrina de gratuita justitia fidei sequitur, sed potius contrarium. Nam qui justificati sunt fide, liberati sunt à peccatis & valedixerũt peccato, quomodo ergo peccandi licentiam habere possunt? Quod si qui vestrũ, ô vos mei, istis calumnijs præoccupati fuerunt, cogitate quæso, quid in baptismo nostro factum: an vos latet, quòd qui in nomine Iesu Christi baptisantur, ita cum Christo coaluerunt, ut vi mortis Christi liberati à peccato, vitæ ac justitiæ facti fuerint participes? Nam in baptismo sepelivimus concupi-

ſcentias veteris Adami, & vi mortis Chriſti carnem noſtram mortificavimus, nõ tantùm ut à peccatis abſtineremus, verùm etiam, ut adſumta nova virtute ſanctè & inculpatè vivere incipiamus, ac ſi in cœlis eſſemus, quemadmodum Chriſtus non modò eſt mortuus, ſed & depoſita infirmitate à mortuis reſuſcitatus per glorioſam potentiam Patris nunc in cœlis vivit & regnat glorioſus in æternum. Meritò enim reſurrectionis ejus participes ſumus, qui ideò cum Chriſto coaluimus in baptiſmo, ut morti ipſius conformaremur, & ſuo tandem tempore plantas juſtitiæ Deo noſtro ferremus. Quemadmodum igitur pravitas veteris Adami ad ſimilitudinem Chriſti crucifixi ſimul crucifigenda, & quo ad ejus fieri poteſt, extirpanda ac deſtruenda eſt, ut è ſervili jugo peccati emancipemur: ita & ad ſimilitudinem Chriſti reſurgentis à mortuis ad novam & glorioſam vitam, nobis quoq; reſurgendum eſt à morte peccati, ad novitatem vitæ ſanctæ & cœleſtis. Non enim locum habet amplius in renatis ſervitus peccati: huic enim mortui ſunt: ergò & per dominiũ ejus nullis amplius ſervitiis ſunt obſtricti. Tantum itaque abeſt, ut gratuitum Chriſti meritum fide apprehenſum inferat licentiam peccandi, ut potius ab eo unicè dependeat beneficium hoc, quod peccatis valedicere, & pietati ſtudere valemus. In morte enim ſua exemplum nobis reliquit, & virtutem dedit, ut & nos peccatis moriamur: in vita autem ſeu reſurrectione ſua, ut & nos vitam vivamus Deo placentem. Quemadmodum ergo mors jam poſt reſurrectionem nullam amplius habet dominium in Chriſtũ:

(ſemel

(semel enim mortuus est ob peccata nostra; jam vivit vitam sempiternam in gloria Dei) ita scitote, vos mei, qui semel à peccatis liberati, valedixistis carnalibus desiderijs, vos non ampliùs succumbere debere mortuis operibus, sed vitam instituere sanctam in nomine Iesu Christi Domini nostri, qui vos à servitute peccati vindicavit. Vsq; adeò gratuita fidei justitia meritumq; Christi licentiam peccandi non stabilit, sed extremè aversatur.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Cùm Paulus scribit, nos in Christo & in mortem Christi baptisatos esse, numquid derogat verbis institutionis Christi, quibus jubemur baptisari in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti, Matth. 28?

Resp. *Nequaquam. Non enim formulam baptisandi indicat, sed ostendit tantùm, nos in fidem, doctrinam, confessionem atq; meritum Christi baptisatos esse, quo sensu etiam Apostoli in nomine Domini Iesu baptisasse scribuntur, Act. 2, 38. 10, 48. 19, 5. quos præcepti Christi, quo in nomine omnium trium Personarum baptisare jubebantur, tàm citò oblitos fuisse, non est verisimile. Deinde phrasis illa, baptisati sumus in nomine & in mortem Christi, non derogat, sed adstipulatur verbis institutionis. Nam (ut Fulgentius loquitur lib. de incarna & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 11. pag. 727.) omnis,*

omnis, qui in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Sacramento sanctæ regenerationis abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine baptisatur: & Basil. lib. de Spirit. Sanct. cap. 12. ait, in scriptura dici baptismum in nomine Christi quasi per compendium, eò quòd appellatio Christi totius Deitatis est confessio: declarat enim & Deum qui unxit, & Filium qui unctus est, & Spiritum sanctum qui est unguentum. Æquipollentes itaq; sunt locutiones, baptisatum esse in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti, vel in nomine Sacrosanctæ Trinitatis, vel in nomine Christi, vel in mortem Christi, quarum variatio substantiæ baptismi nihil derogat. Sed in praxi alia formula utendum non est, quàm quæ extat in verbis institutionis: Ego baptizo te in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti; à quibus temerè recedere, religio nobis esse debet, tùm propter alias caussas, tùm quia unaquæq; persona in hac sacrosancta actione confert, quod suum est: Pater cum baptisato fœdus init. Tit. 3, 5. 1. Petr. 3, 21. Filius universum passionis suæ meritum baptisato offert, & communicat Rom. 6, 3. Ephe. 5, 25. Spiritus sanctus nos renovat & regenerat, pactum fœdusq; obsignat, Joh. 3, 5. Tit. 3, 5. Ephe. 1, 14. &c. Quam ob caussam Eunomianis, ut peculiaris hæresis adscribitur, quòd temerariè non in SS. Trinitatem, sed in mortem Christi baptisarint, ut est apud Socratem lib. 5. cap. 34. & Zuinglio vitio fertur, quòd in libro de vera & falsa religione, loco de Baptismo, scribit, non esse necessariam ullam certam verborum formam in Baptismo. Quod si tamen quædam Ecclesiæ alia quadam formula uterentur, certis gravissimisq; de caussis, salva & invariata manente sententia verborum Christi, nos quidem morem illum non imitandum censeremus, neq; tamen baptismum ista formula factum judicaremus irritum. Non enim literis aut Syllabis dictionum Magicam aliquam vim adscribimus. Quo sensu haud dubiè scri-

De Formula baptisandi.

Luth.tom. 2. lat. fol.272.

psit Lutherus in lib. de capt. Babyl. cap. de Sacram. Baptismi: Quocunq; modo tradatur baptismus, modò non in nomine hominis, sed in nomine Dei tradatur, verè salvum facit. Erroneam igitur & superstitiosam esse judicamus sententiam Bellarmini, qua docet ex opinione Sententiariorũ: Baptismum aut absolutè aut sub conditione repetendum, si detur in nomine Christi aut alterius cujusdam personæ (Trinitatis) sine expressione aliarum; cum quo consentit Gregor. de Valent. disp. 4. de Baptismo secundùm se, quæst.1. punct. 3. dissentiunt Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap.3. Cajetanus sup. 3. part. quæst.66. Thomæ art. 6. Beda in cap.10. Actor. Hugo lib.2. de Sacramentis part.6. cap.3. &c. Repetitionem autem Baptismi, sive absolutè sive cum conditione factam, pœnam incurrere gravissimam probat Gregor. Valent. disp. 4. de bapt. quæst. 1. punct. 4. fol. 789.

Bellar, lib. 1. de baptis. cap. 3.

Gregor. de Valent. tom. 4. operum fol. 772. seqq.

QUÆSTIO II.

Si per Baptismum morimur peccatis, non tantùm peccata in baptismo teguntur, vel nõ imputantur, ait Perer. disp. 1. in cap. 6. Rom. num.6. Sed penitus delentur ac tolluntur. Si enim peccata manerent in baptismo, quæ antea fuerant in nobis, non posset verè dici, nos esse peccatis mortuos: mors enim peccatorum extinctionem & abolitionem denotat.

Peccata esse & deleta esse non sunt opposita in renatis.

RESP. 1. *Malè opponuntur, delere & non imputare peccatum. Delentur enim ex rationali Dei, quando pro non factis habentur,*

bentur, sed ex gratia remittũtur: quod fit in baptismo, ubi chirographum, quod contra nos est, sanguine Christi oblitteratur & inducitur: unde illud Augustini; peccata non sunt, cùm peccatori non imputantur; quâ de re sæpius alibi. 2. Peccata sunt in renatis post baptismum non quo ad reatum, is enim plenissimè in baptismo sublatus est, neq; etiam quoad plenum dominium, huic enim dum resistunt, peccato paulatim mori dicuntur: sed quo ad reliquias, cum quibus assiduè luctandũ est, de qua lucta Apostolus ex professo agit capite sequenti. Ideò hoc in capite ait, nos περιπατεῖν circumambulare in novitate vitæ, notans imperfectionem renovationis nostræ, in qua quotidiè est progrediendum & proficiendum; nunquam enim ad perfectionem hac in vita veniemus, sed quasi in circumferentia circuli tendimus ad metam continuo cursu bonorum operum, donec veteri homine penitùs exuto ad centrum perveniamus, hoc est, ad pristinã Dei imaginem, ad quam conditi eramus, perfectissimè renovemur; quod fiet in altero seculo. Quod si enim hac in vita perfectionem assequeremur, hortationes Apostolicæ essent de nihilo, quæ nos jubet renovari de die in diem, 2. Cor. 4, 16. perficere sanctificationem, 2. Corin. 7, 1. & crescere in Christo capite nostro Ephe. 4, 15. Hinc est illud Augustini lib. 2. cont. Iulianum, Baptismus sanat vitiatum à reatu statim, ab infirmitate paulatim: & epist. 105. reatus concupiscentiæ in Baptismo continuò aboletur, sed non infirmitas continuò sanatur. Falsum autem est, quod scribit Esauita, mortem peccatorum notare extinctionem & abolitionem, eam nimirum, quam ipse intelligit, ut ne quidem ampliùs insit peccatum in baptisato. Non enim dicit Apostolus, peccatum esse mortuum, sed nos peccato, ita nimirũ ut dominium peccato non permittamus, juxta monitum Apostoli vers. 12. ne regnet peccatum in mortali vestro corpore;

quæ verba sententiam Pontificiorum omninò pessundant: non enim, inquit, peccatum non sit, sed non regnet in vobis. Quamdiu enim vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet, inquit Augustinus tract: 41. Johan. Morimur itaq; peccato, partim in regeneratione, quando reatus peccati beneficio Christi tollitur, partim in renovatione, quando peccato regnum & dominium auferimus, & tunc verè illud extinguimus, quia vires emergendi aut nocendi non concedimus.

QUÆSTIO III.

Quo sensu scripsit Apostolus v. 5. nos in baptismo complantatos Christo in similitudinem mortis ejus: num eo, quòd baptismus sit nudum duntaxat spectaculum aut figura passionis Christi, vel exemplum tantùm, & similitudo spiritualis nostræ mortificationis, ubi præterea nihil conferatur aut obsignetur, ut Anabaptistæ & alij nonnulli volunt?

Resp. Videtur eò ferè inclinare D. Augustinus in Enchirid. cap. 52. de hoc ipso loco scribens his verbis: Sacri Baptismatis grande mysterium commendavit Apostolus, eo modo, ut intelligamus, nihil aliud esse in Christo baptismum, nisi mortis CHRISTI similitudinem: nihil autem aliud mortem Christi, nisi remissionis peccati similitudinem, ut quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum

torum; & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio. Sed notandum est 1. Apostolum Paulum hic secundarium fructum baptismi præcipuè attingere, quòd nimirum per Baptismum morti & resurrectioni Christi, in mysterio conformes reddimur, moriendo peccatis & resurgendo ad novitatem vitæ: primarius autem baptismi fructus est regeneratio, quæ in baptismo & confertur & obsignatur, de quo baptismi fructu Apostolus agit v.4. quando scribit, nos in mortem Christi baptisatos esse, per illam enim purgati sumus ab operibus mortuis Hebr.9. & ex professo Tit. 3. Eph.5. ubi baptismum vocat lavacrum aquæ in verbo, item lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu Sancto. 2. Apostolus Paulus utitur voce ὁμοιώματ☉, quæ non nudam quandam significationem & evanidam tantùm repræsentationem rei alienæ notat, sed conformitatem quandam atque typum mortis Christi, quòd quemadmodum Christus verè mortuus est, vereque resurrexit; ita & nos baptisati vereque mortui simus peccatis, dum liberati sumus à peccati reatu per baptismum, & beneficio baptismi reluctamur desiderijs residuis: & quemadmodum Christus verè resurrexit à mortuis, ita nos verè à morte peccatorum resuscitati ambulemus in novitate vitæ. Et hoc respectu Augustinus ὁμοίωμα illud similitudinẽ nominare voluit, intelligens conformitatẽ & analogiã illam, quæ est inter Christi crucifixionẽ & luctã nostrã, quam habemus cum peccato; item, inter Christi mortem & nostram liberationem à reatu peccati, quæ confertur & obsignatur per baptismum in ijs, qui eum salutariter acceperũt. Quemadmodum enim surculus arbori implantatus ejusdem arboris virtutem atque succum consimilem participat: ita qui in mortem Christi baptisantur, efficaciæ mortis CHRISTI per baptismum verè fiunt participes. Facessant igitur ex hoc

sacramenta nuda, similitudines & inanes significationes. Baptismus utrumq; præstat, 1. adumbrat mortificationem carnis nostræ, ac resurrectionem à peccatis, id quod olim in Baptismo primitivæ Ecclesiæ immersione & extractione ex aquis significabatur. 2. quod præcipuum est, liberationem à morte & peccatis, morte & resurrectione Christi adquisitam, confert & obsignat: ideo salvare dicitur per resurrectionem JESV Christi 1. Petr. 3. & Augustinus libr. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 24. Christianos laudat, qui Baptismum vocarent salutem; & sacramentum Corporis Christi, vitam, ne sacramenta putentur nudæ rerum imagines; sed potius vera & efficacia gratiarum Dei in nos effusarum testimonia.

QUÆSTIO IV.

Quicunq; baptisati sunt in Christo, in mortem Christi baptisati sunt v. 3. hoc est, à peccatis liberati ac per mortem Christi regenerati. Hypocritæ baptisati sunt in Christo. Ergò in mortem Christi baptisati seu regenerati sunt (complectitur enim hæc phrasis efficaciã mortis Christi.

Resp. Major vera est de ijs, qui fidem habent, & ipso actu effectum baptismi consequuntur, id quod ex contextu constat. Agit enim Apostolus non cum hypocritis, sed cum renatis, quorum fides annunciabatur in universo mũdo Rom. 1, 8. ideò seipsum includit, nos, *inquit,* quotquot baptisati sumus &c. *tales igitur regenerationis gratia & mortis Christi efficacia ipso actũ potitos affirmat Apostolus: planè sicut & ad Galatas scripsit cap. 3, 27. omnes filij Dei estis per fidem in Christo Jesu:*

quicunq;

quicunque enim in Christo Iesu baptisati estis, Christum induistis: itidem non de hypocritis agit, sed de iis, qui per fidem sunt filii Dei. Substantiam itaque Baptismi accipiunt hypocritæ in nomine Christi baptisati, fructu autem baptismi propria sua culpa destituuntur, quia non credunt, neque renovantur, neque ingressum habent in regnum cœlorum, neque sunt filii Dei aut templa Spiritus Sancti, quæ omnia renatorū propria sunt. Possunt tamē regenerationis fructu potiri, quamprimum credunt, vi baptismi ab initio accepti: non secus atque ii, qui in pueritia quidem regenerati, postmodum verò motum petulantia, regenerationis gratiâ exciderunt, actâ pœnitentiâ ad pristinum Filiorum DEI statum redire possunt, non secus ac si in eodem statu perpetuò mansissent. Manet enim baptismus ex intentione DEI semper lavacrum regenerationis, sive baptisatus fidem habet, sive non. Si habet, statim regeneratur: Si non habet, verum quidem baptismum accipit, cujus tamen fructum tum demum consequitur, quando deposita hypocrisi, credere incipit.

QUÆSTIO V.

Numquid patrocinatur Flacianis, quòd Apostolus de peccato disserens, vocat veterem hominem, & corpus peccati v. 6. hæc enim vocabula aliquid substantiale inferre videntur?

Resp. Quid sit vetus homo, quid corpus peccati, in explicatione textus dictū fuit. Hic summatim hoc teneatur 1. Vetus & Novus homo non significant duas substantias, sed in una eademque

eademq́; substantia duplicem statum hominis exprimunt; alterum peccati, alterum justitiæ & sanctitatis. Corpus peccati non corpus hominis in se, sed totum hominem peccato pollutū denotat. Fallunt itaq; Flaciani fallacià à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Nam dicta scripturæ complexa ipsi incomplexè accipiunt; veterem hominem, pro ipso homine, corpus peccati pro ipsa corporis substantia in se considerata. 2. Si maximè D. Paulus peccatum ipsum corpus nominaret, non tamen substantia corporis humani intelligenda esset; sed fieret hoc per metaphoram, quia habet se ad actualia peccata, quæ ei adhærent, veluti corpus ad membra: per ea enim sese exerit: quam ob caussam stuprum, immunditia, mollities, concupiscentia mala, & avaritia vocantur membra peccatorum, quæ sunt super terram, Col. 3, 5.

Aphorismi Theologici ex
hac parte capitis.

1. *Quæstiones dubias, quæ legenti scripturas scrupulum facere possunt, proponere, expendere & dissolvere, non est inutilis diligentiæ, multò minus superstitiosæ curiositatis, sed summæ necessitatis: quo in genere facem nobis præluxit Apostolus in hac Epistola, qui subinde sibìipsi cogitationes adversariorum objicit, & accuratè respondet, cujus exemplum in principio hujus capitis occurrit. Quod autem alibi Timotheo & Tito suo præcipit, ut à stultis & ineruditis quæstionibus abstineant, 2. Tim, 2, 23. Tit. 3, 9. hoc nihil ad studium eorum, qui docent discernere pretiosum à vili, eaq; proponunt, quæ vel ad redarguendos adversarios veritatis, vel ad informandum animum in rebus dubiis, ad vitam Christianam*

verò

verò necessariis, pertinent. Talia enim non ad μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις referenda sunt, sed ad διδασκαλίαν, ἔλεγχον καὶ παιδείαν, quam ex scriptura petendam esse docet Apostolus 2. Tim. 3, 16 quin & ad scrutiniũ scripturæ à Christo commendatum, Ioh. 5, 39.

2. *Inveterata calumnia Pontificiorum est, quando dicunt justitiam fidei aperire licentiam peccandi. Idem enim objici audimus Apostolo, idem etiam solidè & nervosè hic refutatur. Ita nihil novi est sub sole, sed cum antiquis hæresibus antiquas etiam calumnias & convitia subinde Satan revocare solet ab orco, quibus ex scriptis Apostolorum occurrere maturè discamus.*

3. *Calumniæ Pontificiorum ex altera parte succenturiatus est Epicureismus, qui non nisi fidem jactat, opera nihili facit; ut & Libertinorũ hæresis, qui docebant, unumquemvis Christianorum libero Spiritu Deo servire posse, & quodcunq; cuiq; animi sui impetus suggesserit, esse Spiritus sancti opus: quam hæresin à Simone Mago homine profligatißimo hausserunt, qui fidem, quam ipse docebat, servantibus, licentiam vivendi permittebat liberrimam; referente Eusebio lib. 2. hist. cap. 13. & Iren. lib. 1. cap. 20. his omnibus locus hic Apostolicus opponendus est. Evangelium enim non est vinculum iniquitatis.*

4. *Ea demum vera vita est, qua vivimus Deo, mortui peccatis. Hæc enim est vita verè cœlestis, cujus anima est Spiritus sanctus qui vivificat, Ioh. 6, 63. Quemadmodum enim corpus absq; anima neq; sensum neq; motũ habet animalem, ita homo absque Spiritu Dei, neq; intelligere neque facere potest, quæ sunt Dei, 1. Cor. 2. Quam ob causam de filio prodigo scriptum est, quòd mortuus fuerit, nimirum cùm genio indulgeret, & revixerit, cum per pœnitentiam reverteretur ad*

Patrem Luc.15,32. & de viduis lascivis scriptum est, quod viventes mortuæ sint. 1. Tim: 5,6.

5. *Mors Christi, in quam baptisamur, duo in nobis efficit, regenerationem & renovationem: illam meritoriè, hanc exemplariter & typicè. Nam per mortem Christi nostra extincta sunt peccata, ut nobis nocere amplius non valeant, juxta illud; traditus est propter delicta nostra Rom: 4,25. Mors quoq; Christi mysticam hanc significationem habuit, ut peccatis moriamur, eorumq; imperium in nobis, quoad ejus fieri potest, extinguamus.*

6. *Baptismus in Christo Iesu factus, est professio Christianismi, quæ discernit Christianos ab Ethnicis, hoc est, ab ijs, qui extra* Ecclesiam *Christi vivunt: Ideò usitatè baptismus clavis Ecclesiæ vocatur, quia ubicunq; verus baptismus Christi administratur, ibi est Ecclesia.*

7. *Verus baptismus, qui in nomine* Christi *fit, hoc est, ad mandatum & institutionem Christi, sive minister dignus sit, sive indignus, sive hæreticus, sive orthodoxus, modò non neget SS. Trinitatem, aliàs substantiam hujus Sacramenti convelleret, & in nomine Sacrosanctæ Trinitatis juxta institutionem Christi, baptisare non posset. Aliàs integritas aut veritas Baptismi non dependet à dignitate ministrantis, sed ab autoritate instituentis, cujus institutio cùm observatur, baptismus verus administratur. Facessat itaq; bona intentio & opus operatum Pontificiorum, quod canonisatum est in concil. Trident.*

8. *Baptismi nostri recordatio geminum habet fructũ: 1. quòd erigit lapsos, qui nova tabula opus nõ habent in isto naufragio, sed virtute baptismi primitus accepti, ad quẽ per pœnitentiam ducuntur, redeunt in gratiam cum Deo. 2. quòd commonefacit stantes, ut opera carnis in ipsis subinde resurgẽtia mortificare*

mortificare pergant. Ea enim semel extinxerunt, imò sepelie-runt, & infra omnes mortuos relegarunt in Baptismo, quæ quasi ab orco revocare indignum esset homine Christiano.

9. *Novitas vitæ seu nova obedientia est ambulatoria in hac vita, hoc est, frigida & imperfecta : ideò in novitate vitæ ambulare dicimur v. 4. donec nimirum ad metam perfectionis perveniamus, quod fiet in altero seculo 1. Cor. 13. Nemo itaq; perfectam & numeris omnibus absolutam legis divinæ impletionem, in hac infirmitate carnis sibi polliceatur.*

10. *Per baptismum Christo implantamur v. 5. qui præclarus hujus Sacramenti fructus est. Ergo beneficio baptismi Christi, vitæ & salutis, quæ est originaliter in CHRISTO, reddimur participes, qua de re ipse loquitur Ioh. 15, 4. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: Sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.*

11. *Mortificatio veteris Adami non fit sine labore & dolore, ideo vocatur spiritualis nostra crucifixio, & destructio corporis peccati v. 6. & Gal. 5, 24. illi, qui sunt in CHRISTO JESV, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigunt: & Galat. 6, 14. mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.*

12. *Crucifixio seu mortificatio spiritualis non consistit in disciplinâ monastica, jejunio, flagellatione, peregrinationibus, & similibus Monachorum nugis: nam corporalis exercitatio ad modicum prodest 1. Tim. 4, 8. ideò rejicitur à Domino Esa. 58, 5. Sed in exercitiis pœnitentiæ, vel ut Paulus noster loquitur, in abdicatione jugi, quo sub servitute*

 peccati

peccati premimur. Ubi quidem detractionem delitiarum carnalium nõ excludimus, quantũ ad promotionẽ exercitij pietatis opus est. Elegãter hanc crucifixionẽ expreßit B. Lutherus super cap. 6. Gal Mundus, *inquit*, est mihi crucifixus, id est, ego judico mundum esse damnatum. Et ego mundo sum crucifixus, hoc est, mundus me vicissim judicat damnatum: sic invicem nos crucifigimus & damnamus. Ego execror omnem doctrinam, justitiam & opera mundi, tanquã venenum Diaboli, mundusq; vicissim execratur doctrinam & facta mea, judicat me esse pestiferum hominem, seditiosum hæreticum &c.

13. *Atrocitas peccati duobus modis hic depingitur 1. quòd vocatur corpus peccati, quia nullum corporis membrum, nullus vel minutißimus articulus est, qui peccato non sit infectus. 2. generali illa sententia; qui mortuus est, liberatus est à peccato, tàm tenaciter itaque inhæret, ut non nisi per mortem plenaria sequatur liberatio. Etsi enim remissum est in baptismo; concupiscentiæ tamen residuæ etiam sanctis negotiũ facessunt, quoad vivunt: caro enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem; & hæc sibi invicẽ adversantur, ut non quæcunq; vultis, illa faciatis Galat. 5, 17. Nemo itaq; extenuet peccatum, quod omnem humani eloquij exaggerationem superat.*

14. *Verißimum est, quod Christus dicit Joh. 14. sine me nihil potestis facere. Nam nisi Christo essemus insiti per fidem, neq; peccatis valedicere, neq; piè possemus vivere. Unde est illud Hieronymi: Omnis virtus absq; Christo in vitio est. Hinc æstimare licet, quid de virtutibus Ethnicorum sentiendum sit, quæ inter bona opera Deo placentia numerari nequeunt: carent enim forma bonorum operum, quæ est fides in Christũ, in quo & cũ quo solum piè vivere possumus.*

Nam

Nam absq; fide in Christum impossibile est placere Deo Heb.11. & finis præcepti est caritas de corde puro, conscientia bona & fide non ficta 1.Tim:1.

15. *Mors Christo ultima linea passionum suarum fuit, & resurrectio initium gloriæ. Hic ergo terminus utriusq; stat9 est: à prima nativitate usq; ad mortem status exinanitionis; à resurrectione usq; ad sessionem ad dextram Patris, status exaltationis; quem terminum Paulus hic notavit v. 9. & Philip. cap. 2,7.*

16. *Summa fuit Christi exinanitio, quòd mors autori vitæ dominata fuit, aliter enim justitiæ divinæ satisfieri non potuit: ex quo dominio mortis in Christũ ipse maledictum pro nobis factus, & inter peccatores reputatus est 2.Cor. 5.Galat.3.* Esa.53.

17. *Mortis dominium passus est Christus non propter se, sed propter peccata nostra, ideò dicitur peccato mortuus, non suo sed nostro. Verè enim langvores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portavit: solvit, quod non rapuit Psal.69. &c.*

18. *Dominium mortis in Christum non fuit perpetuum, sed exigui temporis, donec à mortuis resurgeret. Impossibile enim erat, ipsum à morte teneri Act. 2,35. quia habebat carnẽ ἀναμάρτητον, & cum λόγῳ vitæ personaliter unitam.*

19. *Christus pro peccatis nostris semel mortuus est v.10. frustranea itaq; est & impia sæpius repetita Christi oblatio & tantùm non crucifixio, quæ fit in blasphemo sacrificio Missæ Papisticæ, quæ offerri fingitur corpus Christi pro vivis & mortuis in expiationem peccatorum; cui figmento opponendus est hic locus Apostoli & alter Hebr. 10,10,12.*

20. *Quemadmodum omnia nostra opera cedere debent ad*

gloriam Dei, dicente Paulo 1. Cor. 10, ita & sanctissimum illud opus, quòd Christus pro nobis mortuus est & resurrexit, vergit ad gloriam Dei: ideo enim Deo vivere dicitur, quia nimirum ex morte filij amor Dei erga nos elucet, & ex recuperata vita ipse filius Dei declaratus fuit, ex utroq; autem conjunctim constat Ecclesiæ majestas: quæ per mortem Christi purgata fuit à morte peccati, per resurrectionem autem glorificata ab eo, qui vitæ & necis potestatem habet. In omnibus autem Dei providentia, & promissorum divinorum veritas magnopere celebrata fuit, &c.

21. Quia mors Christo non ampliùs dominabitur, concludimus, manducationem corporis Christi in Cœna non esse Capernaiticam lanienam, qua corpus in partes laceretur, dentibus commolatur, in ventrem deijciatur & consumatur. Absint hæ cogitationes: non enim est physica manducatio, quæ fiat more aliorum alimentorum, sed Sacramentalis, quæ quomodo fiat, non possumus vel ostendere vel intelligere.

PARS ALTERA
TEXTUS.

Μηδὲ παριστάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀλλὰ παραστήσατε ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας, καὶ τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα δικαιοσύνης τῷ Θεῷ.

13. SEd neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo.

Ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει.

14. Peccatum enim vobis nō dominabitur;

Οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν.

Τί οὖν; ἁμαρτήσομεν, ὅτι οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν; μὴ γένοιτο.

Οὐκ οἴδατε, ὅτι ᾧ παρίστάνετε ἑαυτοὺς δούλους εἰς ὑπακοὴν, δοῦλοί ἐστε ᾧ ὑπακούετε, ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θάνατον, ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην;

Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς.

Ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ.

Ἀνθρώπινον λέγω, διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν· ὥσπερ γὰρ παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ, καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν· οὕτω νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν.

Ὅτε γὰρ δοῦλοι ἦτε τῆς ἁμαρτίας, ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ.

Τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε, ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε; τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων, θάνατος.

Νυνὶ δὲ ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ

nabitur; non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.

15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit.

16. Neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam?

17. Gratia autem Deo, quòd fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.

18. Liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.

19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.

20. Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.

21. Quem ergo fructum habuiſtis tunc, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt.

22. Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo,

Θεῷ, ἔχετε τὸν καρπὸν ἡμῶν εἰς ἁγιασμὸν· τὸ δὲ τέλος, ζωὴν αἰώνιον.

Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος· τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ζωὴ αἰώνιος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν.

Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.

23. Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Alteram partem hujus capitis diximus esse exhortatoriam ad studium bonorum operum. Propositio nudè posita hæc est: Nolite indulgere peccatis cōtra conscientiam: *sed Apostolus hanc propositionem divinâ planè facundia expolit & exornat v.12.& 13.* Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs ejus: sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes: & membra vestra justitiæ Deo. *Quibus in verbis 1. tria ordine ponit, quæ in peccato concurrunt;* vitium originis, *nobis omnibus congenitum:* cōcupiscentias, *inde tanquam ex vitiosa arbore propullulantes:* ἀδικίαν *seu* injustitiam, *quâ voce externa & enormia delicta, ex concupiscentia, tanquam ex vitiosa potentia in longè nequiorem actum producta intelligit. 2. ostendit, quid nobis tot malis circumseptis faciendum sit. Peccatum ipsum è corpore radicitus tollere non possumus: erit hoc in renatis etiam, quamdiu in hoc corpore vixerint: habent enim mortale corpus: ergo & peccato obnoxium, quia mors est stipendium peccati, ut infrà loquitur. Sed imperium peccato denegare possumus, ne nos sibi subjectos faciat; ideò inquit,* ne regnet

gnet peccatum. *Et occasione hujus vocabuli, quod peccato regnum interdicit in renatis, eleganti metaphora statum renatorum describit. Ponit enim in medio duos quasi dominos: peccatum & justitiam, seu Diabolum & Deum, quorum ille de facto dominium sibi sumit in homines, & renatos etiam sibi subjugare tentat; hic verò de jure Dominus ipsorum est, qui eos manu adsertos è potestate tenebrarum liberavit. Remittit ergò renatos à peccato seu Diabolo ad justitiam sive Deum. Hic sit Rex noster, non Diabolus. Quemadmodū itaq; Regi & obsequium debent subditi & defensionē, ubi opus est: ita vult Apostolus, ut obediant non Diabolo sed Deo, & membra sua, hoc est, vires corporis ac animi impendant in usum nō peccati sed justitiæ, non ut ipsorum opera Diaboli regnum, sed Dei imperium in mundo augeatur atq; defendatur. Hactenus propositio exhortationis, quam jam confirmat aliquot argumentis.* Primum *petitur ab honesto hoc sensu: Qui à morte peccati semel sunt resuscitati, honestum est, ut in posterum non peccato sed justitiæ vivant. Vos mei Romani, excitati estis à morte peccati per Christum. Ergo &c. Argumentum hoc partim in ipsa propositione attingitur, quando scribit:* exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes: *partim ex præcedentibus eruitur particula illativa* οὖν, ne igitur &c. *dixerat enim in fine præcedentis partis, Romanos mortuos esse peccato, & vivere in Christo Iesu: hinc infert; igitur non regnet in vobis peccatum.* Secundum *petitur à facili, hoc sensu: Cujus imperium facilè excutere potestis, ei non facile succumbere debetis: Imperium peccati facilè excutere potestis. Ergo. Extat hoc argumentum v. 14.* Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia. *Phrases hæ,* sub lege, & sub gratia esse, *duobus modis hoc in loco exponi possunt: Vel*

 enim

Sub gratia esse quid sit.

enim sub gratia esse, comparatè hîc accipitur de ijs, qui in Novo Testamento vivunt in statu gratiæ, quorum respectu veteres sancti, qui in statu legali vivebant, & umbram duntaxat revelandæ gratiæ habebant, quasi sub lege adhuc erant, sub lege nimirum terrente & exigente obedientiam, quæ hodie non exigitur, sed ostenditur sponte facientibus. Et juxta hanc interpretationem sensus erit hujus versiculi: Certam spem victoriæ habetis, modò strenuè contra concupiscentias carnis & peccati decertetis, quia gratiam à DEO adepti estis per Christum longè ampliorem, quàm illi, qui in veteri Testamento vivebant. Vel rectiùs, sub gratia esse simpliciter est cum DEO reconciliatum esse, novum hominem esse, à maledictione & coactione legis liberatum esse; hi verò possunt obedire DEO & legi condelectari, in eo, qui nos Spiritu suo S. confortat, & in hanc gratiam vocavit. Qui verò sub lege sunt, proprijs innituntur viribus, nec reguntur à Spiritu Sancto, quia peccatum nondum est remissum: hi nunquam superabunt peccatum, quia victoria hæc non est humanarum virium, sed gratiæ divinæ effectum. Lex ostendit quidem & jubet, quid sit faciendum, sed vires non largitur: gratia autem adjuvat, ut quisq; sit legis factor, sine qua gratia sub lege positus, tantummodo erit legis auditor, ait Augustin. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 12.

Tertium *argumentum petit à primo gradu Christianæ libertatis hoc sensu: Cujus servi estis, ej meritò obeditis: sed non peccati servi estis, ab ejus enim servitute liberati estis, sed justitiæ: Ergo non peccato, sed justitiæ serviatis. Major propositio extat vers. 16. minor v. 18. Totum hoc argumentũ per formam objectionis proponit Apostolus, cui ipsemet respondet his verbis:*

verbis: Quid ergo? peccabimus, quoniam sub lege non sumus, sed sub gratia? absit. Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam. Gratia autem Deo, quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis: Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ. *Nimirum voluit Apostolus lectori omnem eximere scrupulum diligentiâ sibi propriâ. Cùm ergo dixisset, Renatos non esse sub lege, sed sub gratia, fingere potuisset ratio: ergo peccare licebit, quia lex, cujus trangressio peccatum est, nihil ad nos? Respondet Paulus quasi indignabundus more suo,* Absit: *impium & insanum est ita concludere: imo veteratorium est, propositionem istam,* non estis sub lege, *ita pervertere velle. Rationem addit per inversionem; quia, sub lege non esse, non importat libertatem, ab obedientia legi debita, sed contrarium potiùs sequitur, nempe ut quia jam sumus sub gratia, liberati à lege, hoc est, à peccato & maledictione legis, jam non ampliùs serviamus peccato tanquam transgreßioni legis; turpe enim est, pristino servitutis jugo se iterum implicare, à quo modò liberati fuimus: sed serviamus justitiæ, ad quam per gratiam Dei vocati sumus. Ex hoc responso resultat illud argumentum Pauli, quod paulò antè posuimus, cujus majorem propositionem ita format v. 16. ut ex immediatè contrariјs peccati & justitiæ doceat, universalem esse hanc propositionem: Cuicunq; exhibetis vos servos ad obediendũ ei meritò obeditis, tanquam servi hero suo obligati; sive servitus sit peccati, sive justitiæ: utrobiq; enim eadem ratio est, nam servitus requirit semper obedientiã: finis tantùm servitutis variat: in peccato mors est, in justitia vita.*

Nota autem 1. *quòd perseverat in metaphora militari, nam quia quasi duos dominos in medium produxerat, ideò dicit,* cui horum domino vos ipsos παριστάνετε, sistitis, *seu officia vestra offertis.* 2. *Iustitiam peccato oppositam vocat ὑπακοὴν seu obedientiam, quia peccatum nihil aliud est, quàm inobedientia seu transgressio legis, ut suprà nominaverat cap.* 5, 19. *obedientia autem est quasi forma ac anima justitiæ. In minore propositione v.* 17. *inspergit εὐδοξίαν Apostolicam, quâ Deo gratias agit pro conversione Romanorum, quam ex servitute peccati fuerunt liberati; & sic veluti novo argumento ipsis persuadere vult studiū novæ obedientiæ, ne tantā Dei gratiam frustra accepisse videātur. Prædicat simul ipsorum pietatem, quòd non hypocriticè, sed ex animo valedixerint peccato, habet & hoc tacitæ exhortationis vim, ut in incepto feliciter pergant atq; perseverent: deniq; addit, quomodo valedixerint peccato, quando nimirum obedierunt doctrinæ, in quam fuerunt traditi, hoc est, doctrinæ Evangelij de Christo, quæ non admittit licentiam peccandi. Hanc doctrinam vocat τύπον sive formam doctrinæ, metaphora sumta à fusoribus vel typographis, qui uniformem typum plurimis chartis imprimunt: ita enim in Evangelio forma seu typus Christianismi nostri reperitur, quam recipiunt & in illam veluti imprimuntur, ij omnes qui fideli pectore absq; hypocrisi doctrinam Evangelij profitentur; idq; Romanos fecisse prædicat.*

Quartum *argumentum sequitur v.* 19. *petitum à comparatis hoc sensu: Quanto studio olim ante regenerationem servijstis peccato, tanto studio nunc servite justitiæ post regenerationem: id enim ratio contrariorum regnorū, in quorum utroq; fuistis, requirit. Sed ante regenerationem magna promtitudine & alacritate servijstis peccato, quia & officia vestra peccato ipsi obtulistis (hoc enim est exhibere seu sistere*

membra

membra peccati) Ergo eadem promtitudine jam post regenerationem studia servitiaq; vestra offerte justitiæ. Verba Pauli ita habent: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem: cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. *Illud ἀνθρώπινον per προθεραπείαν, quandam additur, & ab alijs aliter redditur. Nonnulli ad propositam similitudinem illud referunt, de servitute & libertate, cum qua fugam peccati & obedientiam justitiæ comparavit, rem cœlestem & spiritualem cum terrena & civili, humano more. Alij ad qualitatem præcepti referunt, quasi dicere voluisset Apostolus; possem majorem à vobis exigere alacritatem in servitute justitiæ, quam olim exhibuistis in servitute peccati: sed quia mihi nota est infirmitas vestra, sufficit vobis, qui homines estis, si tale studium adhibeatis jam in bono, quale olim in malo adhibuistis. Alij vocabulum illud accipiunt pro non impossibili, nec nimis duro, quasi nihil requirat Apostolus à Romanis, quod excedat vires humanæ naturæ. Sunt deniq; qui προθεραπείαν illam ad modestiam & civilitatem Pauli referunt. Nam quia paulò antè Romanos servos justitiæ nominaverat, ne offendere ipsos videatur, quasi ex ingenuis servos faceret, mitigat illud verbum, ostendens se non de infami, sed honesta servitute loqui. Nulla harum interpretationum reijcienda est: cætera in his versiculis plana sunt ex præcedentibus.*

Quintum *argumentum petitur ab effectu pristinæ servitutis, quæ erat sub peccato, hoc sensu: unde nil nisi pudor & ipsa deniq; mors est, ab eo meritò abstinendum est. Ex servitute peccati nil nisi pudor & mors sequuntur. Ergo &c. Verba*

 Apostoli

Apostoli sunt, v.21. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est. *Duos ponit effectus pristinæ servitutis 1. αἰσχύνην erubescentiam, quæ dolor est & perturbatio animi, ob admissum delictum, orta ex accusatione conscientiæ. 2. θάνατον mortem, quæ partim æternum animæ interitum, partim temporalem hominis obitum, partim omnis generis adversitates complectitur. Hæc omnia vocat τέλος pristinæ servitutis, hoc est, finalem exitum, ostendens, omnem pristini peccati dulcedinem, vel tandem aliquando in amaritiem converti, evigilante conscientia, juxta illud: risus dolore miscebitur, & extrema gaudij occupat luctus Prov. 14, 13.*

Sextum *deniq; argumentum petitur ab utili, nimirum à contrario effectu servitutis novæ seu justitiæ, hoc sensu: Ex quo salus & vita æterna speranda est, ei meritò studia & servitia nostra sunt offerenda. Ex servitute justitiæ, quæ Deo præstatur, salus & vita æterna speranda. Ergo. Verba Apostoli v.22.* Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *Opponit hunc versiculum præcedenti: servituti peccati, liberationem à peccato, & servitutem Dei: erubescentiæ, sanctificationem: ubi enim sancta vita est, ibi nulla est confusio metuenda, sed animus semper intrepidus: morti deniq; vitam æternam. Ne verò id quod de fine justitiæ dicebat, aliquis importunè ad meritum referret, cautelam subjungit v.23.* Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. *Vbi mortem quidem constituit meritum peccatorum; vitam autem & salutem æternam nequaquam meritum justitiæ aut sanctitatis nostræ, sed gratuitum Dei donum, quod ut cõferret nobis, nullo jure ex parte nostra tenebatur, sed erat*

rat extra meritum Christi Filij sui, in quo & propter quem nos isto dono dignabatur.

Paraphrasis hujus partis.

CVm igitur ex mortuis operibus peccatorum resuscitati sitis ad vitam sanctam atque innocentem per Christum Dominum nostrum: vestrum nunc est, ò vos mei, cautè versari in vitâ vestrâ, ne peccatum vobis licèt renatis, adhærens, & desiderijs pravis quasi dominium in vos quærens, quidquam apud vos impetret. Nolite huic domino vel fidem dare abblandienti, vel servitia vestra præstare sive membra carnis sive vires animi vestri exigenti: ne fiatis vasa iniquitatis, sed justitiæ, Deoq; vestro in libertatem vos vocanti alacriter parete. Nam etsi hoc non absque gravi lucta peccati futurum est: certi tamen sitis, peccatum in vobis strenuè resistentibus imperium non habiturum, sed victoria penes vos erit, qui non ex lege aut humanis viribus, sed ex gratia Dei, cum quo reconciliati estis, quique juvat imbecillitatem vestram, peccato resistitis. Quod autem dixi, nos non ex lege, sed gratia Dei peccato resistere, hoc nemo mihi ita interpretetur, quasi lex nihil omninò ad nos, aut quasi propterea impunè legem transgredi liceat? Impius est, quisquis ita sentit: contrarium potiùs ex hoc pronunciatio meo sequitur. Nam certum est, nos obedientiam ei debere, non à quo liberati & quasi manu missi sumus, sed ei, qui nos manumisit, & in libertatem adseruit. Iam verò gratâ mēte agnosco, quòd vos Romani à jugo

jugo peccati, in quo quondam ambulabatis, ex mera Dei gratia in libertatem asserti estis, dum ex animi vestri sententia doctrina Evangelij de Christo recepistis, & dignè eâ vivere promisistis. Ergo ipsimet colligere potestis, indecorum esse, ut pristino jugo peccati iterum implicemini: sed necessariò sequitur, vos vestra servitia & obsequia Deo debere. Quapropter, licet pro dignitate professionis Evãgelicæ, aliquid sublimius à vobis exigere possem; tamen ut rationem habeam imbecillitatis vestræ, sufficere arbitror, si tantam adhibeatis in posterum diligentiam serviendi Deo & justitiæ, quantam olim ante vestram regenerationem attulistis ad excolenda opera tenebrarum & ad servitia Diaboli; semper memores, vos non amplius sub servitute peccati degere, sed in libertatem filiorum Dei adsertos esse. Cogitate autem, quid commodi inde habueritis, cùm quondam ad opera tenebrarum magnâ alacritate quasi rueretis, nimirum nihil aliud, quàm ruborem propter admissa scelera ex dictamine consciẽtiæ vestræ, quem tandem insequebantur omnis generis calamitates cum æterno gehennæ supplicio. Nunc autem longè meliorem habetis fructum sanctæ vitæ, videlicet non modò quòd à servitute peccati exemti estis, sed quòd alacriter Deo servitis: huic enim parere, libertas vera est. & tandem æternæ vitæ præmium certò adepturi estis. Quemadmodum enim mors debita peccati merces est & stipendium vilissimum: ita vicissim gratuitum Dei donum est, vita & salùs æterna, quæ omnibus sanctè pieq; viventibus propter meritum Filij Dei Domini nostri Iesu Christi certò conferetur.

Quæ-

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Hortatur Apostolus Renatos Romanos, ne patiantur regnare peccatum in mortali suo corpore: unde colligitur, etiam Renatos habere posse peccatum regnans, excutiens fidem & Spiritum sanctum. Cur ergo scribit Apostolus Iohannes: qui natus est ex Deo, non peccat, nec potest peccare, quia semen Dei manet in eo, 1. Ioh. 3, 9?

Resp. Rectissimè ex hoc loco Pauli nostri colligitur, etiam Renatos posse incidere in peccata regnantia, quæ non modò conscientiam devastant, sed & fidem & Spiritum sanctum excutiunt; & qui talia faciunt, hos ab hæreditate vitæ æternæ excludunt; aliàs hæc exhortatio esset frustranea: & nota sunt exempla, Davidis, qui contra dictamen conscientiæ sese polluit adulterio, tali nimirum ac tanto scelere, cui exclusionem à vita æterna adjudicat scriptura 1. Cor. 6, 9. Galat. 5, 19. Ephe. 5, 5. item exemplum Saulis, qui utiq; renatus erat, sed excussis Spiritum sanctum 1. Sam. 16, 14. Aaronis itidem, vitulum aureum facientis Deut. 9, 20. cui sceleri D. Paulus etiam æternam condemnationem adscribit 1. Cor. 6, 9. Verùm sunt è gente Calviniana, qui renatis quidem peccatum regnans tribuunt, sed quod ipsi impropriè sic vocari

Regnans peccatum, quod Calviniani Renatis tribuunt, quale sit?

vocari dicunt, eò quòd per vim sibi rapit imperiũ in renatos, eosq; ad breve tẽpus incautos in nassam abripit, ab ijsdem verò mox iterum domatur atq; excutitur, *ut vult Paræus dub. 7. in cap. 6. Rom: p. 601. Alij dicunt*, renatos non posse ex contemtu Dei vel desperatione peccare, sed vel ex ignorantia, vel ex infirmitate tantum; & hanc humanam tentationem vocant, *ut est apud Zanchium in miscell. p. 133. Communis autem Calvinianorum sententia est, quòd filij DEI peccatis suis nunquam omninò amittant fidem, nec spiritum sanctum, quia maneat in eis semen DEI, quo ad pœnitẽtiam revocãtur, & ex lapsu resurgunt; uti constat ex locis Paræi & Zanchij allegatis, & Vrsini in Catech. part. p 71. At enim doctrina hæc scripturæ repugnat, & inprimis huic loco nostro Apostolico: ubi D. Paulus renatos hortatur, ut sibi à peccato regnante caveant, ita tamen ut strenuè pugnantibus victoriã polliceatur. Neq; distinguit inter peccatum propriè & impropriè regnans. Nam imperium etiam exiguo durans tempore Jmperium est, propriè sic dictum; neq; peccatum per vim sibi rapere potest dominium in eos, qui volentes & consentientes conscientiam violant, quod Davidem fecisse in confesso est: volenti enim nulla vis fit aut injuria, ut vulgari dicitur adagio. Ideò Paulus noster peccato tribuit non tyrannidem, sed regnum: tyrannis enim existit invitis subjectis, regnum autem ijs volentibus, quibus imperatur, quod Theodoretus in hoc loco observavit. Fallit ergò Paræus, qui peccatum renatorum, etiam quod contra conscientiam fit, impropriè regnans appellat. Deinde fallit & Zanchius, quasi filij DEI non possint ruere in contemtum DEI aut desperationem, sed tantùm ex infirmitate peccare. Certum enim est, Saulem & Iudam fuisse primùm filios DEI, quippe qui fœderi DEI per sacramentum*

Paræus.

Zanchius.

initiati

initiationis erant insiti: & tamen in horribilem contemtum DEI & desperationem uterq; incidit. Quòd si ergò de potentia quæstio est, num poßint filij DEI incidere in contemtum Dei, scriptura toties id affirmat, quoties hortatur, ut qui stant, videant, ne cadant, ne regnare sinant peccatum in mortali suo corpore, ut cum timore ac tremore salutem suam operentur. Aliàs libenter concedimus, contemtum Dei, imò & ullum aliud peccatum consistere non posse cum υἱοθεσίᾳ & dono renascentiæ: sed quam primùm in hujusmodi peccata incidunt, desinunt esse Renati & Filij Dei, donec per conversionis beneficium in ipsis Renascentiæ donum instauretur. Et hoc sensu Iohannes scribit loco suprà notato, eos qui ex Deo nati sunt, peccare non posse; nimirum quatenus renati sunt: possunt autem ita, ut Renatorum nomen & definitionem amittant. Quòd autem semen Dei in renatis manere dicitur, non obstat, quo minùs poßint excidere gratia Dei, amittere fidem & Spiritum sanctum, quod scriptura multis in locis pleno ore testatur, Ezech. 18, 26. Roman. 8, 8. 1. Cor 11, 29. Hebr. 6, 6, & 10. 1. Johan. 3. 15. 2. Pet. 2, 3. &c. Nam semen illud Dei non est residuum aliquid fidei, quod in lapsorum animis latere dicunt, quasi ignem sub cineribus, sed est ipsa fides & υἱοθεσία, ad quam ex incorruptibili semine verbi Dei regeniti sunt, quæ omnia in ipsis manent, quatenus ipsi renati manent; sed & illud semen Dei & ipsum Deum totaliter amittere possunt: idcirco D. Johannes de iisdem scribit, quod si peccaverint, non habeant Deum, 1. Johan. 2, 6. neq; vitam æternam in se manentem, 1. Joh. 3, 15.

QUÆSTIO II.

Si peccatum in eos, qui sunt sub gratia, nullum habet dominium, num hinc sequitur illos ipsos universam posse legem implere: nam ubi peccatum cessat, ibi mera est justitia & obedientia legis?

Resp. Pererius inconsiderate hunc locum Apostoli trahit ad errorem Papisticum de perfecta legis impletione, quam homini in hac vita possibilem esse dicunt. Nam sub gratia esse, *inquit disp. 4. in cap. 6. Rom.* est hominem à peccatis liberatum, Deiq; gratia donatum, & sub ejus præsidio ac protectione manentem, & velle & posse universam legem implere, atq; in posterum peccata cavere. *Reclamat Apostolus hoc ipso loco, qui non peccatum à renatis abesse scribit, sed dominium peccati prohibet, neq; ijs, qui sub gratia sunt, peccati immunitatem promittit: ita enim contradiceret Apostolo Johanni, scribenti; si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis 1. Ioh. 1, 8. sed victoriam contra suggestiones & irritamenta peccati pollicetur. Vbi autem irritamenta peccati superanda sunt, ibi peccatum ipsum adesse, certum est: ubi verò peccatum, ibi nulla perfecta legis impletio: quam ob caussam sancti in scriptura de imperfectione sua passim conqueruntur. Gratia DEI itaq;, qua donati sumus, non dat vires perfectè implendi legem, sed alacritatem obtemperandi legi, quatenus in hac imbecillitate carnis fieri potest: ubi quidem peccati dominium removetur, sed peccatum ipsum non exuitur.*

Quæstio

QUÆSTIO III.

An non pugnat secum Apostolus, qui v. 18. liberatos à peccato servos vocat justitiæ: & alibi liberatem eis tribuit: vos in libertatem vocati estis fratres Gal. 5, 13?

Resp. Nulla pugna est. Nam Renati & liberi sunt & servi. Liberi, quia à peccati dominio & reatu liberati, unde jam ducuntur Spiritu libertatis, Deoq; spontaneas offerunt victimas, non secundùm vetustatem literæ, sed secundùm novitatem Spiritus Rom: 7. Servi autē sunt, quia non habent licentiam quidvis agendi pro arbitrio: sed normam vivendi in lege præscriptam habent: ideò addit Apostolus ad Gal. 5, 13. vos in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carni, sed per caritatem servite vobis invicem. Est ergo in Renatis utrumq;, Libertas atq; Servitus: Libertas, non autem licentia: servitus, non autem coactio, hoc est, serva libertas, & libera servitus.

QUÆSTIO IV.

Quia videt Pererius, Apostolum Paulum vitam æternam expressè vocare χάρισμα seu donum gratuitum: prolixus est in eo disputationibus quinq; postremis in hoc caput, ut ostendat, vitam æternam esse meritum nostræ justitiæ: Summa autem omnium illarum disputationum ad hæc tria capita referri

 potest:

potest: 1. quia Paulus vitam æternam vocat τέλος, hoc est (ut ipse interpretatur) vectigal seu mercedem. 2 quòd autem v. 23. vocat gratiam Dei, hoc ideò fieri, quia opera nostra dignitatem merendi vitam æternam non habēt ex potestate liberi arbitrij, sed ex virtute gratiæ, quam Deus donavit hominibus. 3. quia scriptura alibi quoq; doceat, bona opera esse meritoria vitæ æternæ, ut quando expressè nomen meriti tribuit operibus, Sir. 16, 15. Hebr. 13, 16 quando vitam æternam vocat bonorum operum mercedem, Gen. 15. Apoc. 22 12. Matt. 5, 12. quando viri justi propter bona opera dicuntur digni Deo & vita æterna. 2. Thess. 1, 6. quando deniq; corona justitiæ tribuitur benè certantibus. 2. Timoth. 4, 8. &c. quid ergo ad hæc omnia dicendum?

Resp. Ad 1. τέλος apud Paulum hoc loco non Ethicè, sed Physicè ponitur, hoc est, non pro præmio, mercede vel tributo, sed pro ultimo rei exitu, quia docere voluit Apostolus, quemadmodum clausula finalis in peccato est mors & interitus: ita opera justitiæ subsequitur tandem velut ultima & exoptata clausula, vita æterna. Quòd si maximè pro tributo vel mercede poneretur, quemadmodum Erasmus exponit: notum tamen est, quo sensu in scriptura vita æterna merces nostra

nostra vocetur, nimirum non in significatione strictiore, ubi proportio est inter meritum & mercedem, qualem proportionem inter nostra opera in se considerata & vitam æternam non esse, concedit Pererius disp. 11. in cap. 6. Roman. num. 54. sed in significatione lata notat gratuitam compensationem profectam à promissione Dei, quo sensu merces hæreditatis vocatur, Coloss. 3, 24. Ad 2. glossa Papistica est, nullo fundamento scripturæ innixa, quòd vita æterna ideò dicatur Dei gratia, quia opera nostra meritoria gratuitò nobis à Deo sint donata. Suprà enim aliquoties dictum fuit, quomodo scriptura immediatè opponat gratiam & opera Roman. 11. quòd DEUS non patiatur inter se & opera nostra partiri vitæ æternæ meritum; quòd ne litera quidem aut apex ullus in scriptura ostendi queat, qui doceat, Deum operibus nostris gratiam promerendi fuisse largitum; imò quòd hæc glossa alij Pontificiorum errori è diametro sit opposita, videlicet de viribus liberi arbitrij, cui opera justorum aliàs accepta ferunt, hîc verò gratiæ Dei adscribunt. Quod autem subinde provocat ad autoritatem Augustini, quem locum hunc Apostoli ita exponere scribit, possem equidem Augustino opponere alios Patres, si Patrum autoritate standum esset, ut quod Chrysostomus homil. 12. super hanc Epistolam scribit, vitam æternam ideò nominari gratiam Dei, quia neque debitum eorum fuit, neque retributio neq; remuneratio laborum; *quod Theodoretus scribit,* cùm loquitur de vitâ æterna, quæ redditur justitiæ, non dixit eam esse mercedem, sed gratiam: est enim donum Dei vita æterna, &c.

Vita æterna quo sensu dicatur merces.

Sed his omissis sciendum est, 1. Augustinum generaliter

Mors in fidelibus non habet locum pœnæ.

opera hominum vocare merita, vocabulo ἀγεάφω, Augustino tamen familiari; non quòd mereantur aliquid, sed quòd à Deo meritò præcepta: ideò enim scribit in Psalmum 62. Deus vitam promittit, & non dat illam nobis, quasi propter merita nostra, sed propter misericordiam suam: quid enim boni egimus, ut mereremur? 2. vocabulum gratiæ accipit de donis renovationis, quia disputavit contra Pelagium, non principaliter de ipsa justificatione (fatebatur enim Pelagius nobis peccata ex gratia Dei remitti) sed de integro Christi beneficio, quod discerpebat hæreticus, adscribens humani arbitrij viribus novam obedientiam, quæ tamen & ipsa donum Dei & meritum Christi est. Contra Pelagium ergo tantopere urget epist. 105. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 8. & alijs in locis à Pererio laudatis, operibus sanctorum gratia Dei factis dari vitam æternam, non tamen ut mercedem laborantibus, sed ut donum filijs obsequentibus. 3. Augustinus ipse ostendit, D. Paulum ideò datâ operâ opposuisse stipendium & gratiam, ne ex vita æterna fiat meritum. Nam cùm posset dicere (inquit lib. de grat. & liber. arbit. cap. 9.) & rectè dicere; stipendium autem justitiæ vita æterna; maluit dicere, gratia autem Dei vita æterna; ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua misericordia perducere. Et iterum in Psal. 144. Vbi audis gratiam, gratis intellige: si ergò gratis, nihil tu attulisti, nihil meruisti &c. Ad 3. quod alia scripturæ loca attinet, breviter respondeo: Apud Sir. 16, 15. non est vocabulum meriti, sed operum, κτ. τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. In Epistola ad Hebr. 13. committunt Pontificij & Solœcismum, & crimen falsi. Perperam enim dicitur, promeretur Deus, passivè; & in græco est εὐαρεστεῖται delectatur. Quatenus vita æterna dicatur merces, supra indicatum fuit. Quòd justi dicuntur digni vitâ æternâ, dignitatem

non

non habent ex meritis operum suorum, juxta hæc enim non sunt condignæ omnes ipsorum paßiones ad gloriam in eis revelandam: sed digni sunt propter Christum, in quem credunt. Est itaq; dignitas fidei, non operum. Sic quoq; corona justitiæ datur legitimè certantibus; quia Deus eam gratuitò promisit, Christus adquisivit. Debitorem itaq; nobis sese fecit Deus, non aliquid à nobis accipiendo, sed omnia nobis promittendo. Ideò viginti quatuor seniores abÿciunt coronas suas ante thronum, dicentes: dignus es, Domine, qui accipias gloriam, Apocal. 4, 10.

QUÆSTIO V.

Si mors stipendium seu pœna peccati est; sequitur, manere pœnam etiam in ijs, quibus remissum est peccatum, nam & illi moriuntur: qua stante sententia, an non verum erit, quod Pontificij docent, remißionem fieri quidem culpæ, sed non omnis pœnæ?

Resp. Alia est ratio mortis, alia aliarum calamitatum in hac vita. Mors per se, semper est pœna peccati. Mors autem æterna in remißione peccatorum credentibus in Christum penitùs sublata est, juxta illud Iohan. 11, 25. qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Mors temporalis manet etiam in credentibus, quia materiale peccati in illis manet, quod quandoq; è natura penitùs evelletur, tunc & mors, tanquam postremus hostis, abolebitur 1. Cor. 15. Etsi verò per se pœna est, in credentibus tamen pœnæ locum propriè non habet, quia non infligitur à Deo irato, neq; cedit in malum finem, sed in commodum fidelium, quorum corpora per mortem Mors in fidelibus non habet locum pœnæ.

 expo=

expoliuntur, & id quod mortale in ipsis est, exuentia immortalitatem induunt, & ad æternam vitam transitum accipiunt. Calamitates aliæ in fidelibus alium habent finem; his enim immittũtur, vel ut probatio fidei, vel ut paterna castigatio in salutem piorum. Nam dicente Augustino, quæ ante remissionem erant supplicia peccatorum, post remissionem sunt certamina exercitationesq; justorum: Et iterum epist. 89. ad Hilar. quæst. 3. Temporalis mors corporis etiam in iis, qui Christi morte redimuntur, relinquatur interim ad exercitationem fidei & agonem præsentis luctationis, in quo & martyres certaverunt: absumatur verò & ipsa in renovatione corporis, quam resurrectio pollicetur: ibi enim penitus absorbebitur mors in victoriam, cui modò Christus adimit regnum, ne suorum animas ad pœnas tartari trahat.

QUÆSTIO VI.

Si mors est pœna peccati, DEUS erit autor mortis, quia omnis pœna à DEO est, juxta illud Amos 3, 6. non est malum in civitate, quod non fecit Dominus? Hoc verò pugnat cum illo Sap. 1, 13. Deus mortem non fecit, & cap. 2, 24. invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum?

Resp. Deus non est autor mortis, ratione creationis, quia mortem non fecit, ut Sapiens loquitur; quicquid enim à Deo creatũ est, id natura sua bonum est, & conservationi hominum

inservit

inservit: mors autem est destructio naturæ; ergò neq; creata neq; creaturis aliis concreata, sed ex invidia Diaboli in mundum ingressa: Deus enim hominem fecit inexterminabilem Sap.2,23. Est tamen mors à Deo, respectu ordinationis atq; dispositionis divinæ, quâ nimirum DEO placuit, hominem à se deficientem punire, vi primæ interminationis: quocunq; die comederis de ligno scientiæ boni & mali, morte morieris: quo respectu Siracides scripsit cap.40,9. mors, sanguis, contentio, romphæa, oppreßio, fames, contritio & flagella super iniquos creata (seu ordinata) sunt omnia, & propter illos factus est cataclysmus.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. Discrimen inter peccatum Veniale & Mortale sedem suam habet in hoc loco Apostolico, ubi expreßè distinguitur inter concupiscentias & desideria peccati, & inter obsequium eis præstitum. Concupiscentias malas nemo hominum præcavere potest, propter peccatum originis, quod nunquam otiosum est: sed quamdiu homo pius iis reluctatur neq; præbet assensum, peccatum constituunt veniale, ita dictum, non quòd naturâ suâ venia dignum sit, aut veniam mereatur, sed quia fidelibus propter Christum non imputatur. Obsequium peccati facit peccatum mortale, quod lædit conscientiam, excutit Spiritum Sanctum & fidē. Immeritò itaq; hæc distinctio vocatur Papistica à Sadeele libr. de pecc. remiß. p. 26. quia est verè Apostolica, & recipitur ab aliis sacramētariorū sociis. Vide Vrsinū part.1. catech.l. de peccato quæst. 3. p. 64.

Distinctio inter peccatum veniale & mortale.

Bucanum in institut. loco 16. quæst. 9. & 10. Musculum in loco de peccato fol. 31.

2. *Nemo hominum est ἀναμάρτητος, ne quidem inter sanctissimos, nisi unicum Virginis filium excipias: peccatum enim omnes habent 1. Iohan. 1. Sed non omnes peccato dominium permittunt: dominatur autem, quando conscientiæ consensum adsecutum est: tunc enim homo cæco impetu fertur ex uno scelere in aliud. Sunt itaq; gradus peccatorum: aliudq; alio gravius est, ut colligitur ex loco Matth. 11, 2. & Luc. 13, 2.*

3. *Dominium in nos affectat peccatum, quando membra corporis aut vires animi nostri exposcit & solicitat ad perficienda desideria sua, ut manum ad furandum, linguam ad mentiendum, cerebrum ad excogitandas fraudes & imposturas &c. Quotiescunq; ergò solicitantur membra aut sensus nostri ad hujusmodi illicita, semper in animis nostris insonet vox hæc Apostoli; Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.*

4. *Duo sunt Domini in mundo extremè sibi contrarij, Deus & Diabolus: quorum uterq; sibi imperium in nos sumit; unus de jure, alter de facto. Deus in familiam suam nos recepit 1. in creatione, ubi ad imaginem Dei sumus conditi: unde vocamur populus ejus & oves pascuæ ejus, Psal. 110, 4. 2. in redemtione, ubi in primis in baptismo fidem ei dedimus: & sic duplici nomine ei obligati sumus. Diabolus nullum in nos jus habet, sed temerè sibi illud usurpat, quando nos ad peccatum solicitat. Hos ergo duos Dominos probè internoscere nostra interest.*

5. *Miserrima & fœdissima servitus est, servitus peccati. Qui autem facit peccatum, servus est peccati Joh 8, 34. facit autem peccatum, qui concupiscentijs peccati obedit, ut*

Paulus

Paulus hoc loco explicat. Talis ergo est servus, imò fœdissimum mancipium Diaboli: huic os, linguam, manus, pedes, totam denique mentem venalem habet: quidquid lucratur, non sibi sed hero suo lucratur: ipse verò in molestissimis illis & fœdissimis peccandi laboribus, tandem ad numellas inferni carceris damnatur.

6. *Libertas omnium sanctissima est, parêre Deo: quod faciunt, qui præceptis Dei subjecti ad Deum colendum, timendum, honoremque ejus promovendum sunt promptissimi. Licentia autem carnis est, non Christiana libertas, cùm homines vivere volunt pro libitu, nemini subjecti, neminem timentes, sed liberrimè agentes, quidquid volunt. Nam & Adam ante lapsum verè liber erat, & tamen præcepto Domini obstrictus. Tales à Deo diliguntur, à peccatorum imperio sunt immunes, & si quid ipsis accidit adversi felicem tandem adversitatum exitum consequuntur.*

7. *Nota hominis renati est liberatio à Lege, non quoad obedientiam, sed quoad maledictionem; nam ubi gratia Dei locum invenit, ibi maledictio exulat: & hoc respectu justis non est lex posita 1. Tim. 1, 9.*

8. *Lex & gratia sunt opposita, ut patet ex vers. 14. sed tantùm in foro justificationis: quia lex condemnat, gratia salvat: non autem in articulo novæ obedientiæ; quia gratia DEI studium bonorum operum non excludit, sed includit potius, tanquam præcipuam notam ejus, qui in gratia est apud Deum.*

9. *Pristina nostra conditio, cùm adhuc essemus in statu peccati, grata mente sæpè recolenda est, exemplo Apostoli v. 17. & Eph. 2, 12. Facit enim ad veram animi humilitatem, ne donis Dei superbiamus, & excitat animos ad servitia Deo grata, quibus ipsi obstricti sumus propter emancipationem*

è jugo peccati, quam præter ipsum nemo præstare potuit.

10. Recordatio præteritorum delictorum non omninò est absq; fructu in piis. Excitantur enim hoc pacto ad majorem pietatem; siquidem æquum esse judicant, ut non deterioris sit conditionis Deus, quàm Diabolus. Quemadmodum igitur huic strenuam navarunt operam peccando, ita jam ad Deum conversi, debitores ejus se agnoscunt inculpatè vivendo; quò pertinet v. 19. hujus capitis.

11. Seriæ pœnitentiæ verum indicium est Erubescentia v. 21. quæ semper præsupponit agnitionem & confessionem delicti. Animi verò desperati signum est frons perfricta, & os impudens, negans notoria: de talibus Ieremias loquitur; frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, Jere. 3, 3.

12. Omnia quæ pudorem incutiunt, morte digna sunt v. 21. unde colligitur, omnia peccata in sese considerata esse perfectam ἀνομίαν, licèt perfectionis istius certi sint gradus, unde & peccatorum gradus oriuntur.

13. Tria ad justificationem pertinentia exprimuntur, v. 22. 1. justificationis forma, quæ est liberatio à peccatis. 2. effectus, sanctificatio. 3. finis, quæ est vita æterna. Perperam itaq; sanctificatio cum justificatione confunditur: perperam etiam sanctificationi vita æterna, tanquam meritum adscribitur. Finis enim ad formam, non ad effectum rei referendus est.

14. Homo nil nisi malum mereri potest; quicquid autem boni habet, ex gratia habet, interveniente merito Christi, propter quod nobis datur: & hoc pacto mors stipendium peccati, vita autem æterna donum Dei appellatur in Iesu Christo Domino nostro, v. 23.

15. *Fæ-*

15. Fœditas peccati notatur eo, quòd ejus præmium mors, vocatur obſonium. *Erant enim obſonia cibaria quædam & lautitiæ, quibus milites alliciebantur, atq; ſic ventris gulæq; cauſſa vitam habebant venalem: ita etiam peccatores re levi ſæpè conducuntur, quod inſtar eſt obſonij, quod mortem habet comitem: quale fuit obſonium morſus pomi in paradiſo, mortis & calamitatum omnium prima ſcaturigo &c. Eò fœdius eſt nos in peccata ruere, quò certius, obſonium noſtrum eſſe non rem gratam, ſed mortem & interitum, qui non niſi naturæ deſtructionem & omnium bonorum privationem infert.*

CAPUT VII.

Argumentum & Partitio Capitis.

PErtexit hoc capite Apoſtolus ea, quæ de ſanctificatione in præcedente dicere cœperat. Et quia hactenus multam mentionem legis fecerat, quæ ſanctitatis noſtræ norma eſſe debet, jam partim de vero uſu Legis agit, partim de imperfectione obedientiæ humanæ Legi debitæ, prolixam querelam inſtituit. Poſſunt autem ordinis gratia tres hujus capitis partes conſtitui.

I. Primùm oſtendit hominem renatum à Lege eſſe liberatum uſq; ad v. 6.

II Deinde docet, habere nihilominus legem ſuum quoq; uſum in Renatis, nimirum manifeſtationem peccati uſq; ad v. 14.

III. Deniq; ſuo ipſius exemplo probat legem etiam à renatis impleri non poſſe, propter reſiduas concupiſcentias carnis, de quibus anxiè conqueritur.

PARS PRIMA

TEXTUS.

Ἢ ἀγνοεῖτε ἀδελφοὶ (γινώσκουσι γὰρ νόμον λαλῶ) ὅτι ὁ νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ;

Ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός.

Ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ, ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου, τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα, γενομένην ἀνδρὶ ἑτέρῳ.

Ὥστε, ἀδελφοί μου, καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι, ἵνα καρποφορήσαμεν τῷ Θεῷ.

Ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ.

Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα, ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος.

1. AN ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?

2. Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri.

3. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

4. Itaq; fratres mei & vos mortificati estis Legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.

5. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris vestris, ut fructificarent morti.

6. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in quo detinebamur: ita serviamus in novitate Spiritus, & non in vetustate literæ.

ANA-

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

PRopositio nuda primæ partis hæc est: Liberi estis, vos fideles Romani, à dominio legis: *hanc ita effert Apostolus v.6.* Nunc autem soluti sumus à lege mortis, *quatenus nimirum lex mortem & maledictionem minatur non exactè observantibus ea, quæ in lege scripta sunt. Hanc propositionem probat duobus modis.* Primùm *argumētatur à remotione caussæ ad remotionem effectus, hoc sensu: Quod non ampliùs vivit, nullum ampliùs habet dominium: Lex in renatis non ampliùs vivit. Ergò nullum ampliùs habet dominium. Majorem propositionem tectè proponit initio capitis, sub schemate interrogationis Rhetoricæ:* An ignoratis fratres; scientibus enim legem loquor: *Provocat ad ipsorum propriā confessionem, ut quibus hoc ex lege naturæ, civili & Mosaica notum sit, quin & ex communi experientia, mortuos nullū habere dominium, juxta proverbium, mortui non mordent. Adsumtio probatur v.4.* quia renati mortificati sunt legi per corpus Christi, *hoc est, per passionem Christi, qui peccata nostra tulit in corpore suo, ut lex in nobis non ampliùs vivat, neq; nos maledicendo, neq; ut peccatores declarando coram Deo, neq; ad peccandum nos irritando: his enim modis lex in nobis vivere dicitur. Vnde conclusio sponte sua sequitur, legem in renatos (quos fratres suos vocat Apostolus ob communem υἱοθεσίαν, quam habent apud Deum) dominium ampliùs non habere. Hoc pacto procedit argumentum, si illa verba,* quanto tempore vivit, *non ad hominem, sed ad legem metaphoricè referuntur, quo sensu ea accipit Origenes & Lyra super hunc locum. Quòd si autem cum Ambrosio verba illa referamus ad hominem, tale oritur argumentum: Qui legi mortuus est, in eum lex non habet dominium. Credentes*

Lex quo sensu dicatur in nobis vivere.

autem mortui sunt legi; nam cui remittuntur peccata, is moritur legi, hoc est, liberatur à lege, inquit Ambrosius. Ergo. Totam hanc rationem illustrat similitudine vinculi matrimonialis v. 2. & 3. Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. *Hæc est πρότασις similitudinis, cujus ἀπόδοσις sequitur v. 4.* Itaq; fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi. *Comparat statum hominis ante regenerationem matrimonio, ubi respectum viri habet lex, hæc enim imperat homini, mulieris verò, homo nondum renatus; hic enim imperio & maledictioni legis subjacet. Quemadmodum igitur mulier viro lege matrimoniali obligata & subjecta est, quamdiu maritus vivit, ita ut absq; crimine adulterij alteri cohabitare non possit; Sic coactioni & maledictioni legis homo subjectus est, quamdiu extra Christum vivit, ita ut spiritu Christi tanquam alterius mariti interea uti frui non possit. Vicissim autem, quemadmodum mors mariti liberat uxorem à fide matrimoniali marito data, & mors uxoris maritum: ita postquam Lex à Christo mortificata est per ademtionem maledictionis, jam liberi sumus à jugo & servitute legis; & postquam nos mortui sumus legi per Christum, jam legis jus in nos, tanquam mariti in mortuam uxorem haud immeritò exspirat. Atq; tum novus status hominis, quasi novum matrimonium incipit, status nimirum regenerationis. Et hoc est, quod dixerat, legem in Renatos dominium non habere.*

Secundum *argumentum petitur ab effectis, hoc sensu: Inqui-*

In quibus non reperiuntur amplius opera let fera & exitialia, sed Deo grata ac placentia, in ijs legis maledictio jus nullum habet. In renatis non reperiuntur opera letifera, sed Deo grata. Ergo nullũ in ipsos jus habet maledictio legis. Totum hoc argumentum proponit verbis figuratis, persistens in instituta metaphora v.5. & 6. Sitis alterius. *inquit*, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cùm enim essemus in carne, pasiones peccatorum, quæ per legẽ erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti: nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate Spiritus, & non in vetustate literæ. *Quibus verbis 1. nobis à lege liberatis alium monstrat maritum, nimirum Christum, quem à mortuis resurrexisse scribit, non absq; caussa, sed ut innuat, nobis quoq; à mortuis operibus resurgendum esse. 2. finem spiritualis istius connubij notat. Quemadmodum enim Matrimonij finis primarius est prolificatio, vi primæ institutionis, Genes. 1, 28. ita Christo non frustrà sumus conjuncti, sed ut fructificemus DEO operibus bonis, quæ quasi prolem DEO gratam per Spiritum Sanctum producimus, Deoq; offerimus. 3. Describit per circumstantias utrumq; connubium, & illud quod in statu legali, & alterum, quod in statu gratiæ habuimus: unicuiq; suam tribuit prolificationem. Priori connubio obligati eramus, cùm essemus in carne. In carne esse significat proprio motu naturæ corruptæ duci, carnalibusq; desiderijs agitari, qualis est status hominum nondum regeneratorum. In isto connubio fructus edebamus nobis exitiales, nimirum peccata,* fructificabamus enim morti. *Hos fructus in nobis edebant παθήματα peccatorum, hoc est, pruritus adfectuum vitiosorum,*

cogitationes malæ, motus atq; desideria prava; quæ omnia dicuntur παθήματα, *quia naturam hominis ad imaginem Dei conditam, ignominia & dolore afficiunt, vereq; lædunt; ac renati inprimis magno cum dolore gemituq; ea sentiunt, ut ut carnem primitus titillent.* παθήματα *illa erant* per legem, *quia partim ex lege agnoscebantur, partim per legem incendebantur, non legis sed nostro vitio, dum nimirum natura hominis probibitionem legis ferre non potest, ideò nititur in vetitum, cupitq; negata.* Operabantur *autem* in membris nostris, *hoc est, vim suam exerebant non modò in membris corporis, verùm etiam in ipsa mente, omnibusq; viribus animæ, ubi tanquam fœtida quædam scabies pruritum excitabant, principiò quidem jucundum, postmodo verò cùm peccatum jam perpetratum est, ingentes animi cruciatus, mortem & exitium afferentem. Vtitur Apostolus verbo* ἐνεργεῖν *quod correspondet verbo* κατεργάζεσθαι, *quod infrà aliquoties in hoc capite habetur, & hæc duo vocabula de primo motu peccati originalis usurpantur: sed* πράττειν *&* ποιεῖν, *quæ in hoc cap. v. 15, 16, 19, 24. etiam occurrunt, de ipso opere, licet sensus non semper accedat. Et hæc habet de priori matrimonio.*

Posterius est in statu gratiæ seu regenerationis, ubi cum Spiritu Christi sumus conjuncti. Ibi dicit, nos solutos esse à lege mortis, in qua detinebamur: quibus in verbis lectio græci codicis variat: quidam enim legunt in genitivo, ἀποθανόντος *ut referatur participium ad legem, unde habet vetus Latina versio,* soluti à lege mortis, *seu mortiferæ legis, quæ quia à nobis præstari non poterat, mortem & maledictionem inferebat in mundum, quia obligat vel ad obedientiam vel ad pœnam: & in hac lege detinebamur extra Christum, tanquam captivi & ad mortem à lege condemnati. Alij codices legunt in vocativo* ἀποθανόντες, *mortui, ut referatur partici-*

pium

pium ad nos, qui mortui sumus legi in statu regenerationis, postquam condemnatio legis nihil amplius juris in nos habet. Soluti autem ideò sumus à lege, & Spiritui Christi conjuncti, non ut steriles simus in hoc matrimonio, sed ut serviamus in novitate Spiritus, & non in vetustate literæ. Hæc est prolificatio nostra: nova videlicet obedientia, quæ servitus est verè libera, ingenua & Christiana, quæ Deo fit. Opponit autem in hac servitute Spiritum & literam, more sibi proprio, tanquam obsequium veteris & novi hominis. Nam homini nondum renato lex verè tantùm est litera, quam homo ex se non intelligit: licèt enim ceremonias legis non ignoret, & externa quædam faciat, quæ legis sunt; ignorat tamen quæ opera Deo grata sint, ideò fingit sibi ipsi cultus, & qualicunque externo obsequio pulcrè sibi placet. Renati autem à Spiritu sancto ducuntur & intelligunt, quæ vera sit sanctitas, quæ Deo placeat, cui & operam dant pro virili, licèt perfectionem ejus assequi non valeant.

[*Litera & Spiritus opponuntur 1. de omni legis & Evangelij doctrina; ratione caussæ formalis. Litera est externus dicti vel ceremoniæ: Spiritus autē sensus interior significatus, Sic typi aliud ferebant secundùm literā, aliud secundùm spiritum: promissiones sanctis factæ in V.T. sæpè aliud volebant secundùm literam, aliud secundùm spiritū. 2. de omni doctrina simpliciter, ratione objecti. Quæ litera sunt homini carnali, ea spiritus sunt homini renato, qui regitur à Spiritu S. 3. propriè doctrina legis vocatur litera, & quidē occidens, 2. Cor. 3. doctrina Evangelij Spiritus, quia dat vitam. 4. denique notatur hac oppositione effectus utriusque doctrinæ: obsequium non renatorum est litera, renatorum Spiritus, &c.*

Paraphrasis hujus partis.

VT autem meliùs intelligatis, quid sit id, quod dixi, vos non esse sub lege, vestras conscientias appello, Fratres in Domino. Scitis utiq; legem in hominem jus habere, quamdiu homo in vivis est. Ita enim in rebus humanis alioquin comparatum est. Mulier equidē subjecta marito est, dum vivit ille, vi vinculi conjugalis, & si vivente marito adhæreret alteri, adulterij rea esset: sed post mortem mariti nubere potest alteri viro, quia à fide, quam defuncto dederat, per mortem ipsius soluta est: Ita vos, ô mei, liberati estis à dominio, accusatione & damnatione legis, postquam Christus, in quem creditis, peccata vestra, quæ vos ex lege condemnabant, tulit in corpore suo, suoq; Spiritui vos univit, ut jam expirante jure legis in vos, quæ damnat omnes non perfectè obsequentes, ipsi tanquam alteri marito adhæreatis, in hunc finem, ut fructus feratis in Domino, vobis ipsis honorificos, Deoque gratos & acceptos. Quemadmodum enim ante regenerationem vestram, cùm corruptæ naturæ ductu agitaremini, pruritus pravorum affectuum per prohibitionem legis, vitio depravatæ naturæ, irritati titillabant carnem vestram, ad producendos fructus vobis ipsis exitiales & mortiferos: ita multò magris æquum nunc est, ut regenerati & vinculis maledictionis, quibus lex vos extra Christum quasi captivos detinebat, soluti, serviatis Deo, non juxta externam legis disciplinam, sed vera animi pietate, & sincero cordis adfectu: hi enim erunt fructus

spiri-

ſpiritualis hujus matrimonij, quod vobis cum Spiritu Chriſti per fidem intercedit.

Quæſtiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Eſtne matrimonium ſtatus tantùm hujus ſeculi, ſiquidem Apoſtolus ſcribit: ſi mortuus fuerit vir, ſoluta eſt mulier à lege viri, ver. 2, 3?

Reſp. Sadducæi olim, ne admitterent reſurrectionem mortuorum ſtultam hanc fovebant opinionem, quaſi in altero ſeculo futurum ſit matrimonium, quos refutat Salvator Matth. 23, 30. his verbis: Erratis, neſcientes ſcripturas neq; virtutem Dei: in reſurrectione enim neq; nubunt, neq; uxores ducunt, ſed ſunt ut angeli Dei in cœlo. Rectè itaq; ex hoc loco Apoſtoli colligimus, matrimonium durare duntaxat uſq; ad mortem alterutrius conjugis, hoc eſt, intra terminos hujus tantùm vitæ contineri. Hinc eſt illud Lyræ ſuper hunc locum: Si vir reſurgeret, non teneretur mulier eum recipere, niſi de condecentia, & cum hoc ſuperveniente novo conſenſu. Rationem hujus rei quærit Pererius in charactere indelebili, qui nō imprimitur in matrimonio, quemadmodum in baptiſmo, confirmatione atq; ordinatione diſp. 1. in cap. 7. Rom. num. 2. Sed non invenit, quod quærit; nam character ille & ſcripturæ & orthodoxæ antiquitati ignotus, ſcholaſticis autem hujus

hujus figmenti autoribus dubius est: sed ratio alia in promtu est, nimirum, quòd in altera vitâ deficit finis matrimonii, qui est ex institutione Dei, sobolis susceptio & Ecclesiæ propagatio, cum aliis finibus secundariis omnibus, de quibus hîc dicendi locus non est.

QUÆSTIO II.

Rectene ex hoc loco Pauli ducitur & confirmatur rigidum illud doctrinæ Papisticæ decretum, quòd parti innocenti à conjuge adultero vel adultera legitimè separatæ, non liceat matrimoninm contrahere cum altera, vivente adhuc parte rea. Hoc enim Paulus noster dicere videtur, quando scribit, mulierem, si vivente viro, fuerit cum alio, adulteram vocari? v.3.

Resp. *Negari non potest, quosdam ex patribus rigidiorem tulisse sententiam in partem quoq; innocentem, quum vivente rea, simpliciter ab alio matrimonio excluserunt. Origenes in cap.18. Matth. scribit permitti quidem, aliquam nubere viro, priori vivente, sed hoc esse contra scripturam hanc Apostoli Rom:7. cum quo consentit Augustinus in lib. de serm. Domini in monte cap 15. Hieronymus inprimis urget præsentē Apostoli locū Epist.147. ad Amandū, ubi inter alia scribit: Quamdiu vivit vir, licèt adulter sit, licèt Sodomita, licèt vitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus tamen reputatur, cui virum alterū accipere*

non

non liceat. Sed sententiam hanc sanctorum patrum non fuisse ut catholicam in Ecclesia receptam, inde constat, quòd fuerunt, qui publicè contradixerunt, inprimis autem Augustino Pollentius, ut patet ex duobus libris, quos Augustinus de adulterinis conjugijs contra Pollentium scripsit. Habuerunt autem rigidioris istius judicij rationes, ut nimirum, quoad ejus fieri potest, divortia etiam legitima caveantur, vel, si matrimonium interruptum fuerit, reconciliatio quæratur: idcircò separatis non facilè permittebant conjugium cum alia, vivente parte altera, ut eò facilior fieret prioris matrimonij redintegratio. Quòd si qui ipsis contradixerunt, nunquam eos damnarunt, ut hæreticos. Primùm hoc ausum fuit conciliabulum Tridentinum, quod sub Anathematis pœna credendum esse præcipit, etiam innocentem, qui caussam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharíq; eum, qui dimissa adulterâ aliam duxerit, sess. 24. can. 7. quam sententiam propugnat Bellar. lib. 1. de matrim. cap. 16. Gregor. de Valentia tom. 4. operum disp. 10. quæst. 1. de matrim. secundùm se, puncto 7. fol. 2191. & Pererius noster disp. 1. in cap. 7. Rom. num. 4. seqq. Vrgent autem omnes hunc locum Apostoli nostri: Mulier vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: & illum alterum 1. Cor. 7, 10. ijs qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Sed manifestum est, D. Paulum in loco ad Romanos, loqui de vinculo matrimoniali in se considerato, extra casum divortij. Non enim agit de divortijs, sed potiùs de individuo nexu eorum, qui matrimonio juncti sunt, cum quibus ea in parte fideles Christianos confert; quòd autem in caussa legitimi divortij conjugi, etiam vivente parte altera,

ad secunda vota transire liceat, ipse docet 1. Cor 7, 15. exemplo conjugij inter personas in fide dispares, ubi ex præcepto Domini personam desertam eximit à lege prioris matrimonij, etiam superstite parte deserente. In loco epistolæ ad Corinthios, quem laudant adversarij, agit Apostolus de ijs casibus, in quibus ex præcepto Domini dimissio conjugis non est licita. Dicit enim se proponere Corinthijs præceptum Domini. Jam verò Dominus Matth. 5. non exclusit fornicationem, sed illam in specie caussam adduxit legitimæ dimissionis; quisquis uxorem dimiserit, inquit, extra caussam fornicationis, facit eam mœchari. Quod si ergo propter fornicationem factum fuerit divortium, in eo sanè casu parti innocenti secundum conjugium non interdixit, sed saltem si levicula de caussa facta fuerit discessio, præsertim caussa nondum legitimè cognita, tunc nondum solutum est matrimonium, ac proinde absque crimine adulterij alteri adhærere non licet. Est ergò Ecclesiæ nostræ sententia, & recepta Consistoriorum consuetudo, ut parti innocenti in legitima conjugij solutione (quæ quibus de caussis fiat, alibi docetur) liberum relinquatur ad secunda vota transire, etiam vivente parte rea; & quòd id sententiæ Paulinæ, nihil officiat, jam audivimus; Vt tamen tenerioribus conscientijs meliùs consulatur, notentur hujus nostræ sententiæ & consuetudinis rationes, quas Papistico anathemati constanter opponimus. 1. requirit hoc partis innocentis summa necessitas. Quòd si enim dono continentiæ (quod pauci habent) destituitur, relinquitur per rigorem illum matrimonium probibentem, vel in perpetua ustione, quæ turbat preces; vel præcipitatur in fornicationem, quæ habet adjunctum reatum æternæ maledictionis. Valeat ergò hic quoque illud Apostolicum: Melius est nubere, quàm uri. Non enim est veri-

In caussa divortij licet parti innocenti ad secundas nuptias transire, vivente adhuc parte rea.

simi-

simile, Christum Matth. 5. illo præcepto de dimittenda conjuge propter fornicationem laqueos conscientiæ nectere voluisse. 2. requirit hoc definitio divortij, quæ utrumq; complectitur, uxorem dimittere & aliam ducere: unde expressè scriptum est, repudiatam alteri posse nubere, & si post mortem alterius mariti duceretur à priore, rem abominabilem esse coram Deo Deut. 24, 2. Ierem. 3, 1. Levit. 21, 7. Ezech. 44, 22. 3. idem probat formula repudij, quam Iudæi hodieq; dare solent repudiatis, in qua ipsis potestatem faciunt pro libitu suo vadendi, quò voluerint, & nubendi cuilibet viro, ita ut nemo prohibere possit. 4. ducitur etiam argumentum à contrario sensu ex dicto Christi Matth. 5. ubi Christus dicit, mœchari illum, qui extra caussam fornicationis aliam duxerit: ergo non mœchabitur, qui in caussa fornicationis conjugem legitimè dimisit, & aliam duxit. Considerent pij has rationes, & facilè in sententiam Ecclesiæ orthodoxæ concedent, si modò conscientijs consultum voluerint.

QUÆSTIO III.

Cùm Apostolus scribit, nos esse solutos à lege, item mortificatos nos esse legi: Numquid rectè hinc concluditur, Christianos à legis observandæ obligatione esse absolutos?

Resp. Minimè. Est enim lex DEI perpetua regula ac norma justitiæ in Deo, quam Christus suo in carnem adventu non sustulit, sicut ipse dixit Matth. 5. non veni solvere legem:

neq; permittit Deus fidelibus licentiam faciendi quidlibet, sed expressè docent Apostoli, credentes per Spiritum Sanctum renovari ad obedientiam legis. Etsi enim abrogatio legis moralis facta est; ea tamen non facit aliquam mutationem in mente Dei, in qua lex æterna & immota regula justitiæ semper est, sed mutatio fit in nobis, quos filius Dei sua obedientia à maledictione & rigore legis liberavit: idcirco Apostolus noster non dicit, legem esse mortuam, quasi illa sublata prorsus sit, sed nos esse mortuos legi. Abrogata igitur lex, & nos soluti à lege sumus 1. *quoad justificationem, non enim est data lex, quæ posset vivificare Gal.* 3, 21. 2. *quoad maledictionem: Christus enim nos à maledictione legis redemit, factus pro nobis maledictum, & conferens nobis jus adoptionis Gal.* 3. & 4. 3. *quoad rigorem exactionis. Nam quia Christus pro nobis legem perfectè implevit, Deus jam remittit credentibus aliquid de rigore legis, secundùm quem nullam obedientiam probat, quæ non sit pura & perfecta; nemini promittit vitam & salutem, nisi sub conditione perfectæ impletionis; omnes, quibus aliquid vitÿ adhæret, absq; ἐπιεικείᾳ subÿcit damnationi. Jam verò Deo placet etiam inchoata renatorum obedientia, quibus & vitam & salutem promittit, non ut meritum imperfectæ obedientiæ, sed perfectißimæ obedientiæ Christi; & deniq; defectus etiam renatis adhærentes, licèt reatum æternæ damnationis natura sua secum trahant, propter Filium non imputat, sed pallio justitiæ Christi tegit, ut ad damnationem non videantur.* 4. *Soluti sumus à lege, quo ad servilem illam coactionem, quæ apparet in non-renatis, qui non nisi cum tædio faciunt, quæ legis sunt, metu pœnæ: ab isto tædio liberati sunt fideles; nam quia Spiritu ducuntur, jam delectat eos lex secundùm interiorem hominem, ut spontè faciant, quæ legis sunt, quantum in ipsis est, non in vetustate*

Lex quomodo sit abrogata.

state: *literæ, sed in novitate spiritus, unde & spontaneus Dei populus vocantur Psal.* 110. *His modis abrogatam esse legem credentibus credimus & docemus ex scriptura, unde apparet, manere nihilominus obligationem ad obedientiam legis, quæ quemadmodum ante lapsum fuit in primis parentibus, & in electis erit perfectißima in altera vitâ; ita etiamnum durat in renatis pro statu hujus seculi, unde & æterna & immota regula justitiæ in Deo vocatur. Quæ cùm ita sint, inexcusabilis calumnia Jesuitarum est, qui Ecclesijs nostris affingunt, quasi docerent, omnes, qui per fidem Iesu Christi justificati sunt, legis vinculo & obligatione exolutos esse; atq; ideò ægrè ferunt negari à nobis, Christum venisse in hunc mundum, ut Iudicem atq; Legislatorem, sed solùm ut Redemtorem atq; salvatorem; quæ verba sunt Pererij disp.* 6. *in cap.* 7. *Rom. num*: 22. *cum quo consentit Bellarminus libr.* 4. *de justif. cap.* 5. *Sed hæc Antinomis & Libertinis occinant, non nostris Ecclesijs, in quibus Dei beneficio, publicæ sonant & frequentes exhortationes ad obedientiam legis, & publicæ paßim reperiuntur animadversiones in delinquentes: quæ omnia impudentem illam Pontificiorum calumniam potenter retundunt. Essent enim prorsus de nihilo, si renatos à vinculo & obligatione Legis observandæ solutos esse crederemus. Quòd autem* CHRISTVM *Legis latorem vocant, ambiguitas est* 1. *in voce Legis latoris. Si enim generaliter sumitur pro summo & primario legis promulgatore, non negamus* CHRISTVM *talem esse; habet enim hoc officium cum Patre & Spiritu Sancto indivisum. Si verò in specie accipiatur, de eo, qui vel leges novas tradiderit, vel pœnas à delinquentibus absq; ulla ἐπιεικείᾳ exigat; talem legis latorem non agnoscimus. Nam eos maledicere & damnare, qui non servarunt omnia, quæ scripta sunt in lege, non ad officium*

Obligatio legis manet etiam in ijs, quibus abrogata Lex est.

Calumnia Pererij & Bellarmini.

Christus quatenus dicatur noster Legis lator.

Christi, sed Mosis pertinet. Christus enim non venit animas perdere, sed servare. Luc. 9, 56. ideo vocatur impletor Legis, quia perfecta sua obedientia nostra est: Impletor autem non est legislator: & per Mosen lex data, per Christum autem gratia & veritas Ioh. 1. unde non Christus, sed Moses mediator legis dicitur Gal. 3, 19. 2. Ambiguitas est in voce legis, quæ interdum generaliter accipitur pro doctrina, & sic Evangelij quoq; doctrina Lex appellatur Esa. 2, 3. 42, 4. Ps. 19, 8. hoc respectu Christus legifer noster vocatur Es. 33, 22. quia doctrinam de gratuita remissione peccatorum ex sinu Patris æterni protulit. Ipse verò legem novam non tulit: quia jam antè in lege Mosis omnia erant exactissimè contenta, quæ Deus à nobis requirebat, quemadmodum Christus ipse Matth. 22. summam decalogi inclusit hisce præceptis Mosaicis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente, toto Spiritu & omnibus viribus tuis Deut. 6. & diliges proximum tuum, sicut teipsum. Levit. 19. quibus præceptis nihil perfectius esse. Quòd autem Christus in sermone, quem habuit in monte, dicit: audivistis quod dictum est antiquis: ego autem dico &c. eo ipso non se legislatorem facit, sed interpretem: non enim opponit illa verba Mosi, sed corruptelæ Pharisæorum, falsò interpretantium legem de externâ tantùm disciplina, quibus significandum erat, Deum in lege Mosis insuper internos animi motus requirere integros. Cur præcepta Mosis dicantur præcepta Christi. *Vocat autem Christus præcepta Mosis sua præcepta Ioh. 14. & 16. Matth. 28. &c. partim quia ipse per Mosen, legem in monte Sina promulgavit, partim quia eam sua voce docuit, nobisq; commendavit, partim etiam quia non nisi Spiritu Christi etiam incboata obedientia legi præstari potest. Vocantur etiam nova præcepta 1. quia exemplo Christi nobis commendata atq; renovata sunt. 2. quia Christus*

ea ab

ea ab importabili innumerabilium ceremoniarum Mosaicarum jugo liberavit, & jam non nisi fidem & caritatem à nobis exigit. 3. quia Christus de rigore legis remittit, & incoatâ etiã obedientiâ contentus est: quod Moses extra Christum non facit. Quæ omnia diligenter observata satisfacere possunt ad refutanda ea, quæ prolixè habentur apud Bellarminum & Pererium locis allegatis, quibus ex Christo legislatorem novum facere satagunt.

QVÆSTIO IV.

Quando D. Paulus mulierem vocat ὕπανδρον seu subjectum viro, numquid cum hac sententia Apostoli, pugnant nonnulla sapientium Ethnicorum judicia, quibus commendantur aliquæ mulieres imperitantes viris?

Resp. De Spartanis scribit Aristoteles lib. 2. polit. cap. 7. quòd solæ Spartanæ domesticis rebus præfuerint, quod nonnulli de domestico imperio accipiunt: sed curam eis tribuit rei domesticæ, & libertatem aliquam, non autem imperium, quia solæ fuerunt animi non muliebris, neq; maritis planè imperarunt, sed patriæ libertati adsuetæ ita domesticas res tractarunt, ut parendo imperarint. Sic Cato Censorinus apud Plutarchum Romanis hoc exprobravit: omnes homines, inquit, uxoribus dominantur, nos cunctis hominibus, nobis autem uxores &c. Sed hoc non simpliciter intelligendum est de domestico imperio, quod penes patresfamilias fuisse constat. alias Paulus noster Romanis delicatissimis hominibus scribens,

scribens, mulierem vix vocasset ὕπανδρον: sed de quadam maritali indulgentia, quæ cum imperio nihil habet commune. Illa in affectu, hoc in potestate consistit: illa cavet offensam conjugis, hoc familiam dirigit & conservat: illa providet quæ conjugi placere possint, hoc necessaria familiæ subsidia respicit. Aliàs sanè etiam apud Ethnicos saniores nihil magis absurdum fuit aut barbarum, quàm muliebre imperium, siquidem is qui alium cupit regere, illo prudentior esse debet; fœminis verò natura calliditatem potiùs dedit, quàm prudentiam: ideò rectè dixit Plutarchus in præceptis connubialibus cap. 5. quæ mulieres malunt stolidis viris imperare, quàm parere sapientibus, similes illis sunt, quæ ducere potius cæcos volunt, quàm intelligentia visuque præditas sequi. Generale igitur axioma est, etiam natura notum; mulier subdita sit viro, quod & præceptum divinum requirit. Ex quo fundamento Apostolus noster mulieres alibi hortatur ad subjectionem virorum Col. 3, 18. & Petrus in 1. epist. cap. 3, 1. &c.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Mortuis non est lex posita, quemadmodum colligitur ex v. 1. impium igitur & stultum est, quòd in Papatu leges ponuntur ijs, quos in purgatorio esse putant: idenim suæ potestati attribuit Pontifex Romanus, qui imperare audet Angelis in cœlo, hominibus in terra, & animalibus in purgatorio.*

2. *Vxor est & vocatur ὕπανδρος, hoc est, obligata viro: non ergo sui juris est, sed marito subjecta, vi præconij divini, Genes. 3, 16. sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi.*

Ex quo

Ex quo fundamento hortatur Apostolus alibi mulieres ad subjectionem maritorum Col. 3, 18. 1. Petr. 3, 1. Colligimus hinc subjectionem mulieribus honori esse, fit enim juxta institutionem Dei, imperium autem in viros ipsis turpe & ignominiosum est, quia de jure illis non concessum est 1. Tim. 2, 12. &c. quin & inter summas pœnas numeratur à Spiritu Sancto, si mulier imperet viro Es. 3, 4. Sir. 25, 30. & viro laudi ducitur, si imperet uxori Si. 9, 2.

3. Conjugium non nisi duas personas vinculo matrimoniali conjungit. Testatur enim Apostolus, adulteram fore, si qua vivente marito, alteri adhæserit: & hoc primæ institutioni est conforme, ubi duo dicuntur in una carne esse Matth. 19. Polygamia itaq; Judæorum non erat instituti sed permissi divini, dicente Christo, propter σκληροκαρδίαν Iudæorum DEUM id permisisse Matt. 19, 8.

4. Fides conjugalis non est ἐφήμερος, sed durat usq; ad finem vitæ. Quisquis ergò conjugum vel adulterio vel violentia vel insidiis vel desertione lædit thori socium, is perjurii ipso facto reus est. Fregit enim fidem Deo & conjugi coram altari datam: non autem discedet malum de domo pejerantis, Zach. 5.

5. Secunda vota conjugibus sunt concessa. Durant enim jura connubialia tantùm usq; ad mortem conjugis. Quam ob causam D. Paulus juniores viduas vult nubere & filios procreare 1. Tim. 5, 14. Impius ergò error Catharorum & Montanistarum est, quasi nuptiæ secundæ sint damnabiles. Ita enim Satan Spiritus immundus viduarum castitati insidias ponit, quarum virginitatem temerare non potuit.

6. Finis passionis Christi non postremus est, liberatio nostra à lege quoad maledictionem, coactionem & rigorem

perfectionis, quemadmodum in quæstionibus explicatum fuit: quo nomine inter cætera Christus vocatur Legis impletio Roman. 10.

7. *Christo desponsati sumus in baptismo, ubi liberati à maledictione legis & operibus mortuis peccati, fidem nostram ei dedimus: de quo spirituali connubio ipse loquitur Ose. 2, 19. & Paulus Eph. 5, 32. 1. Cor. 11. Non igitur sit sterile conjugium, sed fructificemus Deo operibus bonis, quæ & conjugii hujus sint delitiæ, & fidei Christo datæ, à nobis autem pro virili servatæ, testimonia.*

8. *Christus verus Deus est: & hoc nomen ei tribuit Apostolus noster v. 4. fructificemus Deo; prolificationem intelligit spiritualis conjugii, phrasi Hebræa, ubi liberi fructus ventris appellantur Psal. 127, 3. Liberos autem fert uxor non alteri, sed marito suo; Christus autem spiritualis noster maritus est: prolificandum autem Deo: ergò Christus verus Deus est.*

9. *Peccati radix suavis, fructus amarus est; initium dulce, exitus doloris plenus: Itaq; pruritui hominis scabiosi confertur, qui quidem titillat carnem, sed non absque dolore. Paulus noster* παθήματα *vocat, ob caussas in explicatione textus indicatas; Lutherus reddit,* das wüten der Sünde. *Caveamus itaq; blanditias peccati, & pruritum hunc compescamus mox ab initio, aut saltem alimenta non subministremus, si læta conscientia frui volumus: quò referatur locus Siracidæ cap. 21, 1.*

10. *Magna est naturæ nostræ corruptio, post lapsum: quod & inde patet, quòd legi optima jubenti non modo non obtemperat, verùm etiam adeò resistit, ut ex præceptis legis occasionem peccandi arripiat. Nescio enim (inquit Augustinus,) quomodo id quod concupiscitur, jucundius fit, dum vetatur: ideò Paulus dicit, passiones peccatorum per legem esse, non ratio-*

ne ori-

ne originis, quasi lex peccatum gigneret, sed ratione occasionis, quam natura corrupta sibi sumit ad peccandum ex prohibitione legis, ut infra declaratur v. 8.

11. *Homo non uno statim impetu, peccato obruitur; sed est quoque ordo quidam in inordinato. Primùm enim est peccatum originis: sunt inde propullulantia παθήματα & pravi motus; hi corrumpunt intellectum, monstrantes ei malum sub specie boni ex corrupto intellectu: hinc subsequuntur inclinationes ad ipsam rem pravam, donec per externa membra corporis ipsum opus deducatur in actum: hoc est, quod Paulus dicit, passiones peccatorum operari in membris nostris. Per operationes peccati intelligit vires peccati, quibus sese exerit: per membra, intellectum, appetitum, voluntatem, omnem denique sensum hominis cum exterioribus membris corporis.*

12. *Servitus nostra Spiritualis consistit in sinceritate spiritus & puritate cordis; quando nimirum Deo servire studemus, non tantum juxta externam quandam disciplinam, sed secundùm omnes interiores animi vires, quemadmodum Lex requirit, ubi Spiritus Domini adjuvat imbecillitatem nostram. Et hæc sinceritas animi perfectio Christianorum est in hoc mundo.*

13. *Inanis est distinctio Pontificiorum inter λατρείαν & δουλείαν, quarum illam Deo tantùm, hanc sanctis tribuunt: hic enim Deo δουλεύειν dicimur in novitate Spiritus v. 6.*

§(:)§



PARS SECUNDA

TEXTUS.

Τί οὖν ἐροῦμεν, ὁ νόμος ἁμαρτία, μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων, εἰ μὴ διὰ νόμου. τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν, οὐκ ἐπιθυμήσεις.

Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα, ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς, κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν· χωρὶς γὰρ νόμου ἁμαρτία νεκρά.

Ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ· ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς, ἡ ἁμαρτία ἀνέζησεν.

Ἐγὼ ἀπέθανον· καὶ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν αὕτη εἰς θάνατον.

Ἡ γὰρ ἁμαρτία ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς ἐντολῆς ἐξηπάτησέ με, καὶ δι᾽ αὐτῆς ἀπέκτεινεν.

Ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία, καὶ δικαία καὶ ἀγαθή.

Τὸ οὖν ἀγαθὸν, ἐμοὶ γέγονε θάνατος; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία, ἵνα φανῇ ἁμαρτία, διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον,

7. Quid ergo dicemus, lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces.

8. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.

9. Ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit.

10. Ego autem mortuus sum, & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.

11. Nam peccatum occasione accepta per mandatum induxit me, & per illud occidit.

12. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum.

13. Quod ergo bonum est, factum est mihi mors? Absit: sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem

ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς.	mortem, ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

IN ſecunda parte agit Apoſtolus de fine atq; uſu legis in Romatis, cujus tractationis occaſionem ipſi præbuit, quòd dixerat aliqua rigidiora de lege, nimirum legem ſubintraſſe, ut abundaret peccatum, legem iram operari, nos non eſſe ſub lege, eſſe legem mortis, paſſiones peccatorum per legem eſſe &c. quæ omnia ne quis ſiniſtre accipiat, quaſi lex ipſa peccatum, aut cauſſa peccati eſſet, jam per præoccupationem has cogitationes removet. Quid ergo dicemus? *inquit;* lex peccatum eſt? abſit; ſed peccatum non cognovi, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces. *Removet opinionem iſtam, oſtendendo meliorem uſum legis, qui eſt, revelare peccatum Nam natura noſtra multa pro peccatis non agnoſcit, ſæpe etiam ex peccatis virtutes facit: Lex autem eſt regula recti, ex qua obliqui etiam cognitio facilis eſſe poteſt; idq; declarat Apoſtolus exemplo concupiſcentiæ, quæ vel maximè latet humanam rationem, ideò nulla lege humana prohibita eſt, multiq; non agnoſcunt eam eſſe peccatum, qui ne quidem ſcortari, vitium putant eſſe adoleſcenti: Et tamen hæc concupiſcentia cæterorum peccatorum actualium quaſi fons & ſcaturigo eſt. Vnde autem ſit iſta concupiſcentia, addit;* occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. *Diſtinguit concupiſcentiam à peccato, non quaſi ea peccatum non ſit, ſed quia ex peccato originali oritur. Dicit autem, peccatum per præceptum occaſionem ſumſiſſe operandi pravos*

 affe-

affectus: ea enim est naturæ nostræ depravatio, ut quo diligẽtiùs prohibetur in lege peccatum, eò magis in contrarium nitatur. Tendit enim ad libertatem suam, quæ vinculo legis quasi adstricta videtur: illud vinculum rumpere nititur, quò arctiùs eo adstringitur. Dicit autem, operabatur omnem concupiscentiam. *Nam ante legem homo faciebat tantùm quæ mala sunt, post legem etiam quæ prohibita sunt, ut interpretatur Augustinus super hunc locum. Aliàs sine lege peccatum mortuum erat, hoc est, tantopere se non exerebat, antequam à lege ostenderetur, sed cùm lex prædicaretur,* revixit peccatũ; *hoc est, atrocitas ejus magis magisq́ innotescebat, ipsum quoq́ incrementa capiebat, & ira Dei adversus peccatores manifestior subinde reddebatur. Rem totam suo declarat exemplo:* Ego vivebam aliquando *(inquit)* sine lege v. 9. *quasi diceret, cùm adhuc Pharisæus essem, nec rectè inspexissem legem, quòd illa etiam interiores cordis affectus vitiosos prohiberet, videbar mihi pulcrè vivere, Deoq́ placere:* nunc autem mortuus sum, *hoc est, mortis & condemnationis reus:* & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem, *hoc est, intellexi demum præcepta legis, in quibus nondum rectè intellectis vitam & salutem me habere mihi videbar, mortem & damnationem parere: qui quidem effectus per accidens legi adscribitur, cùm nimirum peccatis (quæ propriè mortis & damnationis caussa sunt) occasionem præbuit magis magisq́ erumpendi, sicut mox ipse explicat v. 11.* Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit: *Ubi peccato tribuit propriè, quod paulò antè legi per accidens adscripserat. Peccatum enim est, quod præceptionibus legis irritatum decipit hominem, ut consentiat in rem malam, & tamen sibi sanctitatem aliquam imaginetur,*

netur, donec tandem omnibus præsidiis destitutus, peccatis autem undiquaq; contaminatus, nihil nisi mortis & æternæ condemnationis terrores persentiscat. ; unde D. Jacobus scribit; peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem Jac.1,15. Atq; sic exitij culpam omnem transcribit peccato: legem autem (quâ peccatum abutitur) excusat & commendat his verbis: itaq; lex quidem sancta & mandatum sanctum, & justum & bonum v. *12.* Sanctam *vocat legem & ejus præcepta, ratione caussæ efficientis & materialis, quia habet autorem sanctum, Deum ipsum, & in sese omni imperfectione aut impuritate caret:* justam *vocat ratione caussæ formalis, quia est norma justitiæ:* bonam *vocat, ratione finalis caussæ, quia bona corporalia & spiritualia obedientibus promittit. Hoc ergò pacto legem à malignitate vindicavit. Iam autem in fine hujus partis, alteri occurrit objectioni:* Quod ergo bonum est, *inquit*, hoc mihi factum est mors? *Opponitur hæc quæstio ei, quod suprà dixerat: inventum est mihi mandatum ad mortem esse, unde videbatur sequi mandata legis mortis caussam esse. Respondet Apostolus*, Absit: sed peccatum, ut appareat peccatum *seu res enormiter exitiosa*, per bonum, *hoc est, per mandata legis innotescens, quanta ejus sit malitia*, operatum est mihi mortem; *bonum autem seu mandata legis hoc tantùm præstant*, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum, *hoc est, ut manifestetur peccatum valdè malum esse, & multò pejus, quàm putabatur ante legem. Peccato igitur exitialem effectum mortis adscribit, non legi.*

Para-

Paraphrasis hujus partis.

QUòd autem dixi, paſsiones peccatorum per legem eſſe, nos lege ſolutos, & legem ſubintraſſe, ut abundaret delictum, hæc nemo mihi ita interpretetur; quaſi lex ipſa peccatum ſit, aut peccatum per ſe operetur. Impium hoc eſt & ineptum. Alium & quidem contrariũ in nobis uſum lex habet, nimirum quòd nos ad veram peccati agnitionem adducit; illud enim naturæ noſtræ tàm notum non eſt, quantũ nobis ex doctrina legis innoteſcit: illa enim externos duntaxat defectus & exceſſus reprehendit; hæc etiam internos animi affectus & concupiſcentias pravas, quas natura non agnoſcit, prohibet atq; damnat. Etſi verò lex ipſa peccatum aut peccati cauſa non eſt: lege tamen abutitur peccatum, quando in vetitum nititur, tantoq; vehementiùs carnem ad deſideria vitioſa ſtimulat, quantò diligentiùs & ſeveriùs ea in lege prohibentur. Quòd ſi enim lex prædicata nunquam fuiſſet, peccatum etiam originale deſiderijs ſuis tantopere ſe non exeruiſſet; poſtquam autem lex prædicata totam naturam hominis ream egit, tunc nõ tãtùm peccati atrocitas magis cõſpicua fuit reddita, ſed & in homine magis tumultuari, & ſeveriorem Dei animadverſionem accelerare cepit: id quod meo docere poſſum exemplo. Cùm adhuc in Phariſaiſmo eſſem, & non niſi externam legis obedientiam ſcirem, internas verò concupiſcentias in lege prohibitas eſſe non agnoſcerem, tunc videbar mihi coram Deo vivere, & externâ quam præſtabam legi, diſciplinâ, pulcre placere poſſe: jam verò poſtquam legem penitius inſpexi, terrores mortis ſentio, & experior, legem,

in qua

in qua vivere volebam, accusatione sua, quæ ad intimos usq; animi recessus pertingit, morti & condemnationi me addicere: ita peccatum, quod contra legem est, & in lege accusatur, exitij mei caussa est, non lex. Peccatum enim fraudulenter me circumvenit, abutens præceptis legis & desiderijs in lege prohibitis, quasi prohibita non essent, me inescans, atque sic me miserum terroribus mortis & æternæ condemnationis objecit. Lex verò in sese sanctissima norma justitiæ in Deo est, sanctissima justissimaq; continet præcepta, & optima quæq; obedientibus promittit. Proinde cum peccato nihil habet commune: hoc tamen, ratione peccati, facit lex, ut id, quod absque revelatione legis videbatur non usque adeò magni momenti, jam postquam ex lege fuit agnitum, insigniter malum appareat, & multò pejus, quàm ante legem putabatur.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Qualis intelligitur concupiscentia in præcepto, Non concupisces, num ea tantū, quæ in carne & sensu hominis sedem habet, an verò ea etiam, quæ rationis atq; mentis est?

Resp. Ut rectiùs ad hanc quæstionem respondeatur, sciendum est: Nomen concupiscentiæ seu ἐπιθυμίαν hæc quinq; ordine complecti. 1. ipsam concupiscibilitatem, quæ est potentia naturalis, quam scholastici sensualitatem vocant. 2. corruptionem sensualitatis, quæ à lege Dei avertitur. 3. primos illos motus titillantes sensum & voluntatem ad malum, sed absq;

consensu voluntatis, quam scholastici concupiscentiam carnalem & informem nominant. 4. motus secundos pravarum cupiditatum, quibus adsentitur voluntas, quam scholastici concupiscentiam rationalem & formatam vocant. 5. corruptionem partis superioris in homine; ut sunt desideria mentis obluctantis & obloquentis Deo. Quaeritur jam, num de omnibus vel aliquibus his partibus loquatur Lex, Non concupisces? De ipsa concupiscibilitate extra controversiam est, eam non prohiberi; est enim potentia naturalis à Deo condita, sine qua homo deterior esset bruto. In parte sensualitatis, id est, in carne nonnulli duntaxat posuerunt concupiscentiam in lege prohibitam, hoc est, in appetitu inordinato, licèt nullus accederet consensus: Sed talis concupiscentia etiam est in brutis, quae lege non tenentur. In sensualitate tota concupiscentiam quaerunt plerique Pontificii, hoc est, in pugna rationis & appetitus; sic concupiscentiam lege prohibitam intelligit Pererius noster in disp. 8. in cap. 7. Rom. num. 48. concupiscentiam carnalem & sensitivam, non quidem simpliciter & praecisè, sed ut à ratione approbatam & placitam voluntati: sive ut concupiscentia carnalis ad sui adsensum & obsequium pertrahit voluntatem hominis: *& paulò post*: hoc est profectò, quod lex vetat, voluntatem nempè hominis, non velle neque cupere, quod vult concupiscentia carnis. *Stapletonus concupiscentiam totam sensualitatem vocat, hoc est, totam illam inferiorum virium rebellionem & depravationem. Sed haec sententia ex Theologia Apostolica facit Ethicam Aristotelicam, quia concupiscentiam ultra carnem non extollit, cùm tamen scriptura etiam in mente hominis desideria prava agnoscat. Bellarminus denique lib. 5. de amiss. grat. cap. 15. scribit, concupiscentiam in sensualitate praecipuè, tamen etiam in mente sedem habere.*

Sed

Sed neque hoc sufficit: ita enim major corruptio corpori, quàm menti tribueretur. Scriptura igitur concupiscentiam in lege prohibitam non tantùm collocat in carne aut sensualitate, sed præcipuè in mente, tanquam superiore parte hominis, à qua trahitur peccatũ in corpus. Idq; facilè probari potest, 1. D. Paulus eam concupiscentiam in lege prohiberi scribit, quæ non naturâ nota est, sed tantam ex lege agnoscitur v. 7. sed concupiscentia seu desideria carnis & crassæ cupiditates nonnullis etiam ex lumine naturæ innotescant, quòd vitiosæ sint; quod testantur præcepta Philosophorum de continentia; ergo non inprimis illæ, sed subtiliores animi motus contra Deum in lege prohibiti sunt. 2. Idem Apostolus carnales concupiscentias vocat non tantùm ea peccata, quæ ex sensualitate corrupta proficiscuntur, ut sunt adulteria, furta, ebrietas &c. verùm etiam ea, quæ in mente suam sedem habent, ut lites, æmulationes, ira, idololatria, hæresis Gal. 5, 20. 3. ita Christus Matth. 15, 19. malas cogitationes accusat, invidiam, blasphemiam, superbiam, quæ non sunt carnis, sed mentis opera. 4. & D. Paulus carni tribuit νȣ̃ν καὶ φρόνημα Roman. 8, 7. Coloss 2, 18. docens præstantissimam hominis partem, intellectum videlicet, carnalem esse, hoc est, corruptum atq; depravatum; qui corruptus intellectus caro vocatur, & homines qui mente corrupti vocantur, 1. Timoth. 6, 5. alibi dicuntur σαρκικοὶ 1. Cor. 3, 3. quia vitia ejus, licèt in ultimo animæ recessu latentia, sunt tamen totius hominis, constantis carne & anima & secundùm eam partem, qua caro est, perpetrantur. 5. Vitia omnia, quæ Divus Paulus vocat opera carnis, in Diabolo principatum gerunt, qui carnem non habet. Ergo non habent sedem in inferiore parte hominis, quæ propriè caro vocatur, sed in mente hominis DEO obluctantis. Quibus rationibus moti concludimus, concupiscentiam in lege prohibitam

Concupiscentia sedem suam habet potissimum in superiore parte hominis, hoc est, in mente.

bibitam non tantùm in inferiore parte hominis, quam sensualitatem vocant, sed potissimum in mente, parte hominis superiore & præstantissima reperiri : unde & spiritu mentis nostræ renovari jubemur Eph. 4, 23.

QUÆSTIO II.

Numquid primi motus concupiscentiæ ad res illicitas, quibus incitatur homo ad cōcupiscendum aliquid contra legem Dei & regulam rationis, verè ac propriè peccata sunt, etsi eis non adsit rationis & voluntatis consensus; hoc enim qui docent, hæretici vocantur à Pontificijs?

Contra Pererium.

An primi motus pravæ concupiscentiæ, ad quos non accedit assensus, sint propriè sic dictum peccatum.

Resp. Concilium Tridentinum sess. 5. de peccat. orig. decernit, concupiscentiam, quæ manet in baptisatis, non esse peccatum propriè dictū, eamq; fortiter ipsi reluctantibus non solùm non obesse, sed prodesse etiam plurimùm; ideòq; anathematis fulmine, sed bruto, ferit eos, qui contrarium docent. Sententiam concilij defendere conatur Pererius disp. 8. ubi dicit, tantùm prohiberi concupiscentiam ex deliberata ratione & voluntatis electione provenientem, nam sine deliberato consensu voluntatis, propriè dictum peccatum esse non posse. Quam suam sententiam probare nititur quatuor argumentis, quæ examinanda sunt, antequam ad defensionem nostræ veniamus. Primùm dicit:

Pererij argumenta pro negante parte.

Quod est homini naturale, non potest habere rationem peccati.

Concupiscentia est homini naturalis, ex eo proveniens,

quòd

quòd homo ex duabus partibus multùm differentibus est constitutus, ratione & sensu, appetitu rationali atque sensitivo: nec minùs esse naturale homini concupiscere secundùm sensum delectabilia, quàm sit esurire, sitire, ægrotare.

Ergò concupiscentia non potest habere rationem peccati.

Resp. 1. *Minor falsa est. Non enim loquimur de concupiscentia tantùm carnis seu sensuum inferiorum, qui reluctantur rationi, sed de concupiscentia ipsius mentis obluctantis Deo, quam naturalem appellare nefas est.* 2. *si maximè de inferiore illa concupiscentia ageretur, illa tamen propositio vera est tantùm de concupiscentia ordinata, & quidem rerum naturalium ac licitarū, qualis est appetitus cibi, potus, sexus ad sexum &c. ubi res conditæ à Deo tendunt ad finem à Deo sibi destinatum; non autem de concupiscentia inordinata & rerum illicitarum ac naturam destruentium, quales sunt res alienæ, item mors & morbus &c. Tales enim appetere non ex naturæ conditione, sed ex peccati corruptione est, ut & appetitus inordinatus rerum etiam licitarum. De posteriore concupiscentia loquimur, quæ mala & inordinata est; non de priore, quæ naturalis est. Hinc est illud August. lib. de bono conjugali cap.16. Quod cibus est ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis, & utrumque non est sine delectatione carnali, quæ tamen modificata & refrenante temperantia in usum naturalem redacta, libido esse non potest. Ex quo loco colligimus, cibum & concubitum habere usum naturalem: Si autem modus excedatur, fieri concupiscentiam vitiosam ac carnalem. Omnis enim natura vitiosa, quantum natura est, bona est; quantum vitiosa est, mala est, ait Augustin. in Enchirid. cap. 12. Est igitur in argumento*

ignoratio Elenchi, orta ex rerum diversissimarum confusione.

3. De vitiosa itaq; concupiscentia si quæstio est, si ea esset naturalis, quamplurima sequerentur absurda nimirum Deum eam condidisse: quicquid enim naturale est, à Deo est: atqui D. Johannes testatur eam non esse ex Patre, sed ex mundo 1. Joh. 2, 16. Sequeretur item, Deum eam non odisse: Deus enim nihil odit, quod creavit: Deum peccati autorem esse, cùm à Paulo nostro expressè peccatum appelletur: rem bonam esse, id quod contra Spiritum concupiscit, quod crucifigere jubemur, quod in lege Decalogi nominatim & peculiari præcepto damnatur, quicquid enim homini naturale est, id in se bonum est. Quæ omnia cùm manifestè absurda sint & impia, certum est, minorem propositionem manifesta absurditate & impietate laborare.

Secundum argumentum Pererij hoc est:

Omne peccatum propriè sic dictum est voluntarium & in potestate hominis, juxta illud Augustini: Peccatum usq; adeò necesse est esse voluntarium, ut nullo modo possit esse peccatum propriè sic dictum, si voluntarium non fuerit, lib. de vera relig. cap. 14.

Primi motus concupiscentiæ, antequam accedat consensus, non sunt voluntarij: dicit enim Paulus, non quod volo bonum, hoc ago &c.

Ergò primi motus concupiscentiæ non sunt peccatum propriè sic dictum.

Resp. 1. Major in scholis Philosophorum locum suum habere potest, ubi cogitationis pœnam nemo luit, ex depravato rationis judicio. Theologia verò etiam cogitationes cordis vitiosas accusat, si maximè voluntatis assensus numquam accedat. Huc pertinet ἀνακεφαλαίωσις legis Deut. 6, & Lev. 19, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. huc pertinet interpretatio

Num omne peccatum sit voluntarium.

pretatio legis à Christo facta Matth.5. ubi & ira & odium proximi damnatur tanquam species homicidij: huc deniq; pertinet CHRISTI præceptum Matth.15. Ubi cogitationes pravæ ex corde prodeuntes accusatur. 2. Si nihil habet rationem peccati propriè sic dicti, nisi voluntarium sit, sequeretur, infantes nullum habere peccatum proprie sic dictum, quia nullus illis voluntatis consensus esse potest: dictum, quia nullus in illis voluntatis consensus esse potest: cum Pelagianis igitur dicendum est, infantes absq; peccato propriè sic dicto nasci, 3. Augustinus loco allegato loquitur non de originali peccato, sed de proprio cujusq; enormi delicto. Ita enim semetipsum explicat lib.3. contra Iulian. cap.5. frustra putas, ideò in parvulis nullum esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hæc enim rectè dicuntur de proprio cujusq; peccato, non de originalis peccati contagio; quod tamen & ipsum à prima hominis malà voluntate sumit exordium. Quòd si aliter accipiatur ejus sententia, expressè eam retractavit lib. 1. Retract. cap. 13. ubi docet, pugnare cum ea dictum Pauli Rom. 7, 19. quod nolo, hoc facio. 4. denique ad Minorem respondeo: quòd & primi motus concupiscentiæ aliquo modo sint voluntarij, 1. quidem, quia à voluntate vitiosa suam sumunt originem. 2. quia voluntati ut subiecto insunt. 3. quia fiunt cum delectatione; nihil autem delectat, quod non fiat cum aliquo quantumvis levissimo consensu; quam ob caussam Apostolus noster alibi concupiscentias carnis voluntates cogitationum nominavit Eph.2,3.

Tertium argumentum: quicquid habet rationem peccati propriè dicti, omnino tollitur per gratiam baptismalem.

Motus

Motus concupiscentiæ repugnantes rationi non tolluntur in baptismo, manent enim etiam post baptismum in renatis.

Ergò non habent rationem peccati propriè dicti.

Quid in baptismo remittatur.

Resp. 1. ad majorem: peccatum propriè dictum in baptismo tollitur, quoad formale, non autem quoad materiale, id est, remittitur in baptismo, & non imputatur baptisato, ut Psalmus 32. declarat. Non autem probari potest, quòd illi, quibus remissa sunt peccata, omnem vitiositatem exuerunt: nam pro hoc, ut porrò remittantur ipsis peccata, orabunt omnes sancti, ait Psaltes: qui autem remissionem peccatorum petunt, hi habent peccatum propriè sic dictum, aliàs stolidè peteretur remitti id, quod Deum non offendit. Præterea vitiositas illa, quæ remittitur in baptismo, naturam suam non amittit: sed manet nihilominus illicita rei appetitio, voluntati justitiaq; Dei inimica & in se damnabilis. 2. ad minorem: motus concupiscentiæ repugnantes rationi, manent post baptismum quo ad materiale: nemo enim sanctorum est, qui dicere possit, mundum est cor meum Prov. 20. nemo est, qui concupiscentiæ motus non aliquando in se senserit: sed renatis, qui Spiritu reluctantur carni, non imputantur, & in ijs à Deo ad pœnam non videntur, qui si observaret iniquitates, quis sustineret? Laborat itaq; argumentum fallaciâ παρὰ τὸ πῇ καὶ ἁπλῶς.

Quartum ita habet: Quod homini est inevitabile, non potest esse peccatum: non enim Deus jubet hominem facere aliquid vel vitare, quod sit ei impossibile.

Motus primos concupiscentiæ illicitæ evitare nemo hominum potest.

E. Motus illi non possunt esse peccatum.

Resp. 1. Ad majorem per inficiationem. Nam & id, quod vitari non potest, vitari autem debeat, peccatum est, quia

ἀνομία,

ἀνομία est: ubi ergo definitio, ibi & definitum; neq; enim dependet ratio peccati à potentia vel impotentia hominis, sed à lege, quæ actionum nostrarum norma est, cujus quotiescunq; fit transgressio, à quo & quomodo fieri queat, peccatum est propriè sic dictum. Et quid quæso dicent de peccato originis, in quo nascimur, & quod vitari non potest? & tamen hoc quoq; peccatum confitetur David, & ab eo mandari petit Psal. 51, 8. 2. Deus à principio primo homini non præcepit impossibilia: dedit enim ei vires præstandi ea, quæ præcepta erant, ita ut primus homo posset non peccare: jam verò post lapsum nobis præcepta Dei sunt impossibilia, postquam vires illas, quas in Adamo accepimus, in eodem amisimus: idcirco jam non possumus non peccare: in altero demum seculo beati non poterunt peccare; ibi enim liberati prorsus erunt à peccato. Interim tamen non Dei, sed nostra culpâ lex divina nobis facta est impossibilis, postquam facultas servandi legem in Adamo amissa est. Deus itaq; etiam impossibilia exigens ab homine, injustus non est, quia exigit à nobis, quod suum est, non sua sed nostrâ culpâ deperditum.

An Deus homini præceperit impossibilia.

Hæc sunt argumenta Pererij, quibus disp. 9. tria rostratium (quos hæreticos vocat more Iudæorum Act. 24, 14.) opponit, quibus probatur, concupiscentiam illicitam reverà peccatum esse: quibus singulis suas exceptiones addit, quæ ut inspiciantur & examinentur, operæpretium est.

Argumenta nostrarium pro affirmante parte.

Primum argumentum nostrum ita habet:

Quod lege divina prohibetur, peccatum est.
Concupiscentia, etiam si voluntatis consensus non accedat, lege divina, Non concupisces, prohibetur.
Ergo peccatum est.

Ad hoc argumentum nihil habet aliud Pererius, quam quod negat, primos concupiscentiæ motus, qui præcaveri à neminè

possunt, in lege prohiberi, Deum enim non præcipere impossibilia, quæ manifesta petitio principij est. Responsionem vide in ijs, quæ ad argumentum quartum adversarij paulò antè diximus: adde locum Augustini tract. 41. in Johan. Quemlibet valdè justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato. Ergò ex mente Augustini etiam justus, qui non consentit concupiscentiæ, sine peccato in hac vita non est.

Secundum argumentum nostratium est, quod quidem habet Pererius:

Quicquid impedit observationem perfectam istius præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. illud peccatum est propriè dictum,

Concupiscentia prava impedit observationem perfectam istius præcepti.

Ergò.

Respondet ad hoc argumentum Pererius; primùm ostendere vult, præceptum de diligendo Deo ex toto corde, etiam in hac vita impleri posse, quia 1. aliàs Deus præcepisset impossibilia. 2. Frustra dixisset Christus; serva mandata, si vis ad vitam ingredi, item hoc fac & vives. 3. quia dedit gratiam servandi præceptum illud, sicut scriptum est; circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere. Deinde ex Thoma modum ostendit, quomodo lex illa à nobis in hac vita impleatur, nimirum non quidem actualiter, ut cor hominis actu semper in Deum feratur; hanc enim esse perfectionem patriæ: sed habitualiter, ut nihil contra dilectionem Dei cor hominis recipiat, & hanc vocat perfectionem viæ, cui non contrarietur peccatū veniale. Hæc est summa responsi Pereriani, cujus prior pars non probat, quod intendit.

intendit. Nam prima ratio coccysmus est de præcepto impossibili suprà refutatus: Secunda ratio extra liram vagatur. CHRISTUS enim servantibus mandata vitam promittit, non quòd servari possint, aut quòd ex lege sit vita & justitia (non enim data est lex, quæ posset vivificare Gal. 3.) sed ut arrogantibus legis peritis, qui faciendo volebant vitam æternam hæreditare, ostenderet defectus suos, quantum ipsis de perfectione legalis obedientiæ adhuc desit. Ideò ex lege quæsitus, ex eadem respondere volebat. In tertia ratione est ambiguitas in phrasi, ex toto corde, & ex tota anima, *quæ non notat absolutam puritatem cordis: quis enim potest dicere, mundum est cor meum Prov. 20. sed sinceritas cultus divini intelligitur* ἀνυπόκριτος καρδία, *qualis reperitur in ijs, quibus cor beneficio regenerationis spiritualiter circumcisum est. Sic de Iosia rege scribitur, quòd ad Dominum reversus fuerit in omni corde suo, in tota anima sua, & in universa virtute sua, 2. Reg. 23. de quo tamen ibidem legitur, quòd contra voluntatem Domini Regi AEgypti bellum moverit non necessarium, in quo & occubuit: totum itaq; cor, & tota anima, & universa virtus de sinceritate cultus interpretandum est, quo DEO servivit non simulatè, sed verè & ex animi sententia; quod Paulus noster suprà ver. 6. hujus capitis, servitutem vocavit in novitate Spiritus. Altera pars modum ostendit, quo implere valeamus legem: in quo manifestè principium petitur. Probandum enim erat, cor hominis contra dilectionem ne quidem habitualiter aliquid recipere. Contrarium sanè ostendunt lapsus sanctorum & luculentæ ipsorum protestationes, quòd non possit dari mundus de immundo semine conceptus: quòd omnes sint peccatores, hoc est, legis transgressores, peccatum enim est legis transgressio: quodq;*

mendaces vocant eos, qui negant, se habere peccatum 1. Ioh. 1. Manet itaq; inconcussum, concupiscentiam pravam obstare, quo minùs legi de colendo DEO ex toto corde satisfieri queat.

Tertium deniq; nostratium argumentum a Pererio adductum inde petitur, quòd concupiscentia prava in scriptura sæpissimè peccatum appellatur, id quod cap. 6. hujus Epistolæ fit sexies, capite septimo septies, capite octavo ter.

" *Communis adversariorum exceptio contra hoc argumen-*
" *tum est, quòd vocetur impropriè peccatum, quia ex peccato est,*
" *& ad peccatum inclinat, ut habet concilium Tridentinum, Pe-*
" *rerius noster primò docet, in scriptura non esse insolens appel-*
2. Cor. 5. Ose. 4. " *lare peccatum, quod revera peccatum non est, quemadmodum*
" *Christus dicitur factus pro nobis peccatum, & apud Oseam*
" *Sacerdotes dicuntur comedisse peccata populi &c. 2. ostendit*
" *concupiscentiam figuratè dici peccatum, quinq; modis 1. quia*
" *est vitium corruptæ naturæ contrarium integritati, quod ta-*
" *men in se peccatum non est, ut surditas, cæcitas, mutitas &c. 2.*
" *quia est peccati effectus. 3 quia est pœna peccati 4. quia inci-*
" *tat ad peccatum. 5. quia est instrumentum, quo per actum ge-*
" *nerationis peccatum originale propagatur, & transfunditur*
" *in posteros Adæ.*

Hæc ille disp. 10. num. 61. sed in responsione prima proceditur à non distributo ad distributum. Non enim sequitur, alicubi peccatum μετωνυμικῶς usurpatur, vel pro effectu vel pro adjuncto peccati: ergò etiam hic, quando concupiscentia vocatur peccatum. In exemplis enim ab Esauita adductis objecta ita comparata sunt, ut peccatũ propriè sic dictum ibi intelligi non possit. Scimus enim Christum esse ἀναμάρτητον & peccata propriè sic dicta comedi non posse. Hic verò aliter comparatum est:

quia

quia concupiſcentia contra rectam rationem eſt, ne quidem Pontificiis diffitentibus, quod conſtat ex Bellar. lib. 5. de amiſſ. grat. cap. 15. quod autem contra rectam rationem eſt, in ſe & natura ſua vitioſum eſt. Nam recta ratio nihil facit contra legem Dei, ſaltem quoad externum actum.

(Quod contra rectam rationem eſt, in ſe peccatum eſt. Eſt enim recta ratio particula imaginis divinæ, quæ cum lege Dei conſentit. Concupiſcentia contra rectam rationem eſt. Ergo in ſe peccatum eſt.)

Ad cætera membra reſponſionis dico, Paulum ita deſcribere peccatum, ut nulla prorſus ibi locum habere poſſit figura: ait enim de cõcupiſcentia illa, quòd non ſit bonũ, quòd propter illud non perficiatur in nobis bonum, quòd rebellet legi mentis, & cogat facere quod odit &c. quæ ſanè omnia peccati propriè ſic dicti proprietates & effecta ſunt. Quòd autem vocatur peccati effectus & pœna, quòd dicitur incitare ad peccatum, quòd etiam per concupiſcentiam derivetur peccatum in poſteros, hæc omnia libenter concedimus: non tamen obſunt, quo minùs concupiſcentia propriè ſit peccatum. Nam qualis mater, talis indeles eſt filia: ſicut ergò peccatum originis propriè peccatum eſt; ita & inde oriundi motus pravæ concupiſcentiæ: quòd etiam pœna ſit peccati, non negamus, neq; eo reſpectu quatenus pœna eſt, peccatum dicimus, dum autem alios ad peccandum incitat, & peccatum propagat, eo ipſo peccatum propriè ſic dictum, & res in ſe mala eſt, Deoq; diſplicens; bona enim cauſſæ tàm vitioſi effectus eſſe non poſſunt. Nihil igitur abſurdi eſt, dicere, concupiſcentiam pravam & pœnã eſſe peccati, & cauſſam peccati, & ipſum peccatũ. Hoc enim docuit Auguſtinus lib. 5. contr. Iulian. cap. 3. Concupiſcentia carnis, adverſus quã concupiſcit Spiritus, & peccatũ eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis: &

Concupiſcentia prava eſt & pœna peccati & cauſſa peccati, & peccatum ipſum.

pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & caussa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis. Quod autem dicit Pererius, Concupiscentiam esse vitium corruptæ naturæ, quale est surditas, cæcitas, muticas &c. falsum dicit. Non enim duntaxat defectus quidam est à bono, sed & inclinatio & suggestio ad malum, radicitus naturæ corruptæ infixa, ita ut ne quidem infantes, qui ad actum concupiscendi uxorem aut pecuniam alterius inhabiles sunt, ab ipso habitu concupiscentiæ immunes esse non possint; nisi fortè per insignem absurditatem dicere velis, vel legem de non concupiscendo, infantibus non esse latam; vel fomitem concupiscentiæ, qui etiam in infantibus est non consentire valentibus, nulla lege damnatum esse. Sed sufficiant ista pro tempore: ex quibus facilè colligitur, collatis utrinque sententiis, etiam primos motus concupiscentiæ verè ac propriè peccatum esse, licet, nullus accedat consensus voluntatis.

QUÆSTIO III.

Contra Paræum.

Numquid unum duntaxat præceptum in decalogo est, de non concupiscendo, siquidem hic à Paulo tantùm ut unum citatur? v. 7.

Resp. Ita quidem argumentatur Paræus part. 2. hujus cap. p. 527. sed absque fundamento. Nam Apostolus hic non præcepta distinguit, sed concupiscentiam peccatum esse ostendit: ideò generali voce concupiscentiæ utitur, non addens objectum, cujus sit concupiscentia. Deinde idem Paulus totam secundam tabulam in unum verbum dilectionis proximi contraxit Roman. 13, v. 8. non tamen negatur, sic dilectionis istius

ratio

ratio explicetur, quin plures ejus species distinctæ constitui possint. Ita duo postrema præcepta, licet non ratione objectorum, seu rerum appetendarum essent distincta, complectuntur tamen species concupiscentiæ distinctas. Nam in nono præcepto, juxta ordinem Exodi, prohibetur ipse fomes nondum in actum prorumpens, quem D. Jacobus ἐπιθυμίαν συλλαβοῦσαν *nominat: ideò in fontibus Hebræis tale verbum ponitur, quod significat, semetipsum facere concupiscere,* לֹא תִתְאַוֶּה. *Probibetur itaque* תַּאֲוָה, *talis appetentia, quæ est ipsa radix concupiscentiæ, quæ gignit confusionem appetituum. In decimo probibetur actus concupiscendi, quam Jacobus* ἐπιθυμίαν τίκτουσαν *appellat cap. 1, 15. Ideo in Hebræo tale verbum ponitur, quòd significat appetitum cum delectatione in rebus jucundis & utilibus, cum consensu & opere in rem fervente,* לֹא תַחְמֹד. *Probibetur itaq;* חָמַד, *hoc est, talis appetentia, quæ primorum illorum motuum inordinatorum est* ἐνέργεια. *Tantum igitur manet discrimen inter nonum & decimum præceptum, quantum est inter actum primum & secundum concupiscentiæ, quorum ille in nono, hic in decimo probibitus est; quæ duo cùm confundi nullo modo possint, ideò nec præcepta sunt confundenda.*

QVÆSTIO IV.

Paulus de se in Pharisaismo constituto loquens, scribit se tum fuisse sine lege: quomodo ergo scribere potest de eodem statu suo,

suo, se conversatum fuisse, sine querela, secundùm justitiam, quæ in lege est? Phil. 3, 6.

Quomodo D. Paulus sine lege fuerit?

Resp. Sine lege erat Apostolus triplici nomine. 1. quia interiores cordis affectus in lege prohiberi ignorabat, ideo externā quidem legis disciplinam præstabat, plura autem in lege requiri non credebat, sed hanc qualemcunq; obedientiam existimabat legi satisfacere; & hac ratione scribit, se sine querela conversatum fuisse, secundùm justitiam legis, nimirum, sicut ipse tum opinabatur. 2. Sine lege erat: quia quicquid præstabat, non proficiscebatur ex filiali quadam obedientia, sed ex servili obsequio, non amore virtutis, sed odio pœnæ, ut August. explicat lib. 1. ad Bonifac. cap. 9. 3. sine lege erat, quia in qualicunq; illa disciplina legis meritum collocabat & justitiæ consecutionem: talis verò lex data non erat, quæ posset vivificare Galat. 3. Ideò reÿcitur à Christo omnis Pharisæorum justitia, Matth. 5.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Agnitio peccati, quæ ex lege est, legem ab omni injustitia absolvit. Est enim agnitio peccatorum primus gradus ad remissionem eorundem. Magnum igitur beneficium legis est, quòd nos ad nostri agnitionem adducit: qua in parte ab Evangelio exactè distinguitur: Ex Evangelio enim non est agnitio morbi, sed medici.*

2. *Pars cæcitatis naturalis non postrema est in homine, quòd natura seipsam non agnoscit, quàm longè nimirum à bono aversa ad malum propendeat; Etsi enim lex hæc naturæ est cum cæteris decalogi præceptis hominum mentibus insculpta:*

pta: Non concupiscas rem alienam: ipsum tamen concupiscentiæ fomitem, quem ne quidem sancti præcavere possunt, non pervidebant; sed eum non nisi qui in lege optimè exercitatus est, agnoscit.

3. Pharisaica est hypocrisis, perfectionem legis in externa duntaxat quærere obedientia: hoc enim sibi Pharisæo tribuit Apostolus Phil.3,6. qui hic ad Apostolatum Christi vocatus, aliter sentit. Nostros igitur Pharisæos habemus in Papatu, qui similiter vitiosos animi motus peccatum propriè sic dictum agnoscere nolunt.

4. Peccatum operari dicitur concupiscentiam v. 8. quatenus anima per peccatum corrupta, illicito fertur appetitu, quo sensu auris audire, & oculus videre dicitur, quia anima has operationes per hæc sua organa efficit; quod ideo notandum est, ne fiat ex peccato substantia: substantiarum enim propriè est operatio.

5. Rei bonæ pessimus sæpè est abusus: ita lege, quæ est regula justitiæ in [illegible] to, abutitur peccatum. Nam absq; lege facit homo, quod sibi bonum videtur, licèt sit opus pessimum; postquam autem accedunt prohibitiones & pœnæ legis, magis magisq; irritatur, & occasionem peccandi inde accipit, quia ad libertatem seu potius licentiam suam adspirat, quæ ipsi per legis imperium præciditur.

6. Peccatum duobus modis in nobis quasi mortuum videtur. 1. quando non exerit vires suas, nec ad ulteriora delicta instigat. 2. quando jam perpetratum est, sed nondum evigilavit, nec tumultus excitavit in conscientia hominis. Vtrinq; excitatur per legem, sed diversa ratione. Prius illud fit per legem ex accidente, dum per mandata legis irritatur: posterius hoc fit per se, legis enim officium

 est

est terrere conscientias. Ergo concione legis opus est in Ecclesia, ne lateat semper peccatum, sed evigilet & agnoscatur, agnitumq; curetur ac tollatur.

7. *Habet hoc lex ex ordinatione Dei, ut plenè observata ducat ad vitam, juxta illud: qui fecerit hæc, vivet in eis, Levit. 18, 5. Sed ex accedente hominum vitio gignit mortem, dum nimirum mortem & maledictionem annunciat inobedientibus, & conscientias hominum terroribus mortis affligit.*

8. *Peccatum per insidias aggreditur hominem, offerens appetitui rem malam sub specie boni, atq; sic voluntate inescata decipitur homo, & in exitium præcipitatur. Ideò dicit Apostolus, peccatum per mandatum seduxit & occidit me v. 11. Igitur cautè vivendum est, & rei illicitæ opera non facile danda, siquidem aliàs etiam prudentibus laboris sat magni est, decipulas peccati evitare: quò refer locum Sir. 21, 1. & seqq.*

9. *Aphorismus verè Apostolicus de lege est: Lex sancta, mandatum sanctum, justum & bonum: qui opponatur Manichæorum blasphemiæ, qui legem tanquam à malo genio traditam abjecerunt: Antinomis etiam, qui eam, ut supervacuam & inutilem, ex Ecclesia in curiam relegarunt.*

10. *Malus effectus, qui ex abusu bonæ rei oritur, non ipsi rei, sed abutenti adsignandus est: ita nox in requiem hominum à Deo ordinata, non est caussa latrociniorum aut furtorum, sed homines, qui occasione noctis in rem suam abutuntur. Sic lex non est caussa mortis, sed peccatum, quod per legis præcepta irritatum generat mortem, Jac. 1, 15.*

11. *Tres sunt usus legis divinæ, qui quidem in hac parte capitis proponuntur: duo per se, tertius per accidens. 1. adducere ad agnitionem peccati, de quo agitur v. 7. 2. terrere*

& mor-

& mortificare conscientias, quando nimirum mortem annunciat delinquentibus, de quo v. 10, 3. irritare ad peccandum, cumulare peccatum, & aggravare exitium: quod quidem ex se non facit, sed ex hominis vitio, per se enim minuit peccata, & ut remedium quæratur, accusatione sua urget, quam ob caussam pædagogus ad Christum vocatur, Gal. 3, 24.

TERTIA PARS
TEXTUS.

Οἴδαμεν γὰρ ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν. ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι, πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν.

14. Scimus enim; quòd lex Spiritualis est; ego verò carnalis sum, venundatus sub peccato.

Ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω· οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω· ἀλλ' ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ.

15. Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.

Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ, σύμφημι τῷ νόμῳ ὅτι καλός.

16. Si autem quod nolo, illud facio: consentio Legi, quoniam bona est.

Νυνὶ δὲ οὐκ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.

17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

Οἶδα γὰρ ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου, ἀγαθόν. τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν, οὐχ εὑρίσκω.

18. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum, nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.

Οὐ γὰρ ὃ θέλω, ποιῶ ἀγαθόν· ἀλλ' ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω.

19. Non enim quod volo, bonum hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago.

Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω ἐγὼ, τοῦτο ποιῶ, οὐκ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία.

20. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται.

21. Jnvenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet.

Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον.

22. Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem.

Βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου, ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου, καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου.

23. Video autem aliam legem in carne mea, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου;

24. Jnfelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοῒ δουλεύω νόμῳ θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ, νόμῳ ἁμαρτίας.

25. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

DUo hactenus de lege probavit Apostolus in hoc capite: 1. quòd nullum ampliùs habeat dominium in renatis. 2. quòd in iisdem suum habeat usum. Revelat enim peccatũ, manens in sua natura sancta, justa atq; bona, licèt peccatum prace-

præceptis & interdictis legis abutatur. Iam tertium additur in hac parte, videlicet, legem ne quidem à renatis impleri posse: idquod Apostolus suo docet exemplo, gravissimam instituens querelam de imperfectione sua vitijsq; sibi adhuc adhærentibus. Apparet autem ex toto contextu, Apostolum ista non dicis caussa scripsisse, sed animo valde perturbato; ideò jam semetipsum condemnat, jam commendat, jam querulatur, jam gratias agit; quales solent esse hominum vehementer adflictorum adfectus. Facit hoc ipsum contextum aliquantò conturbatum, ut verba respondeant adfectibus. Possumus nihilominus hanc partem capitis redigere ad tractationem hujus thematis: Lex à renatis in hac vita perfectè impleri non potest*: idq; proprio suo exemplo docet. Vt autem totam hanc tractationem rectius intelligamus, duo ὡς ἐν προθεωρίᾳ notanda sunt. 1. In homine renato duo esse; Spiritum, qui est pars renata in homine obtemperans Deo, & carnem rebellantem Deo. 2. agere Apostolum non de homine nondum regenerato, in quo duntaxat lucta cernitur inter rationem & sensualitatem, sed de se homine renato, in quo lucta mentis cum Deo describitur. Dicit enim: Ego carnalis sum, Ego volo, ego agnosco &c. Propositio igitur hujus partis est:* Ego Paulus meo testor exemplo, legem à renatis perfectè præstari non posse. *Extat hæc propositio in fine hujus capitis, velut συμπέρασμα totius tractationis:* Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati. *Mentem vocat eam sui partem, qua renatus est: Carnem verò eam, qua adhuc corruptus est, quæ corruptio etiam in ipsa mente hominis locum habere potest, unde vocantur homines mente corrupti: 1. Tim. 6, 5. Legem Dei vocat decalogum; legem peccati, corruptam naturam seu peccatum originale corrumpens naturam, quod quasi lege lata rebellio-*

Mens. Caro.

Lex Dei. Lex peccati.

nem sibi adversus legem & præcepta Dei imperavit. Propositionem positam confirmat eo potissimum argumento, quod petit à contrario: Summa legis perfectio est: summa natura meæ corruptio. Ergo nulla in me esse potest legis perfecta impletio. Scimus enim (*inquit,*) quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum v. 14. *Quæ verba geminum habere possunt respectum. Sunt enim partim probatio præcedentium, quòd nimirum lex bona, justa atq; sancta sit, quia spiritualis est: partim confirmatio sequentium, quòd legis perfecta observatio sit impossibilis; quia lex spiritualis est, homo autem carnalis. Legem* Spiritualem *vocat, non quòd doctrina legis spiritualem & allegoricum habeat sensum, quemadmodum exponit Origenes: sed* partim, *quia autorem habet Spiritum Sanctum;* partim *quia spiritualia habet mandata, non quæ ad placitum hominum sunt comparata, sed quæ exquisitam voluntatem Dei exponunt:* partim *qua non tantum externam requirit disciplinam, sed spiritum hominis, seu totum cor atq; mentem:* partim *quia tanta ejus perfectio non nisi Spiritu Dei intelligitur;* partim *etiam, quia spiritualia bona promittit obedientibus. Se verò licet renatum,* carnalem *nominat, quia multis infirmitatibus & suggestionibus carnis se fatebatur obnoxium. Et hac occasione imperfectionem regenerationis nostræ in hac vita prolixè multisq; querelis ac gemitibus persequitur deinceps. Quod enim sit illud,* carnalis sum, *explicat per similem phrasin,* venundatus sum sub peccato. *A jure peccati se non omnino exemtum esse indicat; Sed stimulos peccati se interdum etiam sentire fatetur, qui ipsum à bono abreptum peccato mancipare conantur, licet id in effectum dare non possint. Quòd autem peccatum in se, quamvis renatum, tale sibi jus sumat,*

Lex quomodo sit Spiritualis.

probat

probat vers. 15. Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi, illud facio: *Illud*, non intelligo, *accipi poteſt vel de ſenſu vel de affectu.* Si de ſenſu: *idem eſt, ac, non cognoſco, non video, & ſic accuſat intellectum ſuum, quòd tam exactè agnoſcere non poteſt, quando & quoties labatur: multa enim ſe habere occulta delicta, quæ alius in ipſo agnoſcat; ipſe autem in ſe agnoſcere non poſſit: idq; oſtendit ex eo, quòd multa ſibi contra voluntatem contingant: quòd enim mala operatur, non fit cum conſenſu, ſed improbatione voluntatis, non cum delectatione, ſed cum odio rei, quæ perpetratur.* Si de affectu *accipiatur, idem eſt ac non approbo: & ſic accuſat facilitatem carnis ſuæ, quæ eà dat in effectum, quæ ipſe non approbat. Vtrobiq; accuſat imperfectionem ſuam, 1. ex eo fundamento, quòd contra voluntatem ea interdum faciat, quæ ipſe non agnoſcit aut intelligit, non approbat aut defendit, ſed potiùs ut rem in ſeſe exitioſam maximopère deteſtatur, 2. ex alio fundamento accuſat, quòd nimirum agnoſcat quidem intellectus legem ipſam bonam atque juſtam eſſe, & nihilominus patiatur ſe à peccato decipi, ut ſub ſpecie boni malum faciat inſcius: de eo ita loquitur verſ. 16. & 17.* Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. *Primùm, legem præter æquitatem nihil à nobis exigere fatetur, idq; hinc probat, quia ipſe facit ea, quæ non vult, ſed quæ improbat, eò quòd cum lege pugnare videt, quòd ſi enim lex aliquid iniqui poſtularet, ipſe non imo*

proba-

probaret, quod cum lege pugnat. Deinde se contra legem operari fatetur, quia non perfectè renatus est, sed peccatum in carne sua domicilium quasi suum habere animadvertit: unde rectam rationem & Deum ipsum quasi eminùs oppugnet. Ita semetipsum quasi dividit in Spiritum & carnem; quatenus Spiritualis & renatus est, consentit legi, neq; vult quidquam, quod in lege prohibetur: quatenus carnalis est, operatur in ipso peccatum ea, quæ contra legem sunt, quæq; ipse improbat. Operari *autem dicitur peccatum, quemadmodum auris audit, oculus videt: Sicut enim anima per aurem audit, per oculum videt: ita anima per peccatum originale vel concupiscentiam pravam in renatis operatur ea, quæ Spiritui non placent, interprete Augustino libr. 10 de Gen: ad lit. cap. 12. Quoniam verò in genere dixerat Apostolus peccatum in se habitare, ne quis oggannire possit, qualis nam renascentia tua, istine fructus sunt regenerationis, peccato victas dare manus, illud non repellere, sed quasi hospitio excipere? jam clariùs ea de re loquitur v. 18.* Scio, quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. *Se nimirum intelligit, non qua parte renatus, sed qua adhuc carnalis est. Per carnem enim suam non intelligit substantiam carnis, ea enim alibi templum Spiritus Sancti vocatur 1. Cor. 6. neq; etiam sensum duntaxat appetitivum, is enim etiam in non renatis est; sed omne id, quod non regeneratum est. In eo non habitat bonum, hoc est, serium & perfectum boni & honesti exercitium, id quod constat ex effectu.* Nam velle, *inquit*, adiacet mihi: perficere autem bonum non invenio. *Voluntas renati equidem bona est, & ad bonum contendit; sancta enim atq; bona desideria habet: sed quò minùs deducatur in actum, caro est in vitio, quæ voluntatem ipsam vitiat, & in operando retardat. Ex qua lucta voluntatis*

tatis renatæ & carnis in renato residuæ, est, quòd bonum, quod appetitur à renato, non fit; sed malum, quod respuit voluntas, à carne in locum boni surrogatur: hoc enim vult vers. 19. cujus rei culpam iterum transfert in peccatum originale v. 20. quod & renatis adhuc inhæret; idq; ideò facit, ne vel naturam ipsam accusemus, ea enim à Deo bona condita est, vel perfectionem aliquam nobis imaginantes, defectus illos in sanctis quocunq; modo excusemus.

Hæc omnia, quæ hactenus de lucta carnis & voluntatis dixerat, jam summatim complectitur v. 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adjacet: *quasi dicat; quoniam utiq; de lege mihi sermo fuit hactenus, hanc ego quidem apud me invenio legem, quòd peccatum in me hærens resistit studijs honestis, eaq; perpetua quasi lege oppugnat & impedit, quo ad ejus fieri potest. Summam hanc querelarum (ut fert natura hominum tentatorum) probat adscendendo ad corruptionem ipsius mentis, cujus imperfectionem vel inprimis accusat v. 22.* Condelector enim, *inquit*, legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. *Per legem Dei intelligit spiritualem & interiorem obedientiam in lege requisitam. Eandem vocat legem mentis, complectens gubernationem novi seu interioris hominis. Per legem membrorum & peccati corruptionem naturæ, quæ sibi jus in membra nostra sumit abutendi ijs pro libitu. Interiorem hominem vocat eam sui partem, quæ renatus est. Ait igitur, se, quatenus renatus est, summè delectari etiam perfectissima illa legis obedientia, in lege requisita, nihilq; magis in votis habere, quàm ut exactissimè omnia præstare possit, quæ*

in lege exiguntur à nobis: sed obstare corruptionem naturæ, quæ nondum penitus sublata sit in renatis, quo minùs Spiritu tàm alacri ea præstare possit, quæ cupiat. Luctante igitur carne & spiritu tristis hic sæpe sequitur eventus, ut homo renatus captivetur à peccato, & quasi invitus rapiatur ad malum actum, in quem nunquam consensit, sed quem maximopere semper aversatus fuit. Quæ captivitas quia vehementer adversa est homini renato, ideò gravissimam subjungit exclamationem: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, *v. 24. Conqueritur 1. de miseria generis humani, quæ ex primo lapsu Adami redundavit in omnes; hinc est omnis infelicitas in mundo. 2. liberatorem quærit, quia de suis viribus jam desperaverat. 3. liberationem petit à corpore mortis, quod per Hebraismum dicitur, pro corpore mortali: in quo pugna hæc carnis & spiritus superstes erit, quandiu Spiritus vitalis in eo fuerit. Est igitur gemitus de beata ἀναλύσει, quæ supremus malorum omnium erit terminus. In hoc gravissimo agone mox semetipsum recolligit: Ne enim quasi desperabundus dixisse videatur, quis me liberabit, mox addit vers. 25.* Gratias autem Deo, *(velut alij legunt, gratia Dei)* per Iesum Christum Dominum nostrum. *Deum itaq; agnoscit liberatorem suum, cui propterea gratias agit. Et tandem uno verbo complectitur, quæ hactenus multis gemitibus expresserat: se nimirum divisum esse juxta mentem & carnem:* mente se servire legi Dei; carne autem legi peccati, *ut suprà declaratum fuit: unde facile colligere licet, qualis nam perfectio legis in homine, tot vitiosæ carnis machinis impetito, expectari queat.*

Para-

Paraphrasis hujus partis.

NOn abs re dixi, Legem sanctam, mandatum sanctum, justum atque bonum esse: hoc enim omnes renatos fateri necesse est, legem ad spiritualem nos ordinare vitam, cui omnes motus atque adfectus in homine consentiant: quod utinam ab homine expectari possit: sed invenio, prohdolor, in meipso, quàm hoc sit impossibile. Ego enim renatus quidem sum, sed carnem nondum exui, verùm experior subinde vim corruptæ naturæ, sub cujus jure etiamnum sum, & infirmitates carnis meæ, quas mecum circumfero; sæpè sentio: dum delinquo etiam inscius, neque animadvertens me peccasse, quod tamen alij facilè animadvertunt, neque approbans delicta à me commissa, sed vehementer aversans. Atque sic ex animi sententia confirmo, legem verè bonam esse, quia ex reverentia & amore legis, ea quæ contra legem sunt, nolo ac detestor: interea tamē carnalia desideria effugere omninò nō possum. Scio enim, quòd perfectus nō sim, quia corruptā adhuc naturā in me sentio: Scio etiā, quôd in ista corrupta mea natura nulliū serium sit bonarū actionū studiū. Etsi enim ipse, quatenus renatus sum, ex animo velim optima quæq;: in effectum tamen dare non semper possum propter corruptæ naturæ remoram, quæ facit, ut bonorum operum studium relinquatur in me imperfectum, dum sæpè abripior ad ea, quæ tota mente aversor: tanta nimirū vis est peccati, quod in carne mea domiciliū suū collocavit, & hanc sibi egregiā legem posuit, ut nunquā me magis molestet quàm cùm in studio pietatis occupatissimus esse volo. Desidero enim

ex animo, Deo meo placere, legiq; perfectam omninò obedientiam præstare: sed experior, prohdolor, quantopere resistat corrupta natura, quæ sæpenumero me in potestatem subigit etiam reluctantem. Me miserum! qui Deo meo soli perfectè & ex animo, ut quidem unicè desidero, servire nequeo! quis tandem me liberabit ex tam rigida servitute peccati, quâ premor in hac mortalitate! sed Deo meo gratias ago, qui non deseret infirmum, sed dabit tandem huic luctæ felicem exitum, ne succumbam, sed triumphum de peccato agam, non proprijs meis viribus; sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qui opera Diaboli jam destruxit. Interim hæc patiar: hæc enim mea erit conditio, quoad vixero; & sincero animi affectu servire Deo pergam, tanquam renatus & gratus Dei filius: peccatum autem, quia naturam corruptam nondum prorsus deposui, molestias mihi creare non cessabit.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Quomodo Paulus de se renato scribere potest: ego carnalis sum: cùm Christus dicat Ioh. 3, 6. quidquid natum est ex carne, caro est: Paulus autem, ut renatus, non ex carne, sed ex Deo natus est?

Resp.

Resp. *Dictum Christi verum est de natura nondum regenerata; ea enim tota penitùs carnalis, corrupta, Deoq; inimica est, ut ut mundana præclarè sapiat, & moralia multa faciat. Paulus autem ex Deo natus est, secundùm eam partem, quâ renatus est, & eatenus non carnalis vocatur. Quia verò regeneratio hominis imperfecta est, & renatis etiam multi adhærent nævi, quos tandem unà cum vita mortali simul deponent, ideò secundùm eam partem, quâ repugnant legi Domini, carnales appellantur. Ita Corinthij erant sancti, sed quando indulgebant contentionibus & intempestivo zelo, carnales appellantur, & secundùm hominem ambulare dicebantur, 1. Cor. 3, 3. Breviter: Dupliciter homo carnalis dicitur, 1. quatenus peccato servit, consentit atq; delectatur, & hoc pacto nondùm renati carnales sunt. 2. quatenus ad huc sentit desideria carnis illicita, quibus tamen spiritu mentis suæ resistit, & sic Renati carnales sunt: illi ex toto, hi ex parte: illi caro, hi carnales tantum vocantur. Tunc autem totus homo spiritualis erit, quando etiam corpus ipsum erit spirituale, hoc est, in altero seculo, interprete Augustino super hunc locum.*

Renati quatenus dicantur carnales.

(Vtraq; carnalitas promanat ex peccato. Prior illa est ex actualibus peccatis, per quæ homo servus fit peccati: Posterior hæc ex originali peccato Adæ. Pertinet enim ad peccati fomitem, qui etiam in renatis est; & est rebellio contra Spiritum.)

QUÆSTIO II.

Quomodo Paulus scribit, se venundatum sub peccato, cũ suprâ dixerit, Renatos liberatos esse à peccato, servos autem factos esse Deo? cap. 6, 22.

Resp. Duplici modo homo dici potest venditus sub peccato: 1. quatenus est mancipium peccati, quod totum ad nutum heri sui se attemperat, quales sunt non renati, qui laqueis Diaboli captivi tenentur ad ipsius voluntatem 2. Tim. 2, 26. & sic de impio Rege Achabo scriptum est, quòd venditus fuerit, ut faceret malum in conspectu Domini 1. Reg. 21, 20. & de omnibus impiis in genere: Ecce venditi estis in iniquitatibus vestris Esa. 59. 2. quatenus natura corrupta sibi etiam in pios jus aliquod sumit, sæpèq; ad peccandum irritat, sæpè etiam supplantat quantumvis reluctantes. Nam per primam transgreßionem Adami ita venditi sunt sub peccatum etiam pii, ut corpus habeant corruptibile, quod aggravat animam, ne ea, quæ delectant secundum interiorem hominem, absq; impedimento perficere poßint. Nondum enim plenitudinem, sed primitias saltem Spiritus Dei acceperunt, ut Paulus loquitur Rom: cap. 8, 23. Quamprimum itaq; corpus à corruptione fuerit plenariè redemtum, tunc etiam jus illud venditionis desinet in renatis, juxta illud: qui mortuus est, justificatus est à peccato Rom. 6, 7.

QUÆSTIO III.

Quomodo Paulus scribit se facere ea, quæ non intelligit: cùm tamen pauló antè dixerit v. 7. se peccatum ex lege cognovisse?

Resp. Phrasis illa: Non intelligo *(ut in analysi textus attigimus) duobus modis exponi potest. 1. potest in ea phrasi esse Hebraismus, ubi verba sensuum includunt affectum, ut sit idē, non intelligo, ac, non approbo, non consentio: quo pacto exponit Augustinus lib: 1. Cont: duas epist. Pelag. cap. 11.*

2. potest

2. potest ista phrasis exponi de ignorantia temporanea, hoc sensu, quòd nimirum Paulus à carnalibus desiderijs circumventus, fecerit quædam, quæ cùm fierent, mala non esse putaret: quæ postea cùm perpetrata essent, ex lege agnovit. Et hoc pacto multa sunt occulta delicta in sanctis, quæ David deprecatur Ps: 19. Aliquando enim ista concupiscentia sic insidiatur sanctis, ut faciat dormientibus, quod non potest vigilantibus, ait Augustinus serm. 43. de tempore. Et huc pertinent, quæ Philosophi disputant, num peccantes ignorent, quæ sint agenda (negat Aristoteles 3. Eth. 1. cui adstipulatur Socrates) ubi tamen totum negotium expediri potest distinguendo inter universalia & singularia. Vniversalia sæpè sciri possunt, ignoratis singularibus. Singularia enim sensu inducũtur, qui sæpè fallit: Sæpe etiam cupiditate obruitur, ut in ipso actu singularia cognosci nequeant. Ita sæpè quis in ipso actu impurarum cogitationum, novit illud universale, Impuræ cogitationes polluunt animum: non enim agnoscit statim hoc singulare, Hanc præsentem cogitationem impuram esse, dum nimirum appetitus perturbat mentis judicium & rectam rationem Aristoteles lib. 7. Eth. 3. distinguit inter actum primum & inter secundum scientiæ. Actu primo scientiæ, inquit, peccare possumus; juxta actum secundum nemo peccat; hoc est, antequam peccatum in actum deducitur, sciebamus malum esse, illiq; recta ratione repugnabamus, sed superveniente jam nebula affectuum, obfuscatur lux rationis; & mala agendo quasi ignorantes reddimur. Dum enim mala agimus, ea talia non esse putamus, sed arbitramur bona (scilicet de incontinentibus malis loquitur, non de sceleratis, de quibus res aliter se habet) recedentibus verò affectuum fumis & subsequente admissi sceleris pœnitentia, redit vicissim scientia vel agnitio mali,

quæan-

quæ antea sub favillis affectuum quasi sopita latebat; non secus ac dormientes ebrij habent adhuc habitum scientiæ, actu verò nihil sciunt, vaporibus cerebrum & sensus omnes obstruentibus, quibus dissipatis, unà cum vigilia & sobrietate simul scientia rerum, tanquam sub cineribus occultata, redit.

QVÆSTIO IV.

Quomodo Paulus scribit, peccatum in se renato habitare, cùm tamen renati sint templa Spiritus Sancti 1. Cor. 6. imò totius Trinitatis Ioh. 14?

Resp. Dicit hoc Apostolus noster diverso sui respectu. Habitat enim in ipso peccatum, quatenus carnalis est, seu in ea parte, qua caro est: habitat in ipso Spiritus DEI, quatenus renatus est, seu ea in parte, qua spiritus est. Possunt igitur duo isti diversissimi Domini unum habere domicilium, hominem videlicet renatum, sed diversam sedem; Spiritus Domini internum hominem occupat, peccatum carnem: ex quâ sua sede quilibet adversus alterum pugnat: quam pugnam qui non sentiunt, de Spiritu Dei certè parum acceperunt. Quin in isto bello est tota vita sanctorum, & in hoc bello semper homo periclitatur, quousque moriatur, inquit August. serm. 43. de temp.

QUÆSTIO V.

Quia mens & caro hîc opponuntur v. 25. annon rectè hinc colligunt Pontificij, carnem duntaxat de inferiore parte hominis, quæ

menti

menti propriè opposita est, intelligendam esse?

Resp. Ita quidem colligit Pererius disp. 13. in cap. 7. Rom. num. 87. sed est ambiguitas in vocabulo mentis, *quæ in isto loco Pauli non significat partem hominis rationalem, sed totum hominem, quatenus renatus est: hunc enim paulò antè vocaverat interiorem hominem v. 23. habet autem etiam homo renatus carnem suam, hoc est, corruptionem suam: quia neq; perfectè Deum agnoscit, neq; ea, quæ Deus in lege præcepit, præstat, licèt non sit nescius, quid Deus à nobis requirat: quam ob caussam scriptura menti corruptionem tribuit, 1. Timoth. 6, 5. & corruptioni, seu carni tribuit sensum sive mentem, Col. 2 18. homines etiam, qui ejusmodi vitijs dediti sunt, quæ in mente sedem suam habent, ut contentioni, invidiæ, dissidijs &c. carnales nuncupantur, 1. Cor. 3, 3. Christus ipse rationem hominis licet acutissimam, vocat carnem, in sermone ad Petrum Matth. 16, 17. caro & sanguis non revelavit tibi. Ex quibus omnibus oppidò liquet, carnem phrasi scripturæ significare hominem non renatum, qui aliàs homo vetus & exterior appellatur, qui quantus quantus est, carnalia sapit, etiam cùm optima sapit; ea enim quæ sunt Spiritus Dei, non percipit. Mens verò phrasi scripturæ significat hominem renatum ad spiritualia aptum & promtum, in quibus tamen consequendis à carne sæpè impeditur. Opponuntur igitur Mens & Caro, non tanquam diversæ partes aut potentiæ, sed tanquam diversi status in homine; mens renatum hominem notat; caro reliquias peccati, naturæ jam regeneratæ adhærentes, quæ optimas mentis actiones vitiositate sua retardant.*

QUÆSTIO VI.

Cùm Paulus scribit, velle bonum adjacet mihi, perficere non invenio, rectè ne hinc colligitur, etiam Renatos peccare, & legem non implere? huic enim obstare videtur id, quod Apostolus scribit, se condelectari legi v. 22. se mente servire legi v. 25. quod qui facit, non potest transgredi legem.

Resp. *Rectißimè inde colligitur, omne studium hominis serviendi Deo esse imperfectum, nec esse quenquam qui faciat bonum, & non peccet; quia licèt adsit in renatis voluntas atque desiderium implendi legem, adhæret tamen concupiscentia, quæ bonum illum affectum remoratur, ut non semper fiant ea, quæ mens exoptat, sed ea potiùs, quæ menti sunt contraria. Ea verò in Renatis nequaquam trahenda sunt ad crassa illa & externa scelera, iis enim resistunt Spiritu Dei; sed intelligenda sunt 1. de motibus ipsis concupiscentiæ. Ita vult Apostolus illæsam hominis conservare vitam; quando autem id, quod vult, non perficit, non sequitur, quòd in contrarium externum vitium inciderit, atque homicida factus fuerit: sed concupiscentiam irascibilem obstare sibi conqueritur, quò minùs perfectè proximum diligere potuerit: nam & ipse aliquando in contentiones incidit cum Barnaba, Act. 15. quos vitiosos motus cordis à se procul esse voluit & exoptavit. 2. ea quæ menti sunt contraria & obstant, ut quæ renati volunt, non perficiantur, intelligenda sunt de absoluto perfectionis actu;*

nis actu. Renati enim dum resistunt concupiscentiæ, utiq; faciunt aliquid, sed non perficiunt, quia omni concupiscentiæ contentione carere non possunt, à qua sola mors liberat, quemadmodum Augustinus exponit serm. 5. de verbis Apostoli. Illos autem pravæ concupiscentiæ motus propriè peccatum esse, & impletionem legis impedire, supra demonstratum fuit: neq; quisquam est, qui hoc negat, nisi qui hypocritam agere vult, & legem Dei de dilectione Dei & proximi ex toto corde è medio tollere audet. Quod autem dicit Apostolus se condelectari legi Dei, se mente servire legi, hoc dicit secundùm eam partem, qua renatus est, seu, ut ipse loquitur, secundùm interiorem hominem, & eatenus non transgreditur legem; secundùm eam verò partem, qua caro est, obluctatur Deo & legi ejus, concupiscentijs pravis, quæ faciunt obedientiam hominis imperfectam. Imperfectum enim bonum est, quando concupiscit, etiamsi concupiscentiæ non consentit ad malum, inquit Augustinus Lib. 1. cont. duas epist. Pelagij cap. 10.

QUÆSTIO VII.

Quid est ex mente Apostoli homo interior & exterior: videntur enim hæc duo opponi, tanquam invisibile & visibile?

Resp. Pontificij, ut annotat ex Caietano Pererius disp. 17. in cap. 7. Rom. num. 96. per interiorem hominem intelligunt superiorem hominis partem, rationem scilicet & voluntatem, quæ non patet hominum sensibus: per exteriorem verò hominem secundùm partes sensitivas, tam interiores, quàm

 exterio-

exteriores, eò quòd carnalibus officijs immersæ sunt. Nonnulli ex Calvinianis hominem internum, animam & interiores hominis sensus; per externum, corpus cum sensibus exterioribus: & ineptè distinctionem hanc ingerunt in doctrinam de Sacramentis, ut patet ex disputatione Heidelbergensi Grynæi, thes. 18. nos externum hominem (inquit) in sacra cœna res externas physicè, internum verò hominem res cœlestes, corpus videlicet & sanguinẽ Christi spiritualiter per fidem accipere credimus. Vtraq; opinio erronea est, cui opponimus hanc nostram sententiam: Ex mente Apostoli Pauli homo externus est, homo non renatus, constans corpore & anima, cujus membra sunt adulterium, scortatio, immunditia, lis, ira, blasphemia, avaritia, quæ vocantur membra super terram Col. 3. 5. aliàs vocatur vetus homo Col. 3, 9. Homo internus ex opposito est homo renatus, quatenus talis, hoc est, novi motus à Spiritu Sancto excitati in homine, & vocatur homo novus, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis Col. 3, 10. Eph. 4, 24. Ex hac descriptione utriusq; hominis falsum esse apparet, quòd dicunt Pontificij, interiorem hominem esse partem hominis superiorem; exteriorem verò hominem partem inferiorem in sensualitate constitutam. Nam 1. homo exterior Apostolo Paulo vocatur σαρκικὸς, jam verò etiam superior pars hominis vocatur σὰρξ, Ro. 6, 7. Col. 2, 18. & homines alioquin sancti propter adhærentem corruptionem mentis vocantur σαρκικοὶ 1. Cor. 3. 3. ergò etiam superior pars hominis ea parte, qua adhuc corruptioni est obnoxia, per externum hominem intelligi potest. 2. idem & inde ostenditur, quod membra hominis interioris multa complectũtur, quæ non possunt ad inferiorem partem referri, ut sunt inimicitiæ, blasphemiæ, hæreses, & quæ ad rationem pertinent. Concludimus ergò, per hominem externum intelligendum esse omne id, quod in homine adhuc corruptum est, vel hominem secun-

Homo externus quid sit apud Paulum.

Homo internus.

Refutantur Pontificij.

ſecundùm eam ſui partem, quæ nondum renatus eſt: id quòd tam in ſuperiore, quàm inferiore parte hominis reperiri poteſt. Deinde ex eadem deſcriptione falſum apparet θεολόγημα Grynæi & ſociorum de homine interno & externo.

1. Enim Apoſtolus Paulus in doctrina de Sacramentis non diſtinguit inter externum & internum hominem, ſed in doctrina de corruptione & renovatione hominis, ut patet ex omnibus illis locis, quæ mentionem iſtius diſtinctionis faciunt. 2. Apoſtolus non tantùm corpus viſibile, ſed & cor, & animam cum omnibus ſuis corruptis viribus ac facultatibus, &, hanc quidem præcipuè, hominem externum vocat, ut luculenter apparet ex 2. Cor 4, 16. licèt externus noſter homo corrumpatur, tamen internus renovatur de die in diem: ubi ſanè non corporis, ſed cordis ac animæ potiſſimum corruptio intelligenda eſt. 3. Apoſtolus hominem externum & internum tantùm renatis tribuit: in infidelibus enim nullus eſt internus homo. Perperam igitur adverſarij omnibus hominibus tribuunt utrumque hominem, 4. juxta doctrinam Apoſtoli internus homo corrumpit externum, eſt enim lucta inter carnem & Spiritum Gal. 5. Sed adverſariorum homo internus non corrumpit, ſed conſervare ſtudet externum: nulla enim eſt lucta inter corpus ac animam, ſed ſumma potius conſenſio, &c.

Refutantur Calviniani.

QUÆSTIO IIX.

Quomodo Paulus liberari cupit à corpore mortali v. 24. cùm tamen liberatio corporis ab anima ſit præter naturam, natura enim amat conſervationem, non deſtructionem ſui?

Resp. Ambrosius interpretatur corpus mortis de ipso peccato, cujus membra enumerantur Col. 3, 5. à tali sanè corpore quilibet piorum liberari petit, quem & peccatores ipsi tandem aliquando istius oneris fiunt pertæsi. Sed si de corpore mortali accipias, sciendum est liberationem animæ à corpore triplici nomine expeti posse. 1. secundùm se simpliciter, & hoc omninò præter naturam est, quæ non quærit sui destructionem, omnes enim naturaliter amamus corporis ac animæ conjunctionem: unde & qui ad meliorem vitam adspirant, exspoliari nolunt, sed super vestiri, 2. Cor. 5. & animæ beatorum ingemiscunt ob corporum suorum defectum Apoc. 6, 10. 2. per accidens respectu corruptionis: ubi quidem præter naturam est expetere animæ & corporis in se considerati dissolutionem: naturale tamen est homini pio exoptare liberationem à corpore corrupto, quod aggravat animam, & deprimit sensum multa cogitantem Sap 9, 14. Atq; hoc inprimis sensu Paulus liberari vult à corpore non simpliciter, sed à corruptione corporis mortalis. 3. dissolutio corporis & animæ exoptari potest respectu melioris vitæ in altero seculo: ubi, licèt naturalis animæ à corpore discessus naturæ in se consideratæ est inimicus: attamen naturæ regeneratæ non est adversus, quia scit ad beatiorem illam vitam absq; depositione corporis mortalis accessum non patere. Oportet enim mortale hoc induere immortalitatē, & corruptibile hoc induere incorruptionem 1. Cor. 15.

Liberatio animæ à corpore triplici nomine expeti potest.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. Non est blasphemia in Deum, ut falsò scribunt Pontificij, dicere Deum in lege præcepisse nobis impossibilia. Aliter

enim

enim jam post lapsum fieri non potest. Lex spiritualis est, homo etiam renatus carnalis est v.14. Impossibile autem est, carnem facere ea, quæ sunt Spiritus: imò hoc ipsum perfectionem hominis pij retardat, quòd carnalia desideria nondum deponere potest. Caro *enim in sanctis non priùs deponetur, quàm corpus ipsorum spirituale fiat, quod post mortem demum futurum est.*

2. *Peccatum à renatis non penitus auferri quoad materiale, sed reatum in baptismo tolli, indicio est, quod Apostolus Paulus se renatum scribit venditum esse sub peccato, ita ut desiderijs pravis, licèt ea detestetur, sæpe tamen infestetur. Hinc est illud Augustini lib. 2. cont. Iulian. Concupiscentia etiam mortua rebellat, donec sepulturæ perfectione sanetur. Hypocritarum igitur est, grave illud jugum corruptionis nostræ non animadvertere.*

3. *Anima peccando diabolo venditur exiguo pretio temporalis voluptatis, quod tamen sæpè non solvit mancipijs suis: quam ob caussam gratis venditi esse perhibemur* Esa. 52, 3. *ob hanc venditionem Christus redemtor noster appellatur Iob. 19. cujus redemtio etiam est gratuita, quia nullò nostro interveniente merito facta 1. Pet. 1.*

4. *Redemtio nostra plena & perfecta est, quod dominium peccati, illud nullum amplius jus dominationis habet in renatos: nondum tamen è vinculis peccati omninò liberati, sed hoc distulit Deus ad diem restitutionis omnium, ut interim haberemus exercitia pietatis, quæ semper illustriora sunt in ijs, qui possunt non peccare, quàm in his qui non possunt peccare.*

5. *Multa sunt occulta hominum delicta, quia renati sæpè faciunt, quæ non agnoscunt, de quibus David conqueritur Psal. 19. & Salomon ait, non esse, qui bonũ faciat, & nõ peccet,* Eccl:

Eccles. 7. Tantùm abest, ut nihil peccati rationem habeat, nisi quod fit cum consensu voluntatis, quemadmodum Pontificij contendunt.

6. Concupiscentiam pravam verè esse peccatum propriè sic dictum, quod mereatur iram Dei, licèt non accedat voluntatis consensus, distinctè probari potest ex hoc Apostoli loco: ut, quòd 1. dicit, se eam non velle. Vult autem Paulus quatenus renatus est, ea quæ sunt legi consentanea v. 22. ergo id quod non vult, contra legem est, quicquid autem contra legem est, peccatum est, 1. Iohan. 3, 4. 2. ait, se eam odisse. Odit autem, non quod natura sua bonum est, sed quod contra Deum & legem ejus est. 3. Vocat eam non bonum v. 18. ergo malum & pœna dignum est. 4. vocat malum privativum, propter quod non perficiatur bonum, v. 15, 23. 5. vocat peccatum v. 17, & 20. 6. vocat malum adjacens, v. 21. 7. petit à malo liberari, v. 24 petimus autem liberari, vel ab eo quod propriè peccatum est vel à pœna peccati. Quæ probationum fundamenta probè ex hoc capite observanda sunt. Cui addantur similia loca Galat. 5, 24. Coloss. 3, 5, 9. &c.

7. Si quis serium habet pietatis propositum, & extremè aversatur peccatum, si quid nihilominus ex ignorantia aut infirmitate delinquit, id neq; conscientiam ejus lædere, neq; fidem evertere potest. Sunt enim reliquiæ peccati, quæ molestare quidem possunt sanctos, damnare aut à Deo alienos reddere non possunt.

8. Sanctorum proprium est, luctari cum peccatis, non subjugari: quamprimùm vincuntur à peccato, sanctorum nomen amittunt, donec per pœnitentiam in viam redeant.

9. Tentationes sanctorum sunt exempla consolationesq; infirmorum, ne in similibus tentationibus desperent: quo nomine

mine Paulus tentationes suas commemorat, & hic in genere, & alibi nominatim 2. Cor. 11, & 12. de quibus D. Augustinus scribit serm. 43 de temp. Apostolus constituit tibi ante oculos pugnam suam, ne tu timeas tuam. Item: vide Apostolum pugnantem, & noli te facere desperantem.

10. *Peccatum non est ipsa substantia hominis: hic enim in homine inhabitare dicitur v. 17. & expresse à substantia distinguitur: non ego operor, sed peccatum; quo pacto David inter se & peccatum distinguit; delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris, memento autem* mei *propter bonitatem tuam Psal. 25, 7, 8.*

11. *Peccatum non est leviculum aliquod accidens, sed durabile & inseparabile malum, quamdiu homo in hac mortalitate peregrinatur. Ideò dicitur non inesse saltem, sed inhabitare in carne nostra, ubi domicilium sibi extruxit, donec tabernaculum hujus corporis per mortem destruatur: id quod opponendum est partim Flacianorum opinioni, quasi extenuetur peccatum, si accidens nominetur: partim Pontificiorum errori, qui peccatum originis revera extenuant, & in renatis peccati locum habere amplius non permittunt.*

12. *Voluntas hominis renati cooperatur Spiritui Sancto in actionibus bonis, unde vocantur renati* συνεργοὶ θεοῦ *2. Cor. 6, 1. non autem semper perficiunt, quæ cupiunt, remorante ipsos carne, quam nondum exuerunt. Labor igitur Sanctorum est, ut quotidie ad perfectionem contendant, renoventur spiritu mentis suæ de die in diem, & si maximè perfectè præstare non possunt quæ volunt, concupiscentias tamen carnis ne perficiant, monente Paulo Gal. 5. Debent enim hæc esse* ἀντιστρέφοντα *in renatis, ut quemadmodum ipsi quidem volunt bonum, sed perficere non possunt, propter imbecillitatem carnis adhærentem; ita vicissim caro quidem in ipsis agat*

malum, movendo desideria mala, sed non perficiat malum, dum renatum ad consensum non trahit.

13. *Quando sentimus in nobis stimulos iræ, libidinum, superbiæ, & similium affectuum, non existimemus affectus hos homini naturales esse, quemadmodum Monachi impudenter scriptitant, sed agnoscamus horribilem naturæ depravationem post lapsum, & occasionem inde sumamus, nos eò magis etiam in sanctissimis operibus nostris humiliandi. Væ enim etiam laudabili vitæ hominum, si absq; misericordia discutias eam, inquit August. lib.9. confess. cap.13.*

14. *Renatorum ornatus est internus, studium nimirum pietatis etiam cum ipso opere illud explere non possunt: non renati verò & hypocritæ externis opellis qualibuscunq; sese jactitant, quorum mens interiùs scatet adfectibus vitiosis: ideò renati interior homo, non renati exterior vocantur v.22.*

15. *Renati non modò agnoscunt, legem esse bonam & sanctam, verùm etiam delectantur in lege, nihilq; magis in votis habent, quàm ea præstare perfectè, quæ legis sunt: non renati verò etsi sciunt legem natura sua bonam esse, tamen fastidiunt eam; mallent enim absq; DEO & lege vivere, ut eò licentiùs facere possint corruptæ naturæ libidinem.*

16. *Captivantur renati peccato, non quòd reatu peccati teneantur; sed quia peccatum originale illis adhæret, quod perpetua carnis rebellione ac inobedientia illos in bono detinet, ut ex necessitate interdum mala facere cogantur, etiam inviti.*

17. *Etsi peccatum originis in Baptismo dimissum est: tamen etiam baptisatis & renatis pro peccati istius dimissione*

one quotidiè precandum est, quod ostendit querela Apostolica v. 24. & exemplum testimoniumq; Davidis in Psal. 51. Inhabitat enim nobis tanquam molestissimus hospes, qui intestinas quotidie movet inimicitias: quod serijs gemitibus deplorandum, & ne id nobis non consentientibus imperet, orandum est.

18. *Seriò luctantibus adversus peccatum victoria nunquam deerit. Adjuvat enim spiritus Domini infirmitatem nostram. Hinc sunt illæ reciprocationes in sanctis, qui modò querulantur de miseriâ sua, & vi peccatorum in ipsis: mox seipsos recolligunt, & ἐπινίκιον canunt contra peccatum & Diabolum, quod exemplum Pauli nostri testatur, & Davidis in Psalmis præsertim pœnitentialibus. Quæ caussa est, quòd Chrysostomus in præfat. Psal. 51. Psalmum pœnitentialem contulit imagini & picturæ militari, in qua modò stantes modò cadentes, modò occisi, modò occidentes reperiuntur; ita & in Psalmis invenimus modò insurgentia peccata, modò allisa: jam homines Diabolum impugnantes, mox victos: Diabolum ipsum modò insidiantem, modò victum &c.*

19. *Liberatio nostra à corruptione naturæ accepta ferenda est non meritis nostris, non intercessioni sanctorum, sed gratiæ DEI & merito Christi Filij sui, quod colligimus ex v. 25. CHRISTVS enim, quem Pater nobis proposuit propitiatorium per fidem in sanguine suo, adquisivit nobis remissionem peccatorum, quæ tantæ est efficaciæ, ut licèt multæ adhæreant sanctis in hac vita maculæ, non tamen imputentur, sed tegantur pallio justitiæ Christi: quibus consideratis, homo pius in ipsis peccati furoribus certus esse potest de victoria, & gratias Deo agere, qui nos per Christum à dominio peccati ex mera gratia liberavit.*

CAPUT IIX.

Argumentum & Partitio Capitis.

DOctrinæ de Renatorum imperfectione in hac vita, quam Apostolus noster capite præcedente tractaverat, commodè subjicitur hoc caput, perpetua exhortatione & consolatione plenum. Nam cum sanctificatio nostra in mundo valdè languida sit ac imperfecta, facilè fieri posset, ut homo de fine fidei, hoc est, de salute æterna dubitaret. Eam enim spem ac fiduciam, quam pij de salute sua habere debent, ex una parte sensus peccati, & infirmitates carnis nostræ; ex altera tribulationes & tentationes variæ in mundo vellicare solent. His omnibus occurrit Apostolus hoc capite, confirmans πληροφορίαν fidei nostræ, & opponens terriculamentis illis peccati & crucis consolationem firmißimam, ita tamen, ut paternas exhortationes ad studium pietatis subinde inspergat, ne nobis ipsis quoquomodo deesse videamur, neque efficiamus, ut fides nostra in hac imbecillitate languescat.

Duæ igitur sunt partes capitis.

I. Depellit ea terriculamenta, quæ lex objicere potest, ob sensum peccati in Renatis residuum, usque ad v. 18.

II. Firmißimam opponit consolationem, contra tentationes Satanæ, & quasvis adversantis fortunæ procellas, usque ad finem capitis.

PRIMA PARS TEXTUS.

1. Nihil

Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα.

Ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου.

Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν σαρκί.

Ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα.

Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες, τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν· οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, τὰ τοῦ πνεύματος.

Τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς, θάνατος· τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ζωὴ καὶ εἰρήνη.

Διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑποτάσσεται· οὐδὲ γὰρ δύναται.

Οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες, Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται.

Ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐστὲ ἐν σαρκὶ, ἀλλ' ἐν πνεύματι, εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ

1. Nihil ergo nunc condemnationis eſt in his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum.

2. Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto JESV, liberavit me à lege peccati & mortis.

3. Nam quod impoſsibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne:

4. Ut Juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

5. Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundùm ſpiritum, quæ ſpiritus ſunt, ſapiunt.

6. Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem Spiritus, vita & pax.

7. Quoniam ſapientia carnis inimicitia eſt in Deum: Legi enim Dei non ſubijcitur, nec enim poteſt.

8. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

9. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen Spiritus Dei habi

οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. εἰ δέ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ.

Εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν, τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν· τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην.

Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν, οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν, ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν.

Ἄρα οὖν ἀδελφοὶ, ὀφειλέται ἐσμὲν οὐ τῇ σαρκὶ, τοῦ κατὰ σάρκα ζῆν.

Εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν· εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε, ζήσεσθε.

Ὅσοι γὰρ πνεύματι θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ θεοῦ.

Οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον, ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν, Ἀββᾶ ὁ πατήρ.

Αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα θεοῦ.

Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρονόμοι μὲν θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ· εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν.

habitat in vobis: si quis autē Spiritū Christi nō habet, hic non est ejus.

10. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum; Spiritus vero vita propter justitiam.

11. Quòd si Spiritus ejus, qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

12. Ergo, fratres, debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus.

13. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

14. Quicunq; enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.

15. Non enim accepistis Spiritùm servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.

16. Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.

17. Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur.

ANA

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Propositio primæ partis hæc est: Pijs nulla metuenda est condemnatio, utut peccatum adhuc ipsis adhæreat. Extat in v. 1. Nihil ergo nunc damnationis est in his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum. *In hac propositione simplices termini priùs evolvendi sunt, subjectum nimirum & prædicatum: deinde argumentum ipsum videndum est. Subjecti loco ponuntur ij*, qui sunt in Christo Jesu, *hoc est, fideles, in baptismo* Christo *insiti Galat. 3, 27. & per fidem in Christum filij Dei facti Joh. 1, 12. Gal. 3, 26. fidei enim correlatum Christus est: & hos describit ab effectu, quòd, licèt carnis imbecillitates adhuc sentiant*, non tamen juxta carnem ambulent, *hoc est, carnalibus desiderijs non indulgeant, nec peccatum in mortali suo corpore regnare sinant, sed quòd secundum Spiritum incedant, hoc est, actiones carnis mortificare studeant: hoc enim renatorum proprium est, siquidem vera fides cum proposito peccandi esse non potest. De his prædicat Apostolus*, quòd nullum in ipsis sit *κατάκριμα nulla condemnatio legis, nulla maledictio, nullus peccati reatus: is enim per Christum sublatus est. Argumentum itaq;* primum *propositionis latet in descriptione subjecti, petitum ex loco relatorum, hoc sensu: Quicunq; per fidem Christo sunt insiti, ijs non est metuenda damnatio, juxta illud Johan. 5, 24. qui credit ei, qui misit me, non venit in judicium. Qui carnalibus desiderijs Spiritu resistunt, licèt ea sentiant, per fidem Christo sunt insiti. Ergo non est ipsis metuenda damnatio.* Alterum *argumentũ petitum est ex loco oppositorũ, hoc sensu. Quicunq; credit, se per legem Spiritus vitæ liberatũ*

esse

esse à lege peccati & mortis, in eo nulla est condemnatio. Omnes pij hoc credunt, licet peccatum in ipsis adhuc hæreat. Ergò &c. Connexio majoris firma est ratione oppositorum: quia lex spiritus vitæ, & lex peccati ac mortis opponuntur, ut salus & maledictio: quicunque ergo credunt, se habere salutem per Christum, ijs non est metuenda maledictio. Minorem probat Apostolus suo exemplo, liberavit ME à lege peccati & mortis: *quemadmodum enim in præcedente capite se exemplum fecerat infirmitatis: ita nunc exemplum fit in consolatione. Et est legitimus processus in essentialibus à particulari ad universale: quæ enim uni credentium, quatenus credentes sunt, competunt, ea ad omnes credentes pertinent: omnium enim eadem est ratio in ijs, quæ ad constitutionem credentium spectant. Totum argumentum extat v. 2.* Lex autem spiritus vitæ in Christo Iesu, liberavit me à lege peccati & mortis. *Ubi phrasis explicanda est. Per legem Spiritus vitæ intelligit Chrysostomus Spiritum sanctum: verùm antithesis id non patitur: opponuntur enim hic Lex Spiritus, & Lex Mosaica, quæ mortem infert, utraque autem autorem habet Spiritum Sanctum. Commodiùs interpretatur Ambrosius de lege fidei seu doctrina Evangelij: per hanc enim datur Spiritus sanctus Gal. 3, per hanc etiam Spiritus sanctus operatur in nobis vitam & justitiam, unde & ministerium Spiritus vocatur 2. Cor. 3. Huic opposita est lex peccati & mortis, hoc est, Lex Mosaica, quæ peccatum arguit & per peccatum occidit Rom. 7, 13. & propterea ministerium mortis appellatur 2. Cor. 3, 7. Posset etiam intelligi vocabulum legis de jure Spiritus & peccati. Ius Spiritus vitæ est vivificare: jus peccati est damnare ac morti adjudicare. Sensus igitur est Apostoli, pios & fideles, licèt peccatū adhuc sentiant in mortali suo corpore, propter quod & ad*

Lex spiritus vitæ.

Lex peccati & mortis.

mortem

mortem condemnantur in lege extra Christum considerati: attamen doctrina Evangelij, quæ ipsis proponit Christum Mediatorem, facit, ut legis condemnatio ad ipsos non pertingat, quia Christus pro ipsis factus est maledictum. Tertium *argumentum ducitur à caussis justificationis nostræ, hoc sensu: Qui credunt Patrem æternum misisse Filium, ut redimeret nos à peccato, in illis nulla est condemnatio peccati. Omnes pij, qui non secundùm carnem ambulant, credunt hoc: Ergò. Minor est manifesta, & extat in fine v. 4. Majoris consequentia ponitur in fine tertij & principio v. 4. ideo enim Filius Dei pro nobis traditus est in mortem, ut in ipsius carne peccatum nostrum condemnaretur, & ut jus legis impleretur in nobis, hoc est, ut impletio legis à Christo facta, nobis imputaretur. Antequam Apostolus argumentum ipsum proponat, removet hunc effectum à lege. Nam cùm dixisset, doctrinam Evangelij nos liberare à maledicto legis, & esse doctrinam vitæ, objicere quis potuisset, quorsum opus Evangelio, an non lex promittit vitam, si feceris hæc, vives in eis? Huic objectioni præoccupat Apostolus, ita ut neq; simpliciter neget, legem vivificare posse, si impleretur, neq; etiam legem accuset, quòd non præstet, quod præstare possit; sed carnem nostram corruptam accusat, per quam ille legis effectus impediatur.* Nam quod impossibile erat legi, *inquit*, in quo infirmabatur per carnem, Deus præstitit, mittens filium suum &c. *Vitam itaq; & justitiam à lege expectari non posse dicit, propter corruptionem carnis nostræ, quæ obstat, quò minùs legi perfectè satis facere valeamus. Quod ergò Legi deest, id transfert ad Christum in Evangelio propositum:* Deus *inquit*, mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnans peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in

nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum. *Totum redemtionis nostræ negotium his verbis exponitur, 1. caussa efficiciens est Deus Pater, mittens Filium suum unigenitum, ex mera misericordia erga genus humanum. 2. caussa meritoria est Filius Dei à Patre missus in carnem, quæ quidem caro peccatrix non fuit, similis tamen carni peccatrici, quia pœnas peccatori debitas sustinuit, ideò dicitur Filius DEI missus in similitudinem carnis peccati. 3. Caussa formalis est condemnatio peccati in carne nostra, quam Christus DEI filius adsumsit; æquum enim erat, ut caro hominis, quæ peccaverat, etiam pro peccato lueret, licèt id in alio fieret individuo, CHRISTO nimirum, qui solus pœnam peccati sufferre poterat, quam nos ferendo non eramus. 4. caussa finalis gemina est, una privativa, liberatio nimirum à peccato: ideo dicit,* de peccato damnavit peccatum, *hoc est, caussa peccati, seu propter peccatum, non suum sed nostrum, quasi dicat, propter peccatum è medio tollendum fecit expiationem in carne adsumta. Alij non ineptè Hebraismum ponunt in voce περὶ ἁμαρτίας; ita enim LXX. nominare solent illud, quod Hebræi Ascham nominant Lev. 5, 7, 11. Esa. 53, 10. piacularem victimam, & sensus erit idem: CHRISTVS piaculum factus est, ut expiaret peccatum. Altera caussa est positiva, restitutio nimirum justitiæ, quam in Adamo perdidimus; ait enim,* ut justificatio legis (*δικαίωμα, jus seu omnis rectitudo legis*) impleretur in nobis; *hoc est, ut nobis imputaretur perfecta legis impletio, & sic justi coram Deo reputaremur; quasi ipsi justitiæ divinæ perfectè satisfecissemus, quod tamen non nos, sed Christus fecit pro nobis. 5. denique additur descriptio eorum,*

qui

qui beneficio redemtionis fruuntur, ij nimirum, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum, quæ phrasis suprà declarata fuit. Est descriptio fidelium ab effectibus: & sic simul notatur organon redemtionis nostræ, ex parte nostra, fides. Tribus his argumentis Apostolus consolatur fideles, quòd nulla ipsis metuenda sit condemnatio, etiamsi reliquias peccati in carne sua sentiant: quia sunt in gratia apud DEVM propter CHRISTVM: liberati sunt per Evangelium à maledicto legis: & rectitudo legis in ipsis per CHRISTUM est impleta. Ne verò sub hac consolatione etiam hypocritæ latere possint, qui fidem crepant verbis, factis autem abnegant: jam pergit Apostolus describere verè fideles ab effectibus, eorumq; opera præcipua proponere, & prolixam vereq; Apostolicam instituere exhortationem ad studium bonorum operum, ne peccatis contra conscientiam fidem & gratiam DEI excutiamus: quod qui faciunt, ij sanè à condemnatione legis immunes esse non possunt. Cùm autem contraria inter se posita magis elucescant, opponit ab initio ijs, qui peccatis morem gerunt, quos vocat ambulantes secundùm carnem, *eos qui peccatorum suggestionibus resistunt, quos vocat* ambulantes secundum Spiritum: *illos carnales nominare potes, hos spirituales. Prima oppositio est ratione studiorum v.5.* Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt: qui verò secundùm Spiritum sunt, quæ spiritus sunt, sapiunt. *Carnales sapiunt carnalia, hoc est, mundana saltem curant, in vitijs & flagitijs sunt occupati, quæ D. Paulus alibi opera carnis appellat Gal. 5, 19. ne cogitantes quidem seriò, quòd Filius DEI ipsos liberaverit à mortuis illis operibus carnis, ut viverent DEO: tales sanè certa manet condemnatio. Spirituales autem tractant atque curant Spiritualia,*

 hoc est,

hoc est, seriò expendunt spirituale beneficium redemtionis, operamq; dant iis exercitiis, quibus in ipsis fides & Spiritus Sanctus custoditur: & sic, licèt non meri sint angeli, sed suam quoq; imperfectionem habeant & agnoscant, certi tamen esse possunt de salute, quia patiuntur se regi Spiritu DEI, eaq; quæ spiritualia sunt, & ad gloriam Dei pertinent, promovere student pro virili: horum opera vocantur opera Spiritus, & recensentur. Gal. 5, 22. caritas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, patientia &c. Altera oppositio est ratione effectuum & propriorum: Nam prudentia carnis mors, *inquit*, prudentia autem Spiritus vita & pax. quoniam sapientia carnis inimica est DEO; legi enim DEI non est subjecta, nec potest quidem v. *6. Per* φρόνημα τῆς σαρκὸς *intelligit id, quod optimum est in homine ea parte, qua non renatus est, hoc est, omnem sapientiam & intellectum hominis naturalibus suis viribus relicti. Huic tres tribuit effectus, quorum unus profluit ex altero. 1. vocat carnalem illam sapientiam mortem, hoc est, mortiferam. 2. inimicitiam adversus DEUM, hoc est, adversariam DEI. 3. rebellem legi divinæ. 4. invalidam ad præstanda ea, quæ legis sunt. Ex hoc postremo priora omnia resultant. Nam quia homo carnalis ex naturali corruptione non potest obedire legi, flectatur in contrarium, & fit rebellis legi, juxta illud: omnis cogitatio hominis prona est ad malum omni tempore Genes. 6. quia verò legi rebellat, DEO ipsi adversatur: est enim lex norma justitiæ in DEO: & quia DEO adversatur, non nisi mortem & damnationem meretur. Talia nempe tribuit iis, qui juxta carnem sapiunt, ea etiam quæ natura vitiosa non sunt, sed consilia carnalia, discursus atq; actiones carnales, quæ omnia tendunt ad mortem, quia Spiritu*

Φρόνημα τῆς σαρκὸς.

Dei

Dei non reguntur. Dicuntur igitur opera ista hominis carnalis mors seu mortifera, partim, *quia mortem merentur, si sunt flagitiosa*: partim *quia in omni sua præstantia tanti non sunt, quæ possint superare mortem*: partim *quia facilem habent lapsum ad ea, quæ contra Deum & legem ejus fiunt*: partim *etiam, quia Deo placere aut grata esse non possunt, ac proinde, licèt in sese bona sint, Deo tamen grata non sunt; forma enim operis verè boni Deoq; accepti æstimatur non ab extrinseca qualitate ipsius operis, sed ab interna conditione ipsius hominis; qui si per fidem Christo insitus non est, nulla ejus opera Deo placere possunt. Impossibile enim est placere Deo absque fide, Hebr.* 11. *Idcirco concludit Apostolus hanc descriptionem hominum carnalium, hoc Epiphonemate.* Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, v. 8. *In carne esse, est carnalibus desideriis indulgere, carnalia & mundana tantùm sapere, Spirituq; Dei non gubernari. Impium itaque & in ordinationem Dei injurium est, quòd Siricius Papa dist. 82. hanc phrasin crinibus traxit ad matrimonium, quasi in carne esse sit in matrimonio vivere: cùm tamen neq; omnes cœlibes fuerint, quibus ista scripsit Apostolus; & conjugium aliàs honorabile, & torus immaculatus vocetur Hebr.* 13, 4.

In carne esse.

*Et hæc erant propria & effecta carnalium. Vicissim de spiritualibus agit partim in abstracto, partim in concreto: In abstracto v.*6, φρόνημα πνεύματος, *inquit*; est pax & vita; *hoc est, homo quà parte renatus est, sentit omninò vivificam Spiritus sancti consolationē & gaudiū ac pacem conscientiæ. Patitur enim omnes suas actiones gubernari à Spiritu sancto, qui regnum Dei, quod consistit in pace ac gaudio Spirituali, in ipso inchoat. In concreto agit de ipsis v.9.* Vos in carne non estis, sed in Spiritu: si tamen Spiritus Dei habitet in vobis:

bis: si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Quo versu insignem proprietatem hominum spiritualium ponit, quòd nimirum habeant Spiritum sanctum, non ad extra tantùm cum ipsis agentem, qualis operatio Spiritus sancti esse potest etiam apud non renatos, sed in ipsis habitantem: quæ inhabitatio omnia consilia, discursus, studia atq; actiones ipsorum moderatur, & ad salutarem effectum promovet. Et hanc proprietatem adeò certam & infallibilem esse indicat, ut renati & Christo per fidem insiti non sint, qui motus Spiritus sancti apud se non animadvertunt. Latet autem in his verbis tacita exhortatio ad studium pietatis, comprehensa hoc syllogismo: Qui in carne sunt, non faciunt opera Deo placentia: Vos fideles non estis in carne. Ergo vestrum est facere opera Deo placentia: talia nimirum, quæ à Spiritu Dei in vobis habitante suggerantur atq; animentur. Sed hanc exhortationem deinceps clariùs proponet & urgebit vers. 12. Interim vers. 10. & 11. respondet objectioni fidelium. Dicere enim poterant, qualisnam est hæc in nobis spiritualitas? & numquid meliores esse possumus cæteris, qui voluptatibus diffluunt? siquidem & nobis cum morte & alijs calamitatibus confligendum sit, æquè ac cæteris? quis ergo scit, utrum in ista lucta simus superaturi? Huic objectioni respondet Apostolus per concessionem, esse quidem renatos etiam morti & calamitatibus obnoxios, propter peccatum in ipsis adhuc hærens; habere tamen ipsos Spiritum sanctum in se habitantem, qui, si modò ipsi non obstinata pertinacia obicem posuerint, sed ad ductum Spiritus sancti ambulaverint, vitam in ipsis spiritualem subinde conservabit, desiderijs peccati resistet, & tandem ad sempiternam vitam æternæ felicitatis custodiet, quam tam certò adepturos pollicetur, quàm certò Pater*

æternus

æternus filium suum à mortuis resuscitavit. Objectionem hanc unà cum responsione habet v. & *11.* Si Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus verò vivit propter justificationem. Quòd si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. *Corpus mortuum vocat alteram partem essentialem hominis, morti & corruptioni obnoxium, eo quòd radix peccati in eo est, quæ per calamitates & mortem deniq; penitùs abolenda est: ideò suprà vocabatur corpus mortis cap.7,24. Huic corpori mox opponit Spiritum, hoc est, partem in nobis regeneratam, quam vivere dicit propter justificationem, quia vita spiritualis in hoc seculo effectus justificationis est: quæ vita spiritualis nos certificat de vita æterna, quam hic in spiritu incoamus: ibi spiritu & corpore æternum inter beatos continuabimus: & sic Spiritus sanctus, qui nos regenerat, & novam vitam in nobis incoat, arrha est nostræ resurrectionis. Habemus & aliud, quo resurrectionem nostram confirmamus, nimirum resurrectionem Christi. Quòd si enim Christus caput nostrum in morte non mansit, sed rediit à mortuis ad vitam meliorem; ergo & nos, qui membra Christi sumus, propter Spiritum ejus inhabitantem in nobis, ad beatiorem vitam certò resurrecturi sumus. Ita consolari voluit fideles, contra terriculamenta reliquiarum peccati, propter quas morti sunt obnoxii; quia nimirum corpus saltem morti est obnoxium, Spiritus vivit perpetuò; & idipsum corpus ad æternam vitam à Deo resuscitabitur.*

Huic consolationi attexit nunc gravissimam exhortationem ad vitam verè spiritualem, quæ consistit in lucta

lucta cum peccatis in nobis residuis, & studijs pietatis. Quam exhortationem deducit è præcedente doctrina: Ergo fratres, *inquit v. 12.* debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. *Primum exhortationis argumentum latet in hoc versiculo, desumtum ab officio renatorum, quos Fratres suos nominat, quia ex eodem semine incorruptibili regenerati sunt omnes. Horum officium est, non licenter vivere, sed carnis opera sedulò cavere: idq; non liberum ipsis relinquitur, sed ὀφειλέται, debitores vocantur. Argumentum tale est: Cui aliquid debemus, ei & vivamus: æquum enim est reddere debitum. Carni nihil debemus, sed spiritui: Ergo non carni, sed spiritui vivamus. Minorem probat v.13.* Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: *quasi dicat, ex vita carnali certissimè mors exspectanda, ex operibus spiritus vita: natura ergo docet vos, omnia vestra vos debere ei, unde vita atq; salus exspectanda est, nequaquam autem ei, unde non nisi mors & pernicies. Latet in hac probatione minoris alterum exhortationis argumentum, petitum ab effectu, hoc sensu: Ei meritò opera datur, unde salus & vita. Non ex operibus carnalibus, sed spiritualibus salus & vita exspectanda. Ergo non carnalibus sed spiritualibus operibus opera danda. Tertium petitum est à proprio Renatorum titulo, hoc sensu: Qui sunt filij Dei, aguntur Spiritu Dei, hoc est, faciunt opera Spiritus & fugiunt opera carnis: Vos Renati estis Filij Dei. Ergo fugite opera carnis. Major est in versiculo 14. Minor v. 15, 16, & 17.* Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.

Si au-

Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & glorificemur. *Quatuor argumentis probat renatos esse filios Dei. 1. ab adjuncto: quia non acceperunt Spiritum servitutis, hoc est, non amplius sunt sub pædagogia legis, ut minis legis terrerentur, & metu facerent, quæ legis sunt, Deumq́; tanquam prædurum aliquem judicem reformidarent: talis effectus Spiritus sancti exerebat se in promulgatione legis, qua populus consternatus fugiebat Deum, & Mosen petebant voluntatis divinæ interpretem. Exod. 20, 19. sed talis formido non est in renatis, qui sponte faciunt quæ legis sunt, tanquam filij adulti, qui pædagogo carent, quia Spiritum adoptionis acceperunt tanquam arrhabonem hæreditatis in cælis, quæ ipsos de υἱοθεσίᾳ filiorum Dei confirmat, & ab omni metu liberat. 2. ab effectis, quia Deum filiali fiducia accedunt, & ut blandissimum patrem compellant: quod non renati facere non audent. 3. ab effectu Spiritus sancti interno, qui dat testimonium Spiritui nostro, hoc est, conscientiæ nostræ, quòd simus filij Dei: in ore autem duorum aut trium consistit omne verbum: ergo huic testimonio meritò credendum. 4. à privilegijs & regalibus filiorum Dei: nam qui hæredes sunt, etiam filij sunt; nos autem qui renati sumus, hæredes sumus, imò cohæredes Christi: quemadmodum ergo ipse filius Dei est; ita & nos cohæredes Christi, filij Dei sumus: hoc tantùm discrimine, quòd Christus secundum naturam filius Dei, & sic naturalis hæres est regni cœlorum; nos vero adoptivi filij, & sic non nisi per adoptionis gratiam hæredes sumus ejusdem regni. Christus enim per incarnationem suam frater noster factus est, & nos in communionem hæreditatis cœlestis adduxit. Quomodo autem atque ratione istius hæreditatis participes reddamur, jam in altera parte docebitur.*

Paraphrasis hujus partis.

HOc igitur certò persuasum habeo, condemnationem aut maledictum legis nullum habere jus in eos, qui vera fide Christo sunt insiti, modò non carnalibus desiderijs indulgeant. Nam etsi propter adhærentia peccata naturâ sint sub maledictione: tamen doctrina Evangelij monstrat ipsis Christũ Redemtorem, per quem à maledictione legis sunt liberati: id quod lex propter corruptionem naturæ nostræ facere non poterat. Præstitit autem hoc Deus ex mera gratia, postquam Filium suum unigenitum misit in carnem, in hunc finem, ut peccatum nostrum in ipso puniretur, & nobis justitia ejus imputaretur, quod & fiet, modò non carni nostræ corruptæ frena laxemus, sed Spiritu opera carnis mortificemus. Jam enim postquam per Spiritum Christi regenerati sumus, spirituales facti sumus, qui à carnalibus hominibus differunt quàm longissimè. Carnales enim homines curant voluptates carnis, eaque quæ hujus mundi sunt: Spirituales autem ultra mundum adscendunt, & curant ea, quæ divina sunt & cœlestia. Quin & optimum in homine sibi relicto, quod ex naturalibus arbitrij sui viribus præstare potest, carnale est, & ad superandam mortem nihili, quin potius mortem & perniciem adfert, quia Deo adversatur, & legi divinæ rebellis est, quam etsi implere vellet, nullo modo potest; optima verò hominis spiritualis actio ad vitam æternam ædificat, & pacem conscientiæ adfert, Vnde sequi necesse est, eos qui carnaliter vivunt apud Deum in gratia esse non posse. Vos itaque

ô mei

ô mei Romani, quia carnis depravationem deposuistis per regenerationis beneficium, date quæso operam, ut reipsa appareat, Spiritum Dei suum in vobis habere domicilium. Nam ubi Spiritus Christi non est efficax, ibi neque Christus, nec in Christum insitio est. Neque vos offendat, charissimi, quòd corpus vestrum, æquè ac non renatorum corpora, mortalitati est obnoxium: id enim propter peccatum fit, quod in morte demum plenariè abolebitur; interim tamen spiritu vivitis vitam satis tranquillam & beatam etiam in hoc seculo, & ex illa Spirituali vita vestra certi esse potestis, Deum, qui filium suum resuscitavit à mortuis, vestra quoque corpora in morte non relicturum, sed ad vitam certò reducturum, ut vitam illam, quam in Spiritu hic vivere cepistis, in altero seculo vivere pergatis in æternum. Quapropter ô vos mei date operam, ut quantum in vobis est, carnalibus vestris desiderijs valedicatis. Ad hoc enim regenerati estis; non ut liberum vobis sit vivere pro lubitu, sed spirituales esse debetis. quòd si enim carni indulgebitis, mortem vobis accelerabitis: sin verò spiritu carnis desideria vincere studebitis, vitam Deo placentem agetis, & æternæ vitæ digni eritis. Et hoc vos omninò decet, qui regenerationis beneficio filij Dei facti estis: id quod inde patet quia non ampliùs estis sub pædagogia legis, neque servili quodam timore Deum vestrum fugere, sed ferula pædagogi emancipati, filiali cum fiducia ipsum accedere, & ut suavissimum Patrem vestrum compellare, ac in necessitatibus invocare potestis. In hoc enim accepistis Spiritum Sanctum tanquam arrham

adoptionis illius, qui & testimonium dat conscientiæ vestræ, quod Deo sitis gratissimi filij, neque saltem filij, sed & hæredes æternæ beatitudinis, & cohæredes Christi, qui vos incommunionem istius felicissimæ hæreditatis adsumsit. Proinde & vestrum erit, filiali obsequio Deum patrem vestrum revereri, & quicquid ipse vobis imposuerit onerum in hâc vita, tranquillo animo sufferre: hic enim est transitus noster, per ignominiam ad gloriam, per mortem ad vitam.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Numquid Lutherus versione primi versiculi patrocinatur Pontificijs. Illud enim οὐδὲν κατάκριμα *reddit, nihil est condemnabile,* es ist nichts verdamliches: *quod videtur hunc habere sensum, quasi peccata in renatis residua non habent propriè rationem peccati, neque sint naturâ mortalia aut condemnatione digna, quod volunt Pontificij?*

Resp. Hunc sensum non habet versio Lutheri. Considerat enim peccatum non in abstracto, ut ita loquar, sed in concreto, hoc est, quatenus est hominis renati peccatum, in quo id, quod natura sua mortale est, veniale fit, & non condemnatur propter Christum, cujus merito tegitur. Idq; docet ipsius glossa margi-

marginalis: Etsi peccatum adhuc in carne hæret, tamen non condemnat, eò quod spiritus justificatus est, & contra peccatum pugnat. *Notanda itaq; est vera caussa, cur peccata Renatorum non sint condemnabila, nimirum non ideò, ut vult Pererius disp. 1. in cap. 8. Rom. quia sunt motus neq; deliberati neq; voluntarij: Nam & involuntaria esse peccata, suprà probavimus: sed quia teguntur justitia Christi, & fidelibus per Spiritum Sanctum reluctantibus non imputantur. Aliàs etiam minimæ suggestiones pravæ, quia contra legem Dei sunt, peccata sunt, quemadmodum præcedente capite Apostolum conquerentem audivimus.*

QUÆSTIO. M.

An Christus non habuit veram carnem, nostræ carni ὁμοούσιον, *quia scribit Apostolus Paulus, Deum misisse Filium in similitudinem carnis peccati?*

Resp. Ita quidem abutebantur hoc loco Marcionitæ & Manichæi, qui veritatem carnis Christi negabant: sed dupliciter refutari possunt. 1. quia Paulus non loquitur de similitudine carnis, sed carnis peccatricis: carnem enim nostram cum naturalibus suis affectibus induit, sed peccatum non fecit, inquit Basilius epist. 65. Et ita respondet Tertullianus lib. 5. contr. Marcionem: Similitudo ad titulum peccati pertinet, non ad substantiæ mendacium. Et August. ser. 31. de verbis Apostoli: Verè carnem habebat Christus, peccati carnem videbatur habere, cùm non haberet. 2. distinguendum est inter similitudinem substantialem & accidentalem. Loquitur Apostolus de similitudine substantiali & specifica, quæ

admodum Adam dicitur genuisse filium ad similitudinem suam Genes. 4. non autem de accidentali quadam & adsumtitia forma corporis, in quali S. Angeli nonnunquam apparuerunt. Quod si enim veram & nobis consubstantialem carnem non adsumsisset Christus, non potuisset verè pati, neq; fides, redemtio & justificatio nostra vera esset, sed simulata saltem & phantastica: ideò Christus tàm diligenter imaginationem de corpore phantastico discipulis exemit, Luc. 24, 38. & 39. Matth. 14, 17.

(Phil. 2, 7. dicitur: factus est in similitudinem hominum, nimirum quò ad exinanitionem, non quò ad substantiam. Idcirco Paulus Heb. 4, 15. interpretatur de tentationibus & aliis infirmitatibus.)

QUÆSTIO III.

Lex & Evangelium opponuntur v. 2. ergóne sunt dogmata pugnantia, ut contendebant olim Antinomi?

Resp. Non opponuntur ut pugnantia, sed ut diversa: Spectant enim & urgent unum finem sed diverso modo. Lex est pædagogus ad Christum, sed indirectè, quatenus ob imbecillitatem virium nostrarum nos remittit ad alium, qui legis est impletio: Evangelium etiam ad Christum adducit, sed directè, in Evangelio enim Christus cum omni suo merito proponitur. Sic etiam Lex per se ducit ad vitam, sed cum conditione perfectæ obedientiæ, Evangelium etiam ducit ad vitã, sed absq; conditione illa: ad perfectam enim legis obedientiam nemo in hac vitâ est idoneus. Ita lex & Evangelium in principali suo fine non pugnant: neq; sunt dicenda dogmata pugnantia: utrinq; enim voluntas Dei revelatur: in Deo verò non sunt

volunt a-

voluntates contradictoriæ. Quin potius mutuas operas præstant sibi invicem. Namquos lex salvare non potest, remittit ad Evangelium: vicissim quos Evangelium renovare non potest, commendat legi, quæ regulam vivendi præscribit renatis, & eatenus pars Novi Testamenti est.

QUÆSTIO IV.

Videtur Paulus v. 4. satisfactionem CHRISTI tantùm ad eos restringere, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum: ita verò meritum Christi particulare fieret, quod non nisi ad pios pertineret, ut docent Calviniani?

Resp. D. Paulus non loquitur de satisfactione Christi in se considerata, sed respectu applicationis. Vtrumque enim simul complectitur, satisfactionem CHRISTI, & ejus fructum. Respectu fructus ad fideles saltem accommodat, sicut & alibi facit 1. Tim. 4, 10. alias passim testatur scriptura, tam latè patere satisfactionem meritumque Christi, quàm latè patet totius generis humani universitas Actor. 17, 26. Coloss. 1, 28. 1. Timoth. 2, 6. Johan. 3, 16. 1. Iohan. 2, 2.

QVESTIO. V.

Numquid ex hoc loco Pauli evinci potest, homi-

hominem renatum implere posse legem, quia scribit Apostolus, Christum ideò mortuum, ut justificatio legis impleretur in nobis v. 4?

Resp. *Ita quidem hunc locum depravat Pererius disp. 5. in hoc cap.* Apostolus manifestè docet (*inquit*) Christum ideo per corporalem passionem & mortem suam damnasse peccatum, quod obstabat, ne lex ab homine impleri posset, ut sublato peccato justificatio, legis impleretur in nobis. *Hæc ille. Sed refutatur hoc commentum hoc ipso loco, ubi expiatio & impletio legis soli Christo tribuitur; neque ad tantam perfectionem pertingere potest ullus sanctus in hac vita, quod perpetuæ ipsorum querelæ comprobant, & imprimis Paulus noster capite præcedente: neque hic est fructus aut effectus passionis Christi. Quomodo enim peccata sustulerit, sæpissimè dictum & probatum est, nimirum non ut non sint, sed ut non imputentur: idcirco ipse solus est & vocatur impletio legis Rom. 10. Quando autem hic dicitur, Christum peccatum damnasse, ut in sanctis justificatio legis impleretur, non docetur, quid à sanctis fiat aut fieri possit, sed quid* in *sanctis fiat, seu quid Christus fecerit pro sanctis, nimirum quòd passus atque mortuus fuerit in hunc finem, ut fieret legis impletio, quæ duo requirebat. 1. expiationem peccatorum. 2. observationem præceptorum legis. Utrumque Christus fecit, non nos: & sic ab ipso facta est impletio: dicitur autem fieri in nobis, quia propter nos facta, & per fidem nobis imputata est. Ad imputationem ergo Apostolus hic digitum intendit: & sic lex impletur à sanctis, non operando, sed credendo: impletur etiam inchoando, non perficiendo. Nam & inchoata legis observatio Deo placet, & legis impletio dicitur Rom. 13, 8. Gal. 6, 2. quia fit absque hypocrisi, ex vero studio parendi Deo, & continuatur per totam vitam, donec attingat perfectum suum*

comple-

complementum, quod subsequetur demum in altero seculo, quando cessabit id, quod ex parte est 1. Cor. 13, 10.

(Quidquid in scriptura dicitur de perfectione nostra, intelligendum est, 1. vel de conformitate, 2. vel de soliditate & sinceritate dilectionis. 3. vel de integritate objecti. 4. vel comparatè, respectu aliorum. &c.)

QUÆSTIO. VI.

D. Paulus φρόνημα σαρκὸς *seu omnem sapientiam hominis non renati vocat mortem & ἔχθραν θεȣ̃: numquid ergo omnis Ethnicorum sapientia, omne virtutis studium fuit peccatum, & morte dignum?*

Resp. In quæstione de operibus ac studijs non renatorum discernenda sunt opera creationis Dei in homine adhuc reliqua, ab illis, quæ per lapsum ingressa sunt, ut monet Augustinus lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. Non enim ita penitus detrita est imago Dei in homine per lapsum, ut nulla veluti lineamenta extrema remanserint: residua enim est ratio & judicium, unde fluunt illa, quòd intelligere & dijudicare potest honesta & inhonesta, sapere etiam aliqua quæ legis sunt, eademq́; facere: Sed ex corruptione lapsus hoc habet, quòd bona non bene agit. Proinde sapientia Ethnicorum, & alia præclarè facta secundùm nostrum equidem conceptum laudabilia sunt & imitatione digna, sed juxta Dei judicium res longè aliter habet. Is enim ipsum cor hominis penetrare, & actiones studiaq́; hominum excutere potest, & solus dignoscere, quæ verè bona, quæ peccata sint appellanda. Idcirco in verbo

suo cor hominum non renatorum etiam sapientissimum & fortissimum vocat cor pravum Ier: 17. mentem sagacissimā, mentem pollutam Tit. 1. & vanitatem mentis Eph. 4. intellectum etiam optimum nominat inimicitiam adversus DEUM in hoc nostro loco; sapientiam terrenam & dæmoniacam, Iac. 3. vers. 15. quæ sanè omnia non ad abusum saltem virium à Deo concessarum referenda sunt, sed ad ipsam corruptam naturam, qualis nunc est post lapsum. Hæc enim omnia ad malitiam peccati originalis pertinent, quæ nunquam satis exaggerari potest. Proinde bonitas studiorum aut actionum in non renatis, non nostro judicio æstimanda est, sed verbo Dei, quod expressè docet, sapientissimos Ethnicorum discursus, consilia & actiones etiam optimas & coram mundo maxima commendatione dignas, Deo tamen non placere, cum justitia DEI non consentire: ideò in divino judicio considerata ab Augustino peccata appellantur, & quidem quadruplici nomine juxta omnes caussas 1. ratione finis: nam ad bonum opus non tantùm requiritur, ut aliquid boni fiat, sed ut & benè fiat: non enim actibus sed finibus pensantur officia, inquit Augustinus lib. 4. cont Iulian- Pelagian. cap. 3. quare cùm homo facit aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Ita pudicus, ait Augustinus loco dicto, non veraciter dicitur, qui non propter D E V M veram fidem connubij servat uxori: quomodo enim vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur? 2. ratione formæ, quia non fiunt ex fide: hinc iterum August. loco dicto. Ipsorum (non renatorum) sunt peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate. 3. ratione materiæ, quia sunt imperfecta, fiuntq; ex mala conscientia; finis autem

tem præcepti est charitas ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta 1. Tim 1, 5. 4. ratione efficientis, quia non fiunt à persona renata: absit enim, ut sit in aliquo vera virtus (inquit Augustinus loco dicto) nisi fuerit justus; absit autem, ut sit justus verè, nisi vivat ex fide. Omnes has caussas ferè conjungit Augustinus lib. 5. de civit. Dei cap. 25. Virtutes (inquit) quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitijs ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potiùs quàm virtutes. Nam licèt à quibusdam hinc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt, & ideò non virtutes, sed vitia judicanda sunt

QUÆSTIO, VII.

Estne firmum argumentum: Spiritus Sanctus fert testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei: Ergò de gratia Dei infallibiliter certi esse possumus?

Resp. Certissimum hoc est argumentum, quod dubitationi Pontificiæ opponendum. Quòd si enim Spiritus Sanctus testimonium illud perhibet, non est, quod vel tantillum dubitemus; aut si dubitamus, Spiritum Sanctum mendacij arguimus. Sed regerit Pererius disp. 8. in hoc cap. num. 33. nobis testimonium illud non certò esse compertum, quod sit à Spiritu sancto, sed tantùm id probabilibus conjecturis & signis, hoc est, certitudine quadam morali nobis esse

 cogni-

cognitum: certitudine verò fidei non nisi per revelationem aliquam divinam cognosci. Resp: Spiritus Sanctus ubi est, nuspiam otiosus est, sed accendit in homine motus novos, qui faciunt, ut homo adhæreat DEO firma fiducia, & seria animi lætitia in promissionibus Dei acquiescat. Vnde sunt illæ voces sanctorum; mihi adhærere Deo bonum est: elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: scio, quòd redemtor meus vivit: scio, cui credidi &c. Tales verò motus non sentiunt impij, quorum cor vanum est & sceleribus pollutum: qui quidem hypocritica & simulata probitate alios decipere possunt, seipsos verò non possunt. Quicunque ergo motus pios & Deo placentes sentiunt, hi de testimonio Spiritus Sancti certi esse possunt, quamdiu eos sentiunt: quemadmodum ex respiratione certè colligere possumus, vitam in homine adhuc esse. Nam si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum 1. Joh. 3, 21. Excipitur tamen tempus tentationis, ubi & fidem fluctuare, & testimonium illud Spiritus Sancti nonnihil hebetari concedimus: non tamen penitus exspirat, sed jam remissius est, jam fortius, donec homo se iterum recolligat, & beneficio Spiritus sibi inhabitantis spicula tentationum superet.

QUÆSTIO, IIX.

Sufficiúntne motus Spiritus Sancti, quos homo semel sensit, ad certificandam electionem nostram, quia hîc dicitur, eos esse filios Dei, qui aguntur Spiritu Dei v. 14?

Resp. Calvi-

Resp. Calvinianorũ hoc dogma est, sed falsum & erroneum Certum equidem est, etiam motus illos Spiritus sancti non esse penitus exclusos à certificatione electionis nostræ. Audivimus enim, Spiritum sanctum dare testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei: ideò nos ipsos probare jubemur, num simus in fide 2. Cor. 13, 5, Probare autẽ possumus fidem nostrã à posteriori, ex motibus illis Spiritus sancti in nobis, quales sunt, desideriũ Dei, patiẽtia in adversis, spes melioris auræ, &c. Sed hoc nondum sufficit: potest enim Spiritus sanctus in nobis contristari peccatis contra conscientiam, quæ motus illos in corde extinguunt, quemadmodum constat exemplo Saulis, Judæ & similium reproborum, qui utiq; Spiritum sanctum acceperunt per ministerium regenerationis, motus etiam ejus & ductus aliquandiu senserunt & tamen in reprobum sensum traditi, gratia Dei finaliter exciderunt. Non igitur quærenda est electionis certitudo, in solis illis motibus Spiritus sancti. Illi enim partim peccatis contra conscientiã, partim etiã tentationibus Satanæ non tantùm extingui, verùm insuper in electis etiam ad tempus in contrarios motus immutari possunt: (in fremitus adversus Deum, in impatientiam, &c. ut exemplo Hiobi videre est) sed in Christo, in quo sumus electi ab æterno, consistit etiam electionis certitudo. Is remittit nos 1. ad verbum promissionis: Venite ad me omnes, &c. Matth. 11. 2. ad baptismum, ubi ex aqua & Spiritu regenerati, accepimus arrbam hæreditatis nostræ Spiritum sanctum, & pactum cum Deo fecimus, ex parte Dei immutabile. 3. ad cœnam Domini, ubi corpore & sanguine suo promissionem gratiæ singulis in specie obsignat. His medijs si ritè utamur, dubitare non possumus, neque de salute, neque de electione nostra, etiam tum, cùm Spiritus sancti agitationes & motus in nobis valdè languidi apparent. Deus enim per

infirmitatem nostram virtutem suam perficiet, ut fides etiam minima, magnos tentationum atq; dubitationum montes transferat.

QVAESTIO IX.

Debitores sumus, inquit Paulus v. 12. nimirum, ut secundùm legem vivamus. Atqui debito legis à Christo jam satisfactum est: Videtur ergo Deus unum debitum bis exigere, quod injustitia est?

Resp. Deus nequaquam unum debitum bis exigit, sed debito semel soluto contentus est. Distinguendum igitur est inter debitum solutionis & gratitudinis. Illud oritur ex obligatione Mosaica adperfectissimam obedientiam: & huic satisfactum est à Christo, ideò ampliùs à nobis non exigitur. Ipse enim nostro loco solvit, quod non rapuit Psal. 69. Hoc autem est debitum novæ obedientiæ renatorum, quo obligamur ad obtemperandum DEO, non ut aliqua fiat solutio, sed gratiarum actio pro solutione jam facta. Ideò contentus Deus est, licèt magna concurrat renatorum imbecillitas ac imperfectio. Sufficit enim Deo vel aliqua gratæ mentis significatio, si quid perfectius accedere non potest.

QUÆSTIO X.

Si debitores sumus legis: cur ergò scriptum est de populo Novi Testamenti, quòd

ſit populus voluntarius Pſ. lm. 110, 3. Videtur enim debitum inferre coactionem aliquam?

Reſp. Vocabula illa, Neceſſe, Oportet, Debemus, videntur legalia eſſe & coactiva. Verùm ubi bona opera his vocabulis præcipiuntur Renatis, non ſunt coactionis, ſed alium habent uſum 1. opponuntur contemtui bonorum operum. 2. opponuntur adiaphoro & arbitrario. 3. notant voluntatis divinæ autoritatem. 4. ſtudium & alacritatem denotant atque promtitudinem, quam afferre debent renati ad divini mandati obſervationem. Unde colligitur, licèt Renatis non permittatur licentia vivendi: ſed tenentur juxta legem vivere: nihilominus cultum ipſorum eſſe ſpontaneum. Fides enim (inquit Lutherus in epiſt. Dominicali Gal. 4.) liberos nos facit à carne legis, non ut mala faciamus, ſed ut bonum illud, ad quod nos lex cogebat, liberè faciamus, hoc eſt, ultrò & cum delectatione. Debitores tamen ſumus, quia libertas Spiritualis non tollit legem: idcirco debitum illud obedientiæ ſubinde ab ipſis exigitur, Tit. 2, 15. 3, 1. 1. Tim. 6, 17. 1. Theſ. 4, 11. Col. 1, 28. &c.

Aphoriſmi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Aliud eſſe materiale peccati ſeu ipſam pravitatem actionum, aliud formale ſeu reatum, apparet ex v. 1. hujus capitis: nam condemnatio aufertur à renatis, quibus tamen ipſum peccatum non fuit derogatum cap. 7.*

2. *Renati deſcribuntur reſpectu formæ & effectus: ratione formæ ſunt in Chriſto, idq́ fit per fidem, per quam Chriſto inſeruntur in baptiſmo: ratione effectus non ambulant ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum: hæc enim eſt externa fidelium nota 1. Iohan. 3.*

3. *Renatis dubitandum non eſt, num ſint in gratia: nulla enim in ipſis eſt condemnatio: ubi nulla condemnatio, ibi facta peccatorum remiſſio: ubi peccata remiſſa, ibi ceſſavit ira Dei: ubi ira Dei deſijt, ibi gratia incipit: firmiſſima itaq; hæc eſt conſolatio adverſus tentationes.*

4. *Illuſtre diſcrimen Legis & Evangelij eſt, quòd lex peccatum revelat, imò auget, & mortem adfert, unde lex peccati & mortis appellatur: Evangelium verò vitam & ſalutem adfert, ideò lex ſpiritus vitæ dicitur: quò referatur ſimilis locus 2. Cor. 3, 6, 7. ſeq.*

5. *In cauſſa gratiæ nullum eſt diſcrimen inter quemvis infimæ ſortis Chriſtianum, & maximum Apoſtolum: idcircò D. Paulus ſe exemplum proponit hominis à maledicto legis liberati v. 2. & alibi ſcribit, ſe ideò miſericordiam conſecutum, ut eſſet exemplum ijs, qui credituri erant ad vitam æternam, 1. Tim. 1, 16. Et hoc ſenſu accipiendum eſt illud Chriſti ad Apoſtolos; quæ vobis dico, omnibus dico; ea nimirum, quæ rationem ſalutis noſtræ concernunt.*

6. *Doctrina legis non eſt eliminanda ex agro & finibus Eccleſiæ; quia Paulus non ſcribit ſimpliciter, nos liberatos à lege, ſed à lege peccati & mortis, hoc eſt, à maledicto & condemnatione legis.*

7. *Magna eſt vis prædicati verbi, cui tribuit Apoſtolus liberationem à condemnatione: id utiq; verbo tribuitur tanquam ordinario organo Spiritus vivificantis. Impia igitur Stenckfeldianorum eſt aſſertio, qui verbum prædicatum*

tum sonum inanem & literam mortuam appellitare non dubitant.

8. Lex *Dei neq; perfectè impleri, neq; justificare potest: quia infirmatur per carnem v. 3. hoc est, culpa non in ipsa lege est, quæ justa, bona, sancta, vitam & salutem promittens servantibus eam: sed in corrupta natura hominis, qui v.res perfectè obtemperandi per lapsum amisit.*

9. *Vera* χριστολογία *seu doctrina de Christo continetur v. 3. & 4. Quò ad personam, verus Deus & homo est: ideò vocatur filius Dei & caro nostra, absq; peccato, inter peccatores autem reputatus: ideò hic similitudo carnis peccatricis ei tribuitur, quia pœnas peccatori debitas in carne sustinuit. Ratione officij est sacerdos noster à Deo missus, ut fieret pro nobis victima, qua peccata nostra expiarentur, & legi Dei satisfieret; unde &* φιλανθρωπία *Dei, necessitas incarnationis filij Dei, & passionis suæ apparet; quò referantur similia loca Gal. 4, 4. 2. Cor. 5, 21. &c.*

10. *Distinctæ sunt personæ in SS. Trinitate. Alius enim est qui mittit, alius qui mittitur: hic filius vocatur: Ergò ille Pater est: quod notandum contra Iudæos, & Turcas, ut & novitios Arianos, qui negant Deum verum habere filium. 2, contra Sabellianos & Patripassianos, qui discrimen personarum in S. Trinitate prorsus sustulerunt. 3. contra Arianos iterum, qui filium ex missione faciunt inferiorem Patre: nam missio & obedientia non tollunt æqualitatem potentiæ.*

11. *Notetur Aphorismus Apostolicus v. 3. justificare hominem legi erat impossibile; non dicit; erat præstitu difficile vel grave. Omnem igitur* δύναμιν *& facultatem detrogat homini extra Christum in spiritualibus, nullasq; vires*

relinquit ad operandam vel cooperandam salutem nostram.

12. Adventus Filij Dei in carne firmissimum argumentum est, legem ab homine servari non posse: hæc enim adventus illius caussa hic allegatur, ut jus legis impleretur in nobis, hoc est, ut & maledictio legis à nobis tolleretur, & perfecta obedientia in lege requisita in nobis inveniretur. Vtrumq; enim ad justificationem nostram est necessarium. Impletur autem in nobis illa obedientia per imputationem obedientiæ Christi Rom. 5, 19.

13. Gratia justificationis & sanctificationis conjuncta sunt, nec invicem divelli possunt: ideò hi per Christum justificari dicuntur, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm spiritum. Non igitur docemus, fidem otiosam in justificatis, sed per studium bonorum operum operosam: aliàs fit fides hypocritica: quæ communis est doctrina Apostolorum Gal. 5. Jacob. 2.

14. Peccatum non tantùm est imputatio quædam alienæ culpæ, neq; etiam defectus tantùm & privatio, sed & positivum malum, horribilis nimirum depravatio adfectuum, & inclinatio mala, ita ut hominum non renatorum etiam optima studia DEO placere non possint: idcirco vocantur hic studia carnalia, sapientia carnis, inimicitia DEI &c. quæ omnia ad exaggerandum malum originis pertinent.

14. Caro hominis non renati est inimicitia adversus Deum, non quòd à malo Deo creata sit, ut volebant Manichæi, sed quia legi Dei non subijcitur: non enim de substantia sed corruptione carnis hic agitur.

16, Libertas arbitrij à viribus humanis in rebus spiritualibus penitus tollitur hoc loco; scriptum enim est, hominem

nem carnalem, hoc est, non renatum non posse legi subjici. Unde resultat hæc maxima Theologica: Hominem ex suis viribus nihil agere aut conferre ad inceandam conversionem, aut adjuvandam interiorem renovationem cordis: id quod scriptura passim alibi docet Ephes. 2, 5. Col. 3, 13.

17. *Rationis judicium in rebus divinis prorsus cæcum est; nisi lumine verbi divini illustretur. Nam φρόνημα σαρκὸς in se consideratum absq; Spiritus sancti gratia Deo adversum est: ideò alibi scriptum est: sapientiam Dei nemo principum hujus seculi cognovit 1. Corinth. 2, 6. & animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei 1. Cor. 2, 14.*

18. *Verè fideles discernuntur ab hypocritis: quòd hi Christum quidem profitentur lingua, sed spiritum Christi non habent: neq; enim credunt, neq; faciunt, quæ spiritus Dei sunt, sed quæ ab alio suggeruntur spiritu: ideò Christus eos nosse non vult: eos enim tantùm novit & pro suis agnoscit, qui spiritum Christi habent.*

19. *Insigne Christi beneficium est, quòd non tantùm Spiritu suo nos regenerat, sed & regeneratos sibi inserit, ut simus unus cum ipso Spiritus, adhærentes ipsi ut membra capiti, à quo omnis vigor & motus bonus defluit in membra. Hæc enim est arctissima illa unio nostri cum Christo facta in baptismo: vinculum unionis ex parte Christi est Spiritus ejus, quo ungimur & obsignamur baptisati 2. Cor. 1, 22. ex parte nostra verò fides est, per quam Christus habitat in nobis Ephes. 3, 17.*

20. *Renati possunt amittere fidem & Spiritum sanctum, quia facere possunt opera carnis, ut supra audivimus cap. 6. & 7. talia autem qui faciunt, DEO placere non*

possunt, neq; habent Spiritum sanctum inhabitantem, judice nostro Apostolo v. 8. & 9.

21. *Spiritus sanctus vocatur Spiritus Christi, quemadmodum Gal. 4, 6, ergo procedit non tantùm à Patre, sed & à CHRISTO. Ratio consequentiæ firmissima est, quia relationes illæ personarum ad personas ex ipsis hypostaticis proprietatibus oriuntur, non ex aliqua donationis gratia. Alibi vocatur Spiritus labiorum ejus Esa. 11, 4. & Spiritus oris ejus 2. Thess. 2. 8.*

22. *In carne esse, non est in conjugio vivere: nam mox addit Apostolus de Romanis: vos autem non estis in carne, quos tamen non omninò cœlibes fuisse constat: infrà enim cap. 16. aliquot honestorum conjugum fit mentio v. 3, 7. & v. 13. nominatur mater Rufi &c.*

23. *Credentes in hac vita dicuntur Spirituales, non à solida & perfecta vita Spirituali, qualem sibi imaginantur Monachi & Moniales; sed ab ejusdem incoatione: Sunt enim in hac vita & vivi & mortui, & peccatores & justi, neq; tamen in gradibus excellentibus. Caro enim in credentibus est gradu remissiori; Spiritus excellentiori. Excitet hæc meditatio in nobis desiderium alterius seculi, ubi desinet omnis infirmitas, & subsequetur vera spiritualitas & summa perfectio.*

24. *Mors non est condita à DEO, sed propter peccatum intravit in mundum: idcirco corpus dicitur propter peccatum mortuum v. 10. Agnoscamus itaq; fragilitatem nostram, & ad mortem nos præparemus; omnibus enim mori statutum est semel Hebr. 9, 27.*

25. *Spiritus Sanctus non est qualitas in nobis; sed ipsa vita, inhabitans nobis, & vivificans nos Joh. 6, 63.*

Job. 33, 4. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis vivificavit me.

26. R*esurrectio mortuorum est quidem universalis, piorum simul & impiorum, sed hoc discrimine; quòd pij resurgunt ad vitam singulari Dei beneficio; non enim resurgent duntaxat, sed vivificabuntur, v. 11. impij ad pœnam, ex immutabili Dei justitia: quò pertinet locus Danielis cap. 12, 2.*

27. *Debitores sumus bonorum operum: non ergò permittitur licentia faciendi quidlibet: Sed operam demus, ut debitum nostrum exsolvamus sedulò: quod contra Carpocratianos, Simonianos & Libertinos notandum est, qui omnia bona & mala opera numero adiaphorórum censuerunt.*

28. *Studium bonorum operum non exigit à nobis interitum carnis, aut carnalium desideriorum; id enim in hac imbecillitate vitæ humanæ factu non est possibile. Quibusdam enim desideriis absq; interitu naturæ carere non possumus, ut est appetitus cibi & potus &c. quædam licèt abesse possint, caveri tamen nequeunt. Idcirco anniti nos jubet, ut auferamus carni lascivienti imperium in nos, quod fit, quando non vivimus juxta desideria carnis. Ideò enim jubet Apostolus non carnem ipsam, sed facta carnis mortificare v. 13. Alibi enim vult, ut carnis debitam curam habeamus Rom. 13, 14.*

29. *Renovatio hominis vocatur mortificatio carnis, quæ fit non per disciplinam Monasticam aut Baaliticam lanienam corporis: Sed quando Spiritus resistit operibus carnis, serijs exercitijs pietatis, precibus ac studijs honestis; corporalis enim exercitatio parum prodest: pietas autem ad omnia utilis est, 1. Tim: 4, 8. Huic autem exercitio vita tribuitur hoc loco, non ut caussæ meritoriæ, sed ut certo*

& necessario requisito, seu ut infallibili signo Spiritus sancti inhabitantis & vivificantis nos: negat enim Apostolus alibi, datam esse legem, quæ vivificare possit, Gal. 3, 21.

30. *Opera quantumvis optima, si non à Spiritu Dei profecta, non sunt bona neque Deo grata: non enim sunt filiorum opera, sed servorum: hoc est, non ex libero proficiscuntur Spiritu, sed servili timore fiunt, tantùm ad evitandas pœnas. Filij autem Dei aguntur Spiritu Dei: proinde non suis viribus adscribunt, quicquid benè faciunt, sed gubernationi Spiritus sancti, pro cujus auxilio & immanentia perpetuò orare pergunt cum Psalte Regio Psal. 51. Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me: & Psalmi. 143. Spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam &c.*

31. *υἱοθεσία nostra differt ab υἱοθεσίᾳ Christi: quòd ipse est naturalis Dei filius, nos verò adoptivi sumus filij & pro* Circa annum Christi. 800. *heretico fuit habitus Felix quidam in Synodo Francofurtensi, qui Christum filium Dei adoptivum appellavit. Ab ipso verò nos habemus, quòd nos in Dei filios adoptamur: quia ipse per incarnationem suam frater noster factus est.*

32. *Cultus Deo gratus est, in quacunque lingua fiat, modò ex animo puro proficiscatur: indè conjungit Apostolus hebræam & græcam vocem; Abba, Pater; ad significandum populorum consensum, in colendo Deo, licèt, linguæ sint diversæ. In Christo Iesu enim non est neque Iudæus neque Græcus, neque Scytha, neque barbarus, sed omnes unum sumus in Christo Col. 3, 21. Gal. 3, 28. huc refer vaticinia prophetarum de convocandis gentibus ex omni lingua ad gremium Ecclesiæ Esa. 19. 18. Zach. 8, 23. &c.*

33. *Summa salutis nostræ certitudo consistit in testimonio non nostro solummodò, sed & ipsius Spiritus Sancti,*

qui est

qui est ipsa veritas 1. Ioh. 5. de quo plura in analysi textus. Desperata igitur doctrina est Papicolarum de dubitatione fidelium, quæ Deum mendacem facit, pugnat cum fine promissionum divinarum Roman. 4,16. & cum fide justificante, cujus est obsignare, quòd Deus verax sit, Joh. 3,33. est signum reprobationis 2. Cor. 13,5. & idcircò à Spiritu Sancto damnatur 1. Cor. 8,7. Iac. 1, 6. Rom. 14. vers. ult.

34. Filijs debetur paterna hæreditas: filiatio autem est Spiritualis: ergò & hæreditas, possessio nimirum omnium bonorum cœlestium, gaudij & salutis æternæ, in qua cohæredem habemus Christum, qui hæres regni cœlorum est ab æterno: imò hæres ipse constitutus est omnium Hebr. 1, 2. vi cujus hæreditatis regnat in gloria inter omnes hostes suos: ita nobis cohæredibus suis omnia data sunt, præsentia & futura 1. Corinth. 3, 21. quos & gloriæ & dominij sui super hostes nostros fecit participes: quo respectu & throni sui & iudicij extremi consortes reddimur Apocal. 3, 21. Matth. 19, 28. 1. Corinth. 6, 2. &c.

PARS ALTERA
TEXTUS.

Λογίζομαι γὰρ, ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς.

Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἀπεκδέχεται.

18. Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

19. Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

20. Vani

Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα, ἐπ' ἐλπίδι.

Ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ.

Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν.

Οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν.

Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν· ἐλπὶς δὲ βλεπομένη, οὐκ ἔστιν ἐλπίς· ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει;

Εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν, δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα.

Ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ πνεῦμα συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν· τὸ γὰρ τί προσευξώμεθα καθὸ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν· ἀλλ' αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις.

Ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας, οἶδε τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ὅτι κατὰ Θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων.

20. Vanitati enim creatura subjecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe.

21. Quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

22. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc.

23. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemtionem corporis noſtri.

24. Spe enim ſalvi facti ſumus: ſpes autem quæ videtur, nõ eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat?

25. Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.

26. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe SPIRITUS poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

27. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus; quia ſecundum Deũ poſtulat pro ſanctis.

28. Scimus

Οἴδαμεν δὲ ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν, πάντα συνεργεῖ, εἰς ἀγαθὸν, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν.

Ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς.

Οὓς δὲ προώρισε. τούτους καὶ ἐκάλεσε· καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν· οὓς δὲ ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε.

Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα; εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν;

Ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν, πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται;

Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν θεοῦ; θεὸς ὁ δικαιῶν.

Τίς ὁ κατακρίνων; Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθεὶς· ὃς καὶ ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν.

Τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ; θλίψις, ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα;

(Καθὼς γέγραπται, ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν·

28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundùm propositum vocati sunt sancti.

29. Nam quos præscivit: & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

30. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.

31: Quid ergò dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

32. Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?

33. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat.

34. Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

35. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?

36. Sicut spriptum est, Quia propter te mortificamur tota die;

ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς.

Ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς.

Πέπεισμαι γὰρ, ὅτι οὔτε θάνατος, οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις, οὔτε ἐνεστῶτα, οὔτε μέλλοντα.

Οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι, ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ, τῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν.

æstimati sumus sicut oves occisionis.)

37. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.

38. Certus sum enim, quia neq; mors, neque vita, neq; Angeli neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura.

39. Neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

EST hæc pars capitis merè consolatoria, opposita varijs Satanæ tentationibus, quibus insidiatur pijs tempore crucis & afflictionum; in hunc finem, ut spem fiduciamq; ipsorum labefactet. Sed tentationes illas omnes prolixo discursu Spirituq; verè Apostolico ita declinat Apostolus, ut doceat, afflictiones pijs non modò non nocere, verùm etiam quam plurimùm prodesse: hunc enim esse modum ac conditionem, qua hæreditatem vitæ æternæ cernere debeamus. Huc referenda est postrema particula v. 17. qua docet Apostolus fore, ut si cum Christo patiamur, simul cum eo glorificemur. *Quibus verbis argumentum consolationis ducit* primum *à pari nimirum ab ea conditione, qua filius Dei naturalis hæreditatem illam adijt: is verò per crucem adijt, ut ipse loquitur Luc. 24, 26. oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam: ergo non erit melior sors filiorum adoptivorum.* Secundum *argumentum in ijsdem verbis petit ex consequentibus:*

tibus: si cum ipso passi fuerint, cum eodem quoq; gloriam & honorem consequentur. Tertium *argumentum subijcit v. 18. ex comparatione impari, quòd nimirum perpeßiones seculi præsentis longè sint minores, quàm gloria futura est in altero seculo.* Existimo, *inquit*, quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: *quibus verbis non modò imparitatem notat temporalium calamitatum & æternæ gloriæ, verùm etiam proportionem omnem inter ista duo tollit: ea enim inter finitum & infinitum nulla est.* Quartum *argumentum consolationis petit à* συμπαθείᾳ *cæterarum creaturarum Ver. 19.* Expectatio creaturæ, *inquit*, revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Per Creaturam intelligit Augustinus homines lib. 83. quæstionũ quæst. 67. quem sequitur Lyra, qui creaturã interpretatur humanam naturam, sicuti Marc. 16, 15. & Coloss. 1, 23. Evangelium prædicari dicitur omni creaturæ: sed non potest hæc interpretatio admitti, quia Apostolus docet, quòd ex hominum vitio creatura vanitati sit subjecta. Significat igitur creatura omnes res creatas, quæ hominum usui inserviunt, exclusis Diabolis, qui quidem sunt creatura Dei, sed neq; hominibus neque Ecclesiæ serviunt. Creaturæ itaque tribuit* ἀποκαραδοκίαν, *expectationem revelationis filiorum Dei, hoc est, maximam solicitudinẽ, & anxiũ desideriũ consummati seculi, ubi molestijs omnibus & ipsæ & homines: quibus sunt usui, liberabuntur; & revelabuntur filij Dei cum gloria, qui hic latebant sub ignominia: vide Sap. 5. Hoc autem desiderium per prosopopœiam intelligendũ est, respectu irrationaliũ*

& inanimatarum, non quasi creatura sensum aliquem doloris habeant, sed quòd suo quodam modo, soli Deo cognito, liberationem anxiè expetant. Rationem hujus desiderij addit, quia vanitati subjecta sunt. Vanitatem vocat corruptionem & abusum rerum, quæ propter hominem sunt conditæ: huic subjectæ sunt invitæ propter Deum creatorem; cui suo modo obtemperant: & illam vanitatem tolerant, quia spem habent liberationis, quando demum, desinent inservire impijs, in consummatione seculi, ubi creaturæ cæteræ præter hominem, cessabunt, & electi in libertatem veram filiorum Dei adducentur. Quintum *consolationis argumentum petitur à maturitate liberationis v. 22.* Scimus enim, quòd omnis creatura congemiſcit, & parturit uſq; adhuc. *Ubi quidem creaturæ tribuit στεναγμὸν, quæ vox angorem cordis significat, qualis est vehementer gementium, crebrò & ampliter repetitis suspirijs, ut fit in vehementer iratis aut amantibus: Sed talem angorem ei tribuit, quæ maturam importat liberationẽ ab istis angustijs. Ait enim creaturam συνωδίνειν, vocabulo sumto à parturientibus: in quibus quidem dolores sunt acutissimi, liberatio autem & subsequens exhilaratio præsentissima. Parturientes enim partum expectant in horas, licèt acutissimis cum doloribus; ita liberatio matris Ecclesiæ etiam afflictissimæ in singulas horas speranda est: non itaq; gravemur communes ærumnas, exiguamq; moram patienter ferre.* Sextum *argumentum petit ab exemplo aliorum hominum, inprimis autem Apostolorum & credentium. v. 23.* Non ſolùm illa, *inquit,* ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemtionem corporis noſtri. *Describit fideles ab inhabitatione Spiritus Sancti, cujus* primitias *saltem eis tribuit, hoc est, optimas præstantissimasq; particulas* *dono-*

donorum Spiritus Sancti, quemadmodum olim primitiæ de optimo genere frugum offerebantur Domino. Nondum autem eis tribuit decimas *, quia in hac vita nondum perfecti sunt. Hi gemunt intra seipsos, quia licet non publicè in omnibus congressibus de vanitate mundi conquerantur, tacitis tamen gemitibus ac suspirijs corruptissimum rerum omnium statum deplorant. Dicuntur autem expectare adoptionem filiorum Dei, respectu plenariæ possessionis, quæ post destructionem corporis mortalis futura est: ideò addit, redemtionem corporis nostri: quando enim corpora deponent immortalitatem ac corruptionem, tunc plenariam filiorum Dei hæreditatem absq; omni dispendio possidebunt. Sensus igitur hujus argumenti hic est: Non tantùm hæc, quam diximus, creatura, sed & credentes in mundo, imò ego ipse & alij Apostoli, per tot discrimina rerum ad futuram liberationem adspiramus, plenariamq; nostram beatitudinē adhuc expectamus. Ergo nemo alius cruce offendatur: siquidem in hoc seculo nulla felicitatis est perfectio: & promissiones temporalis felicitatis cum conditione crucis latæ sunt. Partem antecedentis, quòd plenam felicitatem adhuc exspectamus, probat v. 24. Spe enim salvi facti sumus; quasi dicat, hic nondum rem, sed spem veræ felicitatis habemus: non enim ad hujus, sed futuri seculi fruitionem sumus conditi.* Septimum *argumentum mox subjungit à natura rerum sperandarum. Perfecta felicitas absq; omni nube tribulationum adhuc speratur, ut jammodo dixerat: ergò nondum eam in hac vita possidemus: sed patientia opus est inter tot ærumnas, quæ nobis spem perfectæ felicitatis intercipere conantur: ita enim habet vers. 25.* Spes autem quæ videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus,

mus. *Conjungit spem & Patientiam, quarum utraq; necessaria est homini fideli in hac vita: spes quidem respectu futuri boni, cujus expectatio est: patientia autem respectu præsentis mali, quod spem multorum labefactat ac infringit.* Octavum *consolationis argumentum petitur ab auxilio Spiritus Sancti, fideliter nobis succurrentis in adversitatibus.* Consimiliter, *inquit*, & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse SPIRITVS postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus; quia secundùm Deum postulat pro nobis. *Consimiliter, inquit, adjungens fidelibus Spiritum Sanctum, tanquam fidelissimum παραστάτην, eoq; verbo simul docet, nostra quoq; patientia & firmis animis opus esse quos adjuvat Spiritus Sanctus. Quomodo autem adjuvet, exponit 1. quia vires largitur, quibus superare valeamus res adversas. 2. quia docet nos orare, siquidem absq; Spiritu Sancto non possumus Christum appellare Dominum. 3. quia postulat pro nobis, hoc est, ad preces nos instigat, & segniores excitat, quemadmodum interpretatur Augustinus lib. 1. cont. Maximinum, & Chrysostomus hom. 14. in epist. ad Rom. 4. quia preces nostras Deo notas facit atq; gratas: illi enim gemitus, quos in nobis ciet Spiritus Sanctus, secundùm Deum sunt, hoc est, juxta voluntatem DEI fiunt, ac proinde sunt DEO placentes, per Christum, in cujus nomine effunduntur.* Nonum *consolationis argumentum petitur ab exitu tribulationum, quem longè felicissimum subsecuturum pollicetur:* Scimus, *inquit*, quoniam, diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, *v. 28. Providentiam ergo Dei commendat, qui nunquam aliquid mali immitteret fidelibus suis, nisi aliquid boni inde elicere posset, ipsis fidelibus salutare, & Reipubl. utile. Ideo utitur composito*

Spiritus S. quomodo nos adjuvet in orando.

verb

verbo συνεργεῖ *cooperantur, Deo nimirum cooperantur, qui ad operandum in nobis salutaria hoc, quamvis duriore & carni ingrato, medio utitur. Per crucem enim caro lasciva frenatur, peccatorum impetus infringitur, patientia, spes atq; fides nostra probatur, animusq; ad preces ardentiores excitatur. Describit autem eos, quibus omnia cedunt in bonum, triplici nota. 1. quòd sint diligentes DEUM, hoc est, veri filij DEI: dilectio enim filiorum DEI nota est. 2. quod vocati sint, nimirum per Evangelium ad consortium Ecclesiæ: nam extra cœtum vocatorum non reperiuntur filij DEI, sed filij iræ. 3. quòd vocatio illa facta sit* κατὰ πρόθεσιν, *juxta propositum; non additur, Dei an hominum. Unde factũ, quòd Chrysostomus ac Origenes, Augustinus etiam lib: de corrept. & grat. cap. 9. retulerunt ad firmum propositum ac* προαίρεσιν, *constantemq; voluntatem hominis obediendi DEO. Sed est hoc contra mentem Apostoli, qui cap. 9, 11. & Eph. 1, 11. & 2. Tim. 1. ostendit, se de proposito, consilio ac voluntate Dei locutum, qua Deo placuit, eos ad se revocare, qui per peccatum ab ipso exorbitaverant. Notatur igitur hac voce gratuita hominum vocatio, facta absq; ullo meritorum suorum interventu, quam prædicat Apostolus 2. Timoth. 1. Et hinc transitum facit Apostolus ad* decimum *argumentum, quod petitur ab æterna Dei prædestinatione, à qua salus hominum de pendet: ergo nullis tribulationibus potest interverti. Cùm enim dixisset, ijs qui secundum propositum vocati sunt, omnia cooperari in bonum, mox subjicit v. 29.* Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autẽ justificavit, illos & glorificavit, *Argumẽtũ consolationis tale petitur ex his versiculis:*

Qui

Quicunq; non temerè, sed ex singulari Dei præscientia & destinatione cruci subjecti sunt, ut nimirum à conditione Christi capitis sui, non degenerent, illi revera non habent, cur tribulationes hujus seculi vehementer metuant. Is enim, qui eos peculiari consilio subjecit cruci, æterno etiam & immutabili decreto ad salutem & gloriam destinavit. Tales autem sunt omnes fideles. Ergo &c.

Argumentum hoc quemadmodum aliàs majestate sua eximium est: ita vel eo nomine memorabile, quod eleganti gradatione ostendit ordinem illum, quo Deus salutem electorum suorum procurat. Ubi, ne erretur in vero sensu bujus gradationis, primum *omnium sciendum est, loqui Apostolum more Prophetis usitato per enallagen temporis in præterito de rebus futuris, propter rei certitudinem;* deinde *loquitur non de omnibus hominibus promiscuè, sed de his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulant, quibus nulla metuenda est condemnatio, qui spiritu Dei aguntur, qui sunt filij Dei, hæredes Dei, cohæredes Christi, diligentes Deum, hoc est, uno verbo, loquitur de fidelibus. Perperam itaq; hic locus ad universalem omnium hominum prædestinationem ad vitam trahitur.* Deniq; *notandum est, monstrari hic ordinem, quo Deus electionem factam ab æterno, tandem deducat in actum, partim in tempore hoc præsenti, vocatione atq; justificatione, partim in altero futuro seculo, æterna glorificatione. Priora itaq; membra juxta posteriora interpretanda sunt, ita ut glorificandi etiam sint justificati; & qui justificantur, etiam sint vocati; & qui sic vocati sunt, etiam prædestinati sint ac præsciti. Unde sequitur, præscitos illos, præordinatos atq; vocatos, non nisi de ijs intelligendos esse, qui finem suæ præordinationis consequuntur, æternam nimirum glorificationem,*

DE PRAEDESTINATIONE.

nem; quæ certißimum electorum consequens ac effectum est. His præmißis, ordine jam singulos gradus in singulis vocabulis videbimus. Prima vox est πρόθεσις, *propositum Dei; quæ salutis nostræ negotium ab omni temeritate excludit, & simpliciter ad providentiam Dei refert. Illa Dei* πρόθεσις *non in abysso secretorum divinorum, sed in revelato ejus verbo, & nominatim in doctrina Evangelii quærenda est, teste Paulo Apostolo aliquot in locis Rom: 16, 25. 10, 7, 8. Eph. 3, 5. 2. Tim: 1, 10. 1. Cor. 2, 7. Act. 20, 27. Nam ut præclarè scribit B. Lutherus super cap. 25. Genes. de Deo, quatenus non est revelatus, nulla est fides, nulla scientia, cognitio nulla. Includit autem non tantùm voluntatem, sed & consilium ac decretum Dei de salute nostra. Propositum hoc in DEO electionem nostram totumq; salutis nostræ negotium ex nostra parte merè facit gratuitum: factum enim est ab æterno, cùm homines nondum essent; ideò non* θέσις *sed* πρόθεσις *appellatur. Et describitur ita in scriptura, ut intelligatur 1. nullum omninò hominem ab isto proposito, consilio ac decreto DEI ab ipso DEO exclusum esse: DEUS enim conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereretur Rom: 11, 32. vult omnes ubiq; pœnitentiam agere Act: 17, 39. omnibus dedit filium Ioh. 3: 1. Joh. 2. vult omnes ad agnitionem veritatis venire 1. Tim: 2, 4. 2. non esse illud simulatum, sed serium: quia Deus juramento confirmat, se nolle mortem impii, sed ut convertatur & vivat Ezech. 33, 11. Verùm enimverò quia consilium hoc, voluntatemq; Dei non omnes homines recipiunt: ideò jam Dei voluntas, quæ in sese & natura una est & simplicißima, geminum accipit respectum, juxta quē & πρόθεσις in DEO geminam considerationem adipiscitur. Primùm enim DEUS in verbo suo ita se declaravit, quòd velit omnium hominum salutem, etiam eorum qui pereunt:*

Ordo, quem Deus observavit in Electione nostri ad vitam.

πρόθεσις Dei.

Vide Damascen: lib. 2. cap. 29.

Voluntas Dei Antecedens.

unt: & hæc Dei voluntas tangit promiscuè omnes, licèt non apud omnes finem suum consequatur; in scholis vocatur voluntas Antecedens, qua Deus proposuit, hoc est, seriò decrevit omnes salvare homines. Sed quia voluntas illa Dei non est simpliciter inderminata, sed ad media certa adstricta, nimirum ad verbum & fidem: ideo πρόθεσις illa Dei ad ista quoque media sese extendit universaliter: proposuit enim Deus omnibus mittere filium, omnibus dare Verbum, omnibus per verbum largiri fidem, omnibusque per fidem in CHRISTVM dare salutem, etiam iis, qui filium contemnunt, verbum audire nolunt, fidemque actu non habent, neque salvantur actu. Et quia propositum hoc DEI serium est, meritò ἐς κόρακας aut ad Balthici maris strepitus, ubi exaudiri non possint, relegamus impias illas voces Sacramentariorum, quasi DEVS aliquos voluntate signi vocaverit, & salutem eis in verbo proposuerit, quos tamen voluntate beneplaciti æternùm abjecerit, neque verbum audire voluerit: talis enim simulatio & hypocrisis, ne quidem in homine toleranda, promissionibus Dei veracissimis, adfectui suo erga homines sincerissimo, extremè contraria est. Quia verò seriam illam Dei voluntatem non omnes sequuntur: jam illa malitia hominis, quæ Deo ab æterno fuit cognita, facit alium in voluntate DEI respectum, quam vulgò voluntatem consequentem nominant, quæ homines in duas quasi classes dispescit, fidelium & infidelium, & de utrisque seorsim consideratis, propositum ac decretum Dei nobis exponit. De credentibus tale est Dei propositum: Qui credit in Filium, habet vitam æternam: de non credentibus, vicissim aliud propositum est: Qui non credit, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum. Vtrumque extat Joh. 3. 36. Et ita habet πρόθεσις, propositum Dei quod quem

Voluntas Dei consequens.

Habet geminum propositum & decretum, unũ de credentib9 alterum de non credentibus.

ordinem

ordinem includat, nunc sequitur. Altera *igitur vox est* πρόγνωσις *præscientia: quæ* ἀνθρωποπαθῶς *de Deo dicitur, in quo non nisi simplex scientia est, & cui omnia futura sunt præsentissima. Hæc DEI scientia vel cognitio ad essentiam DEI pertinet, & aliàs generalis est, extendens se ad omnia, quæ sunt in mundo: hic autem limitatè accipienda est, secundùm subjectam materiam de præscientia Electorum, qui sunt in CHRISTO, qui diligunt DEUM, & quibus omnia cooperantur in bonum. Nam & vocabulum prædestinationis quod additur, ostendit Apostolum non de absoluta omnium rerum, sed electorum seu prædestinatorum præscientia loqui: quo sensu electi secundùm præscientiam Dei Patris appellantur 1. Petr. 1. quo in loco B. Lutherus præscientiam per ordinationem exponit, quia Deus in electione ad ordinem à se constitutum respexit, in quo ordine non opera nostra, sed Christus cum omni suo merito inclusus est. Falsa autem est interpretatio Calvinianorum, quam vide apud Paræum in hunc locum, p. 752, qui illud* προέγνω *interpretatur, pro suis cognovit, dilexit, elegit. Ita enim inter præscientiam & prædestinationem seu electionem nihil fuerit discriminis: quæ duo tamen, ut distincti gradus in procuranda salute nostra hic accuratè discernuntur.* πρόγνωσις Dei.

Tertia *vox est* προορισμὸς, *prædestinatio: quæ vox iterum non absolutè, sed cum determinatione manifesta ponitur: restringitur enim ad* συμμορφίαν *Christi, quæ consistit partim in societate afflictionum, partim in participatione gloriæ, hoc tantùm discrimine, ut Christus sit primogenitus, hoc est, ut prærogativas, eminentiamq; suam habeat in gradibus passionum & gloriæ præ cæteris fratribus. Non enim conformitas æqualitatis, sed similitudinis hic indigitatur. Significat* προορισμὸς Dei.

autem προορισμὸς non simpliciter βουλὴ seu consilium Dei, sed determinationem divinæ voluntatis per certa media ad ὅρον sive terminum determinanti præfixum, unde Act. 13, 48. electi vocantur τεταγμένοι, ordinati ad vitam æternam. Differt prædestinatio à præscientia non ratione temporis, nec ratione objectorum, sed 1. ratione actus in Deo. Præscientia enim Dei notitiam rerum saltem notat, prædestinatio verò caussam salutis in electis. 2. ratione ordinis: præscientia enim innuit, non absolutè, sed certo quodam ordine factam prædestinationem nostram: nimirum, quia scivit Deus ab æterno, qui sint Christo per fidem insiti, ideò hos prædestinavit ad vitam, cæteris præteritis, non ex absoluto quodam decreto, sed propter incredulitatem ipsorum, quæ Deum omniscium latere non potuit. Idq; nobis revelatur in doctrina Evangelii, ubi executio hujus decreti cum ipso decreto consentiens continetur: qui crediderit, salvus erit: ergò & qui crediderit, ad salutem præscitus & prædestinatus fuit. Falsum itaq; est, quod scribit Paræus super hoc caput pag. 757. præscientiam hic pro ipsa electione poni. Neque tamen electio esse potest sine præscientia. Electio enim æterna respicit 1. lapsum hominis in tempore futurum. 2. meritum Christi futurum. 3. prædicationem meriti. 4. oves Christi, quæ in tempore crediture erant. Et hoc Deus egit in procuranda salute hominum ab æterno.

Prædestinatio & præscientia in Deo differunt.

Vocatio.

In tempore sequitur tertia vox, Vocatio. Nam extra cœtum vocatorum, nulli sunt quærendi prædestinati. Vocatio autem fit per Verbum. Quoniam autem non omnes vocati comparent; sed non nulli rejiciunt verbum, & respuunt consilium Dei adversus seipsos, sciendum est, loqui hic Apostolum de vocatione, quæ finem propositum assequitur: agit enim de iis, qui etiam justificantur & glorificantur: quos & describit alibi 2. Timoth. 1, 9. & hi iidem sunt, qui prædestinati

nati; tantùm hoc differunt, quòd prædestinatio fit ab æterno, vocatio in tempore. Quarta vocula, quæ gradum salutis nostræ constituit, est Iustificatio, *de cujus caussis alibi agitur & nihil aliud est, quàm executio tẽporalis prædestinationis factæ ab æterno. Tandem sequitur* Glorificatio, *qui est ultimus electorum actus, quem in altero demum seculo consequentur, tanquam finem fidei & prædestinationis suæ. De his omnibus autem loquitur in præterito, partim propter rei certitudinem, ut suprà diximus, quia Electio Dei non fallit, & qui prædestinati sunt ad gloriam, certò quoque consequentur eam: partim quia processus fit à posteriori, & non nisi de glorificatorum justificatione, vocatione, ac prædestinatione ad vitam hoc in loco agitur. Et hoc fuit decimum argumentum consolationis, ex aurea salutis nostræ catena deductum.*

Iustificatio.

Glorificatio.

Vndecimo, *in conclusione hujus tractationis quasi congeriem multiplicium consolationum conjungit v. 31. & seqq. Cùm enim eorum, quibus piæ menti concertandum est, non sit numerus, quatuor hic ordine ponit συζυγίας pugnantium, ex quibus novus consolationum in cruce quaternarius exsurgit. 1. Opponit hostium multitudinem & Dei præsentissimum auxilium.* Quid ergo dicemus ad hæc? *inquit*; Si Deus pro nobis, quis contra nos? *v. 31. Hostes piorum vocat* τοὺς καθ᾽ ἡμῶν, *qui contra nos, qui salutem ac incolumitatem nostram impugnant, ut sunt morbi, mors, adversa fortuna, inimici aperti vel clancularij &c. quæ omnia faciunt, ut vita hominis perpetua sit militia. His opponit Deum, qui est* ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis, quemadmodum promisit se fore murum igneum in circuitu Ecclesiæ Zach. 2. quod fit 1. propugnando nos, quod sæpè facit verbo unico, ut in periculosa navigatione discipulorum Matth. 8. in miraculosa sanatione morborum, & liberatione à morte; sæpè facit aperta vi, ut*

quando Pharaonem præcipitat in mare Exod. 14 2. occultè defendendo, ut testantur exempla Elisæi in oppido Dothan 2. Reg. 6. Danielis in lacu leonum, Dan. 6. trium adolescentum in fornace ardente Dan. 3. 3. omnia in melius vertendo: quod comprobavit exemplis Iosephi incarcerati, Davidis exulantis &c.

2. Opponit dubitationem de præsentia Dei, & donationem filij unigeniti. Quia enim Deus sæpè in occulto nobiscum agit, adferens auxilium etiam non animadvertentibus, unde & multitudinem dulcedinis suæ in absondito habere dicitur Psal. 31, 20. facilè suboriri possunt dubitationes, num etiam Deus sit à nostris partibus: caro enim & sanguis aliter judicant, præsertim in dilatione auxilij. Huic tentationi remedij loco monstrat ipsum filium Dei, quem Pater æternus nobis donavit, unde firmiter concludit, in hoc ipso Dei filio & gratiam & auxilium Dei & Spiritum sanctum, & quicquid homini gratum est ac salutare, donatum esse. Ita enim scribit v. 32. Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donet? *Argumentum procedit à majori ad minus. Nam qui dedit id, quod omnium maximum est, proprium suum filium, quo majus & excellentius donum non habuit, cur deneget nobis suam gratiosam præsentiam in ærumnis? si enim deficeremus in afflictionibus, frustrà nobis datus esset filius.*

3. Opponit accusationem Diaboli, & absolutionem Dei. Quis accusabit electos Dei, *inquit*: Deus est qui justificat *v. 33. Diabolus est, qui accusat nos die ac nocte Apoc. 12, 10. sed electi jam sunt à peccatis liberati per Christum, ideo accusatio illa ipsis nihil oberit: nam in jus vocati stant induti veste justitiæ ac innocentiæ Christi, qui à Deo factus est nobis justitia 1. Cor. 1.*

4. *Oppo-*

4. *Opponit metum condemnationis, & meritum ac intercessionem Christi v. 34.* Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui & interpellat pro nobis. *Nihil æquè metuit homo, quàm æternam maledictionem, licèt credat, remissum esse peccatum, subinde tamen regerit Tentator, sustinendam adhuc esse pœnam, ut satisfiat legi; maledictus qui non servat omnia, quæ scripta sunt in lege; & anima, quæ peccaverit, morietur. Huic ergò opponit Apostolus universum thesaurum meriti Christi. Nam quia pro nobis mortuus est, mortis nos immunes reddidit, iniquum enim esset, ut pro uno peccato gemina exigeretur pœna: quia ad dexteram Dei sedet, ostendit, jam superatos hostes nostros & impetratam victoriam: quia intercedit pro nobis, succurrit imbecillitati nostræ nosq; de exauditione deprecationis nostræ certiores reddit. Intercedit autem Christus ad dexteram Patris, non ut supplex quasi jaceat coram Patre cœlesti prostratus, sicut in diebus carnis suæ fecit: sed partim vi meriti sui, propter quod preces nostræ Deo fiunt gratæ: partim vi solemnis illius precationis, quam Iohan. 17. fudit pro omnibus, qui per sermonem Apostolorum credituri erant. Quando ergò filius Dei jam ad dexteram Dei vi meriti & precationis suæ in statu exinanitionis factæ, adsensum suum conjungit, & ad opem ferendam Patri Spirituiq; sancto cooperatur, tunc intercedere pro nobis dicitur. His tot tamq; validis consolationum firmamentis erectus Apostolus ex vera fidei πληροφορίᾳ ἐπινίκιον canit in media cruce; concluditq;, nihil uspiam in mundo esse tam adversum, quod hominem pium separare possit à dilectione, qua nos Deus complectitur in filio. Huc facit v. 35. usque ad finem capitis:*

Quis

Quis ergo nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? &c. 1. *per μερισμὸν recenset varias fortunæ procellas, quibus impetuntur pij in hoc seculo.* 2. *ostendit, id non temerè neq́ casu contingere, sed ita prædictum esse: idcircò allegat Psalmum 44,23. ubi conqueruntur pij:* propter te mortificamur tota die, *hoc est, periculis mortis obijcimur per exilia, per famem, per morbos, ac ærumnas alias:* & æstimati sumus sicut oves occisionis, *videlicet propter persecutiones tyrannorum, qui luporum instar vitæ nostræ insidiantur.* 3. *semetipsum omnesq́ pios erigit certa spe victoriæ v. 37.* Sed in his omnibus superamus: *in græco est ὑπερνικῶμεν, longè superiores erimus: victoriam pollicetur longè majorem, quàm fuit clades accepta, quia clades est temporalis, victoria æterna: clades affligit saltem corpus, victoria lætificat animam.* 4. *originem istius victoriæ non nostris adscribit viribus, sed virtutis divinæ, meritoq́ Christi: superamus enim, inquit,* propter eum, qui dilexit nos. *DEUS enim, qui major omnibus tyrannis, omnibus ærumnis, dirigit omnes hominum adversitates, ut tandem, qui fideliter certaverint, honorificè coronentur.* 5. *denią suo docet exemplo v. 38. pios non tantùm opinari, sed certò persuasos esse, se sub cruce non succumbere, neq́ à caritate Dei avelli posse. Nihil enim esse, vel in cœlo vel in terra, vel in mari, vel in inferno, quod ipsis prævalere queat: Iccircò non immeritò ipsos animo imperterrito & inexpugnabili esse oportere: huc enim tota illa de cruce διέξοδος directa erat.*

Paraphrasis hujus partis.

NE verò vos, ô mei, terreat magnitudo adflictionum hujus seculi. Ea enim quanta quanta est, nihil est ad gloriam illam cœlestem, ad quam per adflictiones ingrediemini. Interim socios adflictionum vestrarum habetis etiam creaturas inanimatas in omnibus elementis, quæ quidem in usum hominum conditæ, serviunt libenter utilitati hominum, sed quia abutuntur eis homines etiam invitis, suo modo ingemiscunt, anxieque desiderant alterius seculi initium, ubi gloria filiorum Dei plenè revelabitur, & creaturarum cæterarum usus cum abusu cessabit: ita demum liberabuntur à vanitate hominum, quæ spes liberationis eis à Deo facta est in creatione, quia ad hujus duntaxat seculi usum ab ipso conditæ fuerunt. Quòd si ergò creaturæ, quæ nihil peccarunt, vanitatem, cui propter nos subjectæ sunt, patienter tolerant & liberationem exspectant: quantò magis id nobis facere convenit, qui nostra culpa malis hujus seculi subjecti sumus? Habetis etiam adflictionum socios sanctos quosq; in mundo, & nos ipsos Apostolos, quos Spiritùs Sanctus donis suis illustrare cepit, nondum autem jugo calamitatum exemit: ideo & nos ingemiscimus vobiscum, anxiè expectantes magnum illum diem Domini, in quo & corpora nostra à corruptione liberata, unà cum animabus suis hæreditatem filiorum Dei plenariè possidebunt. Hac spe nos interim sustentamus, vitamque ac salutem æternam nobis promissam magna animi patientia certò expectamus. Aliter enim fieri non potest in hoc seculo, ubi nondum cernimus hæ-

reditatem nostram, sed cernendam aliquando speramus. Interim dum vivimus adhuc in vanitate hujus seculi, ubi miris modis labefactatur spes ac fides nostra, fidelem habemus παράκλητον Spiritum sanctum, qui arma ad depellendas adflictiones omnium optima suppeditat, preces nimirum. Nam cùm absque Spiritu sancto, neque Christum vocare Dominum, neque quomodo preces informandæ, scire possimus: ipse nos orare docet, pias cogitationes, vota ac suspiria suggerit ac inspirat, & sicubi in precibus languescere incipimus, ipse languorem excutit, segniores excitat, precesq; nostras vivifica quasi aurâ fidei ac patientiæ animat, ut Deo placere valeant. Quæ omnia crucem nostram tolerabiliorem reddunt. Præterea scimus, Deum nostrum adeo fidelem esse, ut & ea, quæ in hoc mundo infaustissima contingunt, salutarem & exoptatum consequantur eventum in ijs, qui DEVM diligunt, & per æternum Dei decretum in sortem sanctorum adsciti sunt. Hos enim & horum sortem novit ab omni æternitate: ideo & prædestinavit eos ad salutem ac vitam æternam, ita tamen, ut ad similitudinem Christi capitis sui per tribulationes multas ingrediantur in gloriam suam, licèt Christus, quoad crucis & gloriæ magnitudinem utrobiq; magnum habeat excellentiæ privilegium. Porrò quos ita ab æterno prædestinavit Deus, hos etiam in tempore vocavit per verbum, ac justificavit per fidem in Christum, ut tandem in altera vita æternùm cum ipso glorificentur. Nihil igitur ipsis temerè aut casu contingit, sed omnia, Deo ita providente mirabiliterq; gubernante, nequid ipsorum gloriæ per temporales ærumnas derogetur. Quæ cùm ita sint, quis

adver.

adversabitur nobis? aut si quis adversatur, quis nocebit nobis, si Deum tam potentem protectorem habemus ex parte nostra, hominum saluti tam fideliter ac sapienter prospicientem? Nam cum ne quidem filio suo unigenito perpercerit, ut servo parceret, sed hoc tam præclarum donum mundo donaverit, quomodo non credentibus in filium vires largiretur in ærumnis, animum in adversis, victoriam contra Satanam? Agite ergò, esto, accuset nos Satan adversarius noster: ecce Deus hîc stat, qui electos suos ab accusatione absolvit. Maledicat lex: ecce Christus Jesus est à nostris partibus, qui morte sua, resurrectione à mortuis, sessione ad dexteram Patris, & universo suo merito testatum fecit, maledictum à pijs jam sublatum esse, dum ipse in cruce pro nobis factus est maledictum: ideò jam in gloria sua ad dexteram Patris, preces fidelium exaudit, & reipsa efficit, ut intelligamus, & meritum & intercessionem suam in tempore carnis à se pro salute nostra factam non fuisse de nihilo. Quibus omnibus animati insultare possumus Diabolo, morti, inferno & omnibus, quæ nobis etiam in hoc mundo negotium facessere possunt. Quæ enim angustia tanta, quæ tribulatio tam magna, quæ calamitas tàm acerba, quæ persecutio tàm periculosa, quod tandem mortis genus tàm terribile, quod nos avellere possit à Deo nostro, qui nos dilexit in dilecto suo filio? Etsi enim ad ærumnas quasi nati videamur, & in mundo hoc immundo ac infido, verè vagemur tanquam oviculæ in medio grege luporum; certi tamen sumus ex his omnibus, quæ hactenus audivimus, neq; in cœlo

neque in terra, neq; in mari, neq; in inferno esse quidquam tantæ potentiæ, tantæ fraudis ac malitiæ, quod victoriam nobis eripere, aut à gratia ac favore Dei, quem Christus Jesus merito suo nobis adquisivit, nos avellere possit.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Quomodo scribit Apostolus, passiones hujus seculi non esse condignas ad futuram gloriam v.18. contrarium videtur colligi posse ex dicto Iobi, qui calamitates suas irâ divinâ graviores facit: quod si verum est, videntur sanè aliquam habere proportionem ad æternam gloriam. Verba Iobi sic habent: Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc gravior appareret Iob.6,2. & alibi D. Paulus vitam æternam cornam justitiæ vocat nobis reddendam à justo judice. 2. Tim. 4. ergò justum atque dignum est, patientibus

aliquid

aliquid pro Christo tribuere gloriam tanquam mercedem?

Resp. Pererius disp. 10. in hoc cap. num. 46. ait: opera bona, secundùm dignitatem hominis justi considerata, habere rationem meriti de condigno, hoc est, vitâ æterna esse digna, quia persona justa est, quæ ea præstat; sed in collatione ad vitam æternam, neq; quo ad durationem, neq; quoad sensum, neque quoad qualitatem, neque quoad quantitatem, dignitatem aliquam habere. Locùm Jobi autem exponit de comparatione pœnarum temporalium pro peccatis remissis luendarum, cùm passionibus hujus temporis; inter quas proportionem agnoscit Bellarmin. lib. 2. de indul. cap. 9. sed omnia hæc falsa sunt. Non enim confert Apostolus personam, sed opera & passiones personæ cum gloria æterna: & inter hæc duo nullam dignitatem aut proportionem agnoscit: ergò neq; opera neq; passiones sanctorum sunt meritoria. Et ratio in promtu est. Sunt enim passiones & opera in tempore facta in se finita & imperfecta: nulla autem est proportio inter temporale & æternum, inter vix incoatum & absolutè perfectum, inter finitum & infinitum. Personam alioquin hominis justi dignam agnoscimus vita æterna, quia DEUS propter CHRISTUM, in quem credit, eam gratia sua dignatus est, cùm aliàs æterna damnatione dignus esset. Nominatur autem vita æterna corona, quia non nisi strenuè contra carnem pugnanti & vincenti datur 2. Tim. 2, 5. Corona justitiæ vocatur, non quòd qui pugnat & vincit eam mereatur, sed quia Christus eam promeruit, & Deus gratuitò promisit: promissum igitur ut reddat, justum est. Job loco allegato non instituit collationem inter calamitates & pœnas suorum peccatorum temporales, quasi his graviores

Num sit proportio calamitatũ temporaliũ ad gloriam vitæ æternæ.

 essent:

essent: sed confert infortunium & ærumnas suas cum arena maris. Ita enim habet Hebræus textus: Vtinam appenderetur ira mea, hoc est, adflictio, quam peccatis merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris gravior esset. Infortunium autem suum peccatorum magnitudini anteferre non potuit, quia peccata pœnam merentur æternam. Nulla igitur proportio est inter passiones hujus seculi & inter æternam gloriam, cùm nulla sit proportio inter passiones temporales, & peccata, quibus æterna debetur maledictio, si ad rigorem justitiæ divinæ examinarentur.

QUÆSTIO II.

Scribit Apostolus Paulus v. 20. Deum subjecisse creaturam vanitati: Atqui Moses testatur, Deum omnia condidisse valdè bona Genes. 1. 31?

Resp. Vanitas & corruptio creaturarum non est eis naturalis: neque enim ad hoc à Deo sunt conditæ: sed Deus fecit eas in statu perfecto, in omnibus accidentibus & proprietatibus perfectis, in usum, non in abusum aut detrimentum hominis. Per accidens autem accessit illa vanitas, post lapsum hominis, qui hominem ipsum fecit vanitatem ipsam, multis morbis & calamitatibus, & tandem ipsi morti obnoxium. Ex peccato itaque est, quòd sidera cœlestia influentijs suis nocent homini & terræ nascentibus; quòd aeris tempestas affligit corpora hominum; quòd terra non dat fructus ex voto hominum; quòd multa sunt venenata & mortifera, quæ naturâ esse poterant salutaria. Deus autem vanitati huic subjecisse eas dicitur, non ratione creationis, sed ordinationis illius, quòd

quod Deus vanitatem illam creaturarum in bonum finem adhibuit, ut nimirum peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando averti a peccatis & ad Dei præcepta converti, ut Augustinus loquitur lib. 1. de Gen: con. Manich. cap. 13.

QUÆSTIO III.

Numquid Angeli etiam subjecti sunt vanitati, siquidem Apostolus indefinitè scribit, creaturam esse subjectam v. 20. & omnem creaturam ingemiscere v. 22. Atqui Angeli sunt beatissimi & impassibiles Spiritus: ergò neq; vanitatem neq; corruptionem pati, neq; ingemiscere, neq; dolere possunt?

Resp. Negat Augustinus, creaturæ appellationem hoc in loco etiam angelos complecti lib: 83. quæst. 67. Chrysostomus, Theophylactus & Ambrosius, illud vocabulum de omni creatura irrationali & corporali exponunt. Sed nihil obstat, quo minus etiam de Angelis bonis intelligamus ea, quæ Apostolus bis de creatura prædicat. De bonis, inquam, Angelis: mali enim nullam spem liberationis habent, quæ creaturis hic promittitur. Angeli itaq; boni vanitati subjecti dicuntur & corruptioni, non sua sed hominum. Ipsi enim in se & natura sua sunt incorruptibiles Spiritus: serviunt autem vanitati hominũ, partim, quia ad negotia hujus seculi, quæ tandẽ evanescũt atq; desinunt, eaq; sæpè vilia & abjecta, servitia sua conferunt, ut li-

Angeli boni quomodo dicantur subjecti vanitati.

ut liquet ex historia Tobiæ; partim quia etiam in rebus divinis, serviunt Electis multiplici vanitate adhuc corruptis: A quâ tandem vanitate in restitutione omnium liberabuntur, ubi mundus cum tota sua vanitate peribit, & gaudium beatorum perfectum erit. Ingemiscere verò & dolere dicuntur suo quodam modo. Etsi enim humanos affectus humano modo eis non tribuimus: attamen cum lætari dicantur super peccatoribus pœnitentiam agentibus, dubium non est, quin vicissim suo modo doleant ob corruptum hominum statum; sensuq; miseriæ nostræ adficiantur, ac gloriam filiorum Dei seriò exoptent, per quam ruinam suam sciunt esse reparandam. Neq; verò hoc quidquam derogat ipsorum beatitudini. Concedimus enim perfectius fore gaudium angelorum post consummationem seculi, quàm nunc est, siquidem ibi nullum amplius occurret impedimentum, quando plenitudo sanctorum, quos anxiè expectarunt, intravit; quemadmodum & de animabus piorum scriptum est, quòd quidem sint in requie post mortem, attamen ingemiscant ob defectum corporum suorum, donec conservi ac fratres eorum compleantur Apocal. 6, 11.

QUÆSTIO IV.

Communis nostrarum Ecclesiarum est sententia, Mundum interiturum non secundùm qualitates tantùm, sed secundùm substantiam, quemadmodum alibi quam plurimis scripturæ locis probatur: videtur autem obstare, quòd Apostolus hoc loco scribit,

creatu

creaturam expectare liberationem filiorum Dei v. 19. & liberari à servitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorum Dei v. 22. Videtur ergo mundo tribuere non substantiæ abolitionem, sed liberationem duntaxat à corruptione, hoc est, innovationem aliquam qualitatum & actionum?

Resp. Objicit hæc Pererius *disp.* 14. in hoc caput *num*: 74. cujus verba adscribo: *Quomodo, inquit, expectat creatura gloriam futuram Dei, tanquam ejus particeps futura, si ante revelationem ejus gloriæ est ipsa secundùm substantiam interitura? quomodo liberabitur ipsa à servitute corruptionis, & renovabitur ad similitudinem renovationis & glorificationis filiorum Dei, si antequam istud eveniat, aut eo ipso tempore quo eveniet, secundùm substantiam interitura est?* Hæc ille, Sed non difficilis est responsio. Exspectare dicitur Creatura gloriam filiorum Dei, non quasi ipsa particeps ejus sit futura; hoc enim de inanimatis & irrationalibus dicere absurdum est; sed quia sub initium istius gloriæ vanitas creaturarum finem habebit, per totalem earum destructionem, quam scriptura passim inculcat Psal. 102, 27. Hebr. 1, 11. 2. Petr. 3, 10. Apocal. 20, 11. &c. Exspectare itaq; dicitur per προσωποποιΐαν tempus illud, quo gloria illa filiorum Dei adfutura est, hoc est, consummationem seculi, cujus hic fit descriptio. Deinde falsa est interpretatio textus, quasi idem sit, in libertatem filiorum DEI, ac, ad similitudinem filiorum Dei. Non enim instituitur similitudo, sed comparatio, hoc sensu: Sicuti certa est liberatio filiorum Dei à sua vanitate, cui

Quomodo creatura dicatur expectare gloriã filiorum Dei.

 subja-

subjacent in hoc immundo mundo: ita certa instat liberatio creaturarum à sua vanitate, licèt in mundo liberationis magna sit utrobiq; dissimilitudo. Potest enim creatura liberari, etiam quando secundùm substantiam interit; non entis enim nullus est abusus, nulla ἀταξία vel corruptio; licèt tum amplius non sit, quando perfecta libertas filiorum Dei incipiet. Ipsam quæstionem de interitu mundi prolixiùs tractavi in comment. super Psal. 202. quò remitto Lectorem.

QUÆSTIO V.

Spe salvari dicimur v. 24. numquid ergò non sola fide?

Resp. Existimat Pererius disp. 16. in hoc caput num. 82, sententiam illam Apostoli, spe salvi facti sumus, valere plurimum ad demoliendam doctrinam nostram, quâ adserimus, solam fidem esse caussam justificationis nostræ. Et Bellarminus libr. 1. de Iustif. cap. 13. spem obtinendæ veniæ vocat dispositionem ad justitiam & remissionem peccatorum, unde concludit, solam fidem justificare non posse. Sed frustra committunt Apostolum cum se ipso, qui sibi contrarius nūquam est, licèt hic dicat, spe salvi facti sumus, alibi verò, non nisi fide justificamur Gal. 2. & arbitramur hominem per fidem justificari Rom: 3. &c. Primùm *enim certum est, Apostolum in cardine hujus controversiæ, quando ex professo docet de caussis nostræ justificationis & salutis, non uti illa phrasi, spe salvi facti sumus, sed extra illam controversiam; quæ etiam ratio est, cur non pro illa, sed pro hac, Fide justificamur, pugnemus.* Deinde *cùm fide justificari dicimur,*

Spe salvamur & Fide justificamur, non pugnant hæc duo.

de in

de instrumento apprehendente quæstio est, non de caussa meritoria: certum autem est, non spem, sed fidem esse instrumenmentum illud, juxta dictum Iohannis: quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen ejus Iohan. 1, 12. ergo credentes sunt, qui filium Dei recipiunt. Tertiò *spei tribuitur non tam ipsa salus, quàm salutis effectus ac ἐνέργεια, seu plena salutis possessio, quò inprimis hoc loco respexit Apostolus noster. Fidei autem tribuitur ipsa salus & justitia, prout eam in hac quoq; vita obtinemus.* Deniq; *notandum est, spem in scriptura sæpè significare alteram & quidem præcipuam fidei partem, Fiduciam, quò referenda sunt omnia ea loca, quæ Bellarminus laudat, ex Psalm 36. Salvabunt eos, quia speraverunt in eo. ex Psalm. 90. Quoniam in me speravit, liberabo eum. ex Prov. 28. qui sperat in Domino, salvabitur. Quibus adde & alia, exempli gratia, Joh. 5, 45. Matth. 12, 12. Act. 24, 25. Col. 1, 23. & quoties in Psalmis dicuntur sancti sperare in Domino, ubi sperare idem est ac confidere. Neq; desunt, qui in hoc ipso Apostoli nostri loco; spe salvi facti sumus, per spem fiduciam intelligunt.*

QUÆSTIO VI.

Tribuuntur Spiritui sancto gemitus & postulatio seu supplicatio pro nobis vers. 26. numquid hoc derogat ejus divinitati, quemadmodum volunt Pneumatomachi?

Resp. Regula orthodoxæ Antiquitatis est de Filio Dei: Missio & obedientia non tollit æqualitatem potentiæ. Eodem modo de Spiritu Sancto dicere possumus: Officij differentia

in personis Trinitatis non tollit unitatem essentiæ. Quemadmodum itaq; filio Dei nihil decedit, quòd pro nobis intercedere dicitur, infra v. 34. ita neq; Spiritus sancti divinitas imminuitur, cùm postulare & gemitus suos pro nobis interponere dicitur. Quæ tamen non pueriliter ac crasso modo intelligenda sunt, quasi suspirare, ac ad pedes Patris aut Filij æterni prostratus orare fingatur: sed hæc de Spiritu Dei effectivè prædicantur. Tunc enim Spiritus sanctus orare dicitur, quando nos orare facit, tunc ingemiscit pro nobis, quando pios gemitus & suspiria ad Deum nobis immittit, preces in nobis serias ac ardentes reddit, fiduciamq; in animis nostris de exauditione infallibili accendit. In hunc finem emisit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, ut clamaret in nobis, Abba Pater Galat. 4. Proinde stabilitur potiùs hoc loco, quàm infringitur divinitas Spiritus sancti. Nemo enim docere nos potest, quomodo sit orandum, nemo suspiria pia accendere potest in animis nostris, quàm Deus ipse, qui cor hominis creavit.

Spiritus S. quomodo dicatur orare pro nobis.

QUÆSTIO VII.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum v. 28. numquid etiam peccata, quæ tamen non nisi morbum, mortem ac omnia incommoda inferunt?

Resp. Generalis est assertio Paulina, πάντα συνεργεῖ, omnia conducunt diligentibus Deum. Hoc etiam de peccatis fidelium verum est: quibus prosunt non quidem ratione effectus per se, qui non nisi calamitas ac ipsa deniq; mors est; sed ratione finis & eventus, ad quem ea Deus pro sua sapientia reducit. Deducunt enim eos ad agnitionem sui, reddunt humiliores atq;

cautio-

cautiores, ardentiores ad preces, & diligentiores in mandatis officij sui partibus: adducunt eos ad considerationem gratiæ divinæ, quam quotidiè largitur peccatoribus, non tantùm erigendo ipsos, sed & ignoscendo. In quam sententiam D. Bernhardus scripsit in serm. de fallacia vitæ hum: Annon ei peccata ipsa cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, sollicitior, timoratior & cautior invenitur? Et hunc in finem Deus fideles labi permittit: siquidem varios habet modos suos in studio pietatis exercendi. Quo pacto non peccata commendantur, aut ad illa homines instigantur; non enim facienda sunt mala, ut eveniat bonum: sed Dei sapientia ac bonitas prædicatur, qui rem in sese malam fidelibus convertere potest in finem bonum.

QVAESTIO IIX.

Quando dicimus, præscientiam Dei includere prævisionem fidei: numquid Pelagianismum sapimus, ut Calviniani obijciunt, aut contra Apostolum docemus, qui non dicit, quos præscivit perseveranter credituros quemadmodum Hoffmanus in quodam scripto argutatur?

Vide Paræum in hoc cap. pag. 759.

Hoffm. in scripto de quæst. Nam fides prævisa sit caussa electionis, pag. 3.

Resp. Vtrumque præter meritum doctrinæ nostræ adfingitur. Et ut per ὕστερον πρότερον de singulis agam: quòd textui Paulino per hanc doctrinam nihil affingatur, inde patet 1. quòd Apostolus non loquitur de generali præscientia, quæ etiam ad non credentes extenditur, sed de

 speciali

speciali eorum, qui in Christo sunt, qui Deum diligunt, qui glorificantur, quæ non nisi fidelium est: hi enim tantùm peculium sunt Domini, de quibus Paulus 2. Tim. 2. Novit Dominus, qui sint sui. 2. adversarius ipse non agnoscit universalem electionem omnium hominum, sive credant, sive non credant: ergo neq; præscientia Electorum est promiscua: non autem est infidelium, hos enim Dominus non novit, Matth. 7. ergò necessariò sequitur esse tantum fidelium. 3. absque fide nemo justificabitur vel glorificabitur: ergò absq; fide ad justificationem atq; gloriam nemo ab æterno fuit præcognitus. 4. Apostolus sibiipsi non est contrarius: alibi autem cùm de electione loquitur, expressè fidem inclusit, non modo implicitè, quando nos electos scribit in Christo Ephe. 1. in Christo autem nemo absque fide est: verùm etiam explicitè 2. Thes. 2, 11. elegit nos Deus ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus & FIDE VERITATIS; cum quo consentit D. Jacobus: nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se? Jacob. 2, 5.

[*His adde: Fides dicitur fides electorum Dei Tit. 1, 1. Deus electos adoptat. Deus absq; fide non salvat: non esset justus, si absq; fide eligeret, quia negligeretur satis factio pro peccatis*).

Pelagianorum error in articulo de prædestinatione.

Pelagianismum quod attinet, constat utiq; qui fuerint errores Pelagianorum in hoc doctrinæ capite, quòd nimirum judicarunt fidem in humani arbitrij viribus esse positam, quodq; fidei tribuebant æternæ vitæ meritum, qui errores in concilio Aransicano fuerunt damnati circa tempora Leonis I. Papæ, & non nisi per insignem calumniam nostris Ecclesijs affricantur. Dicimus enim cum Apostolo, fidem esse donum Dei, qui accendit eam in cordibus nostris per verbum Rom. 10.

idcir-

idcircò non est omnium; 2. Thess. 3. 2. quia non omnes audiunt verbum, sed resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem 2. Tim. 3. 8. Et quemadmodum non PROPTER, sed PER fidem Eph. 2. vel ex fide Rom. 1. justificari dicimur; ita & docemus cum Apostolo, non propter fidem, sed in fide veritatis nos electos esse, ita ut fides non sit meritum, quo moveatur Deus ad eligendum nos, sed medium Electionis, Iustificationis ac salutis nostræ, quia apprehendit & intuetur eum, in quo electi, justificati ac salvati sumus. Et quanquam fides ab æternis non erat, siquidem ne quidem fideles adhuc erant; Deus tamen, cui omnia sunt præsentissima, ab omni æternitate in proposito prædestinationis decreto respectũ intuitumq; habuit ad fidem in tempore ipso actu subsecuturam, ita ut quemadmodum per fidem in Christũ homines justificat & salvat in tempore; ita per fidem in Christum homines ad Iustitiam & salutem prædestinarit ab æterno: oportet enim decretum & executionem decreti sibi invicem correspondere, Hinc est illud Augustini serm. 7. de verb. Domini: Quid est, quòd dicit; reliqui mihi 7000, ego illos elegi; quia vidi mentes eorum de me præsumentes, non de se nec de Baal. Et Fulgentij lib. 1. ad Monimum: prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio mansuros. Cavit ergo sponte sua Pelagianismus ex orthodoxa doctrina nostra: quia neq; fidem agnoscimus, ut opus nostrum ex arbitrij humani viribus elicitum, sed ut opus Dei in nobis accensum; neq; fidem aut fidei intuitum dicimus caussam meritoriam Electionis aut salutis nostræ, sed solum Christum, cujus meritum absq; apprehensione fidei nobis otiosum est: in quam sententiam vide multa præclara apud Augustinum lib. 83. quæstionum quæst. 68.

Fides quomodo ingrediatur decretum Electionis.

QVAE-

QUÆSTIO IX.

Si præscientia & prædestinatio includit fidem, sequitur Fidem esse caussam prædestinationis. Atqui fides est unus ex præcipuis effectibus prædestinationis, inquit Pererius, & prolixè probare conatur disp. 22. in hoc cap. cum quo consentit Paræus in cap. 9. dubio 6. Ergo fides non est caussa prædestinationis.

Fides: an sit caussa Electionis.

Resp. Caussa electionis propriè sic dicta, & quidem meritoria, fides non est, sed Christus cum universo suo merito: quod cùm absq; fide nobis inutile sit, non potuit non Deus in prædestinatione respiciendo ad Christum, in quo electi sumus, etiam respicere ad fidem. Destinguendum itaq; est in proposito Electionis inter personas eligendas & τάξιν illam mediorum, quam Deus in electione respexit. Respectu τάξεως Fides utiq; prædestinatione, imò & vocatione posterior est: pertinet enim ad media, quibus Deus in tempore procurat hominum salutem: sed ratione personarum, quas Deus ante omnia secula elegit, ingreditur negotium Electionis tanquam caussa instrumentalis, qua homo in tempore meritum Christi apprehendit, quod Deum ab omni æternitate latere non potuit. Pendet igitur fides ab electione, non propriè loquendo, ut effectus à sua caussa, sed ut determinatio à suo determinato: electio enim fidem non efficit, sed ut partem ordinis includit. Vicissim pendet Electio à fide, non ut à caussa impulsiva aut meritoria, sed tantùm ratione respectiva & conditionata; quia absq; vera caussa meritoria Electionis non est fides, hoc est, non

non est absq; Christo, quem fides amplectitur. Quæ fundamenta si probè observentur, concidunt ea omnia, quæ prolixè in contrariam sententiam disputat Paræus dub. 6. capitis noni p. 896. seqq.

QUÆSTIO X.

Quomodo convenit Apostolo Paulo cum CHRISTO: CHRISTVS dicit, multi vocati, pauci Electi Matth. 22 & 20. Apostolus dicit: Quos prædestinavit, hoc & vocavit. Ergone tot sunt prædestinati seu electi, quot sunt vocati?

Resp. Vocati sunt in quintuplici potissimum differentia. 1. Sunt, qui vocantur, sed non obtemperant: & hi dicuntur κεκλημένοι *Matth. 22. Luc. 14. quos quidem Deus serio vocavit, & venire voluit, non tantùm voluntate signi, sed & beneplaciti: ideò extendit manum suam toto die ad populum rebellem Esa. 65. & pœnas minatur renuentibus Prov. 1. Quòd ergò non veniunt, fit* παρὰ πρόθεσιν *Dei: unde colligimus & ipsos* κατὰ πρόθεσιν *vocatos esse. 2. Quidam vocati comparent in cœtu Ecclesiæ, & dicuntur non tantùm* κεκλημένοι *Hebr. 9, 15. sed &* κλητοὶ *Matth. 20, 22. 3. Inter hos, qui veniunt, quidam non seriò, sed simulatè & hypocritico animo comparent, absq; veste nuptiali: apud quos itidem vocatio eventum suum, hominum culpâ* παρὰ πρόθεσιν *Dei non adsequitur. 4. Sunt alij, qui divinæ vocationis fiunt participes, hoc est, renascuntur per verbum, accipiunt Spiritum Sanctum, & aliquandiu parent divinæ vocationi, sed iterum deficiunt, neq; initium fidei usq; ad finem retinent; hi quoq; contra Dei propositum ac voluntа-*

Vocati sunt quinq; generum.

Heb. 3. 24.

luntatem propria sua culpâ, gratuita Dei vocatione excidunt. 5. Deniq; sunt, qui non tantùm vocantur, sed & Spiritui sancto obtemperant, & vocationem suam firmam faciunt usq; ad finem vitæ. De his postremis intelligenda est vocatio, quam D. Paulus cum prædestinatione hîc coniungit: hi enim verè sunt vocati κατὰ πρόθεσιν, & finem προθέσεως, gloriam nimirum & salutem æternam tandem consequuntur. De cæteris omnibus, in quibus vocatio Dei finem non attingit, Christus loquitur: quorum sanè multi sunt, & quidem quatuor classibus distincti, uti vidimus: quorum respectu, electorum in postrema vocatorum classe, vix exiguus est numerus.

2. Pet. 10.

QVAESTIO XI.

Cùm electi certi sint, quòd nulla ratione à caritate Dei separari queant, dicente Apostolo nostro v. 38. numquid ergo non possunt in peccata mortalia incidere, iisque gratiam Dei semel acceptam perdere?

Resp. Rectissimè probatur ex scriptura contra Spiritum Calvinianum, electos etiam peccatis contra conscientiam fidem amittere, & gratia DEI excidere posse: quemadmodum docent exempla Davidis, Hiobi, Aaronis, Adami & aliorum, quos sanè electos Dei filios fuisse nemo negaverit, & tamen adulterio, homicidio, blasphemia, idololatria, superbia & contumaciâ, gravissimè peccarunt, seq; gratia Dei indignos reddiderunt. Idem etiam constat ex gravissimis exhortationibus Apostoli, quibus electos & sanctos suos hortatur; videant, ne cadant, 1. Cor. 10. considerent seipsos, ne tententur Gal. 6. ne amittant fiduciam suam Heb. 12. ne in vacuum

An electi excidere posśint gratia Dei?

cuum accipiant gratiam Dei 2. Cor. 6. ut cum timore & tremore salutem suam operentur Phil. 2. Imò docet hoc quotidiana fidelium & electorum pœnitentia, qua nihil aliud faciunt, quàm quòd ad gratiam Dei redeunt: quod facere non possent, nisi eam peccando amisissent. (est enim pœnitentia nihil aliud, quàm reditus ad amissam Dei gratiam.) Hoc tamen certum est, electos non finaliter in peccatis, & extra gratiam Dei manere, sed per pœnitentiam subinde reverti: quod si non facerent, electi nunquam fuissent Prov. 20. Sciendum itaq; est, vocabulum electionis esse ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν, vocabulum æquivocum: Usurpatur enim etiam de ijs, sed minus propriè, qui ad tempus saltem credunt, qui sanè tempore fidei Electi apellari possunt. Habent enim ea, quæ habere solent in tempore ij, qui salvantur, nimirum remißionem peccatorum, gratiam Dei, Spiritum sanctum, fidem &c. sed hæc omnia tandem amittunt. Propriè autem ij saltem appellandi sunt electi, qui perseverant in illis omnibus, & finem fidei, hoc est, salutem animarum & gloriam æternam consequuntur, secundùm illud Christi Iohan. 8. Si vos MANSERITIS in sermone meo, VERE discipuli mei eritis.

Electionis vocabulum æquivocum.

QUÆSTIO XII.

Numquid homo de Electione & salute sua infallibiliter certus esse potest, cùm tamen scriptum sit alibi: Nescit homo, utrum odio an amore dignus sit Eccl. 9. quem locum inprimis urget Pererius, & testimonijs Bernhardi & Augustini confirmat, disp. 28. in hoc cap. num. 134?

Resp. De πληροφορίᾳ fidei contra dubitationem Papisticam sæpè hactenus audivimus: neq; eam infringere aut labefactare potest locus Ecclesiastæ ; is enim de gratia Dei non jubet dubitare: sed hoc saltem indicare vult, ex eventu rerum vel secundo vel adverso, hominem non posse colligere, an à Deo diligatur. Eadem enim eveniunt justo & impio, ut ex toto contextu patet. Bernhardus autem & Augustinus sententias suas securitati carnali opposuerunt, & ad studium pietatis exhortati sunt, quoniam in nostris viribus non sit perseverare in bono. In hunc enim sensum scripsit Bernhardus ser. 1. septuag. Propter hoc semper soliciti in timore ac tremore humiliemur sub potenti manu Dei: quoniā quales sumus, vel ex parte nosse possumus: quales autem futuri sumus, id nosse penitùs nobis impossibile. Impossibile nimirum est, si nostris cogitationibus indulgeamus. Nam si hæremus in nobis, nil nisi imbecillitas, & Diaboli malitia, multaq; eorum, qui ceciderunt, tristia exempla apparent, quæ nos nobis relictos non tantùm ad dubitationem, sed & ad desperationem adigent. Sed quia perseverantia non est nostrum, sed Dei opus, avertendus est animus à nobis ipsis ad promissionem & voluntatem Dei, qui neminem tentare vult ultra vires, sed bonum opus, quod incepit in nobis, perficere usq; ad diem Domini nostri Iesu Christi Phil. 1, 6. In hac Dei promissione ac voluntate perseverantia nostra firmum habere potest fundamentum, modò accedat conditio in promissione ac voluntate divina inclusa; nimirum, ut in peccatis non maneamus, sed per pœnitentiam resurgamus, fidemq; nostram exercitiis pietatis quotidiè augeamus. Pœnitentibus enim promissum est donum perseverantiæ: & hi, vi illius promissionis, de perseverantia sua certi esse possunt: impœnitentibus autem spes omnis perseverantiæ præcisa est, juxta illud: si se averterit justus à sua justi-

Perseverantiæ nostræ fundamentum.

justitia, morietur Ezech.33. & iterum: si secundùm carnem vixeritis, moriemini Rom.8,13. Et hæc sunt signa illa, de quibus Bernhardus loco dicto; data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit, eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Duo autem habent inprimis Papicolæ, quæ contra classicum hunc locum objiciunt, Certus sum, quòd neq; mors, neq; vita, &c. me separare possit à caritate Dei &c. Primum est, Apostolum loqui de qualicunq; existimatione, non de certitudine fidei, hoc enim notare verbum πέπεισμαι. Alterum est, Apostolum Paulum certitudinem hanc ex peculiari revelatione habuisse. Utrumq; objectum reperitur apud Pererium disp.28.n.137.seqq. Bellarminum lib. 3. de justif. cap,2. &c. Ad primum respondeo, verbum πέπεισμαι aliquando probabilem opinionem notare, concedo, non autem semper: sed de vera hujus vocis significatione judicandum est ex objectis, de quibus usurpatur. De proximo usurpata hæc vox, probabilem notat persuasionem, quæ non est fidei, sed caritatis; quemadmodum infrà cap.15. de Romanis scribit Apostolus: certus sum, fratres mei, & ego ipse de vobis, quia pleni estis dilectione. De proximi fide enim colligimus ex effectis, quæ cùm interdum fallere possint, persuasionem saltem faciunt probabilem. De nobis ipsis verò usurpata, firmissimam notat certitudinem, quæ vocatur certitudo fidei: ibi enim non innititur fundamento lubrico & fallibili, sed firmissimo, hoc est, promissione Evangelij & testimonio Spiritus sancti. Ad alterum respondeo: falsum esse, quòd non nisi ex peculiari revelatione haberi possit infallibilis certitudo salutis. 1. quia Paulus luculenter ostendit, unde habeat hanc animi fiduciam, nempe non ex singulari revelatione, sed ex Evangelij doctrina, de morte, resurrectione Christi, de sessione ejus ad dexteram Patris

An Apostolus loquatur de certitudine fidei? certus sum, quod neq; mors &c.

πέπεισμαι.

tris, ejusq; pro nobis intercessione: inde enim concludit, se certum esse de perseverantia in gratia Dei. 2. quia hæc beneficia Christi non solùm Paulum concernunt, sed alios omnes; ideò quilibet fidelium inde fidei suæ certitudinem colligere potest: scit enim Christum adhuc intercedere pro omnibus, qui per ministerium Apostolorum in ipsum crediturі sunt Joh. 17. 3. Paulus ipse expressè testatur, gratiam sibi exhibitam, non propter se tantùm, sed ut esset exemplum his, qui crediruri essent 1. Tim. 1. ergò ad exemplum Pauli, quilibet de sua salute certus esse potest. 4. frustrà fieret applicatio gratiæ ad singulos in sacramentis, si nulla gratiæ certitudo esset in ipsis. 5. frustranea etiam esset obsignatio Spiritus Sancti in cordibus ipsorum. Quæ omnia evincunt, non demùm peculiarem revelationem expectandam esse de salute nostra, sed illam in promissione Evangelij & testificatione Spiritus sancti satis superq; fundatam esse.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Crux & miseria hujus vitæ est quasi militare signum verorum Christianorum, quod passim ubiq; scriptura testatur Matth. 10, 38. Luc. 9, 24. 2. Tim. 3, 12. 1. Petr. 4, 17. &c. Ubi tamen hoc inprimis solatium succurrit, quòd Christũ Dei filium habemus fortunæ nostræ socium, cui (ut Apostolus noster loquitur) compatimur: quiq; ita nobis in eundem modum legavit regnum cœlorum, quemadmodum sibi legavit Pater, ut quemadmodum ipse per passionem ingressus est in gloriam Luc. 24, 26. ita & nos per multas tribulationes ingrediaur in regnum cœlorum Act 14, 21. nam nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria, ait Cyprianus serm. 4. de immort.*

2. *Affli-*

2. *Afflictiones piorum non sunt meritoriæ aut satis factoriæ, sicut disputatur in Papatu: nulla enim est proportio inter illas & subsecuturam vitæ æternæ gloriam, ut Apostolus hic testatur v.18. ubi meritum condigni, quod vocant, expressa negativa tollit, quò refer locum 2. Cor.4,17. Ideò non* propter *sed* per *tribulationes ingredi dicimur in gloriam, ubi non causa ingressus notatur, sed modus introductionis.*

3. *Maxima calamitas peccatum subsecuta est, siquidem tota rerum natura, quæ nihil peccavit, subjecta est destructioni, nostra culpâ. Vnde colligimus, creaturas vanitati subjectas non esse à malo Deo quemadmodum fingebant Manichæi, sed vanitas creaturarum est à peccato, quod per malitiam Satanæ in naturam ingressum est.*

4. *Anomalia naturæ & rerum naturalium nos ad seriam pœnitentiam excitet, & de extremo judicio certificet, ut quòd nova apparent in cœlo sidera, quod anni tempestates mutantur præter naturæ ordinem, quod terra spem colonorum fallit &c. Promisit enim Deus pactum perpetuum Genes.8,22. cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox & dies non requiescent: quòd si ergo immutatur iste ordo, quid aliud est, quàm severum indicium iræ Dei adversus ingravescentia delicta, & appropinquantis consummationis seculi, quemadmodum talia prognostica Christus ipse recensuit Luc. 21.*

5. *Gemitus Ecclesiæ propter tot scandala in doctrina & moribus non sunt de nihilo. Vt enim non absq; dolore piorum: ita non absq; spe certissimæ liberationis fiunt, de quibus gemitibus legatur Esa.33,7.*

6. *Etsi Deus solem suum oriri sinit super bonos & malos, hoc est, piis & impiis usum creaturarum suarum concedit: attamen vel ipsæ creaturæ accusabunt eos, qui eis temerè abutuntur: quæ accusatio certo quodã modo fit, nobis quidem occulto,*

Deo

Deo autem optimè noto, id quod omnium rerum permutatio in pejus abundè testatur.

7. Mundus non est æternus: exspectat enim liberationem à corruptione sua, quæ non nisi per ultimam rerum omnium destructionem futura est. Vanum itaq; est, quod censuit præter Aristotelem & alios, autor libri de incorruptibilitate mundi (qui vulgo putatur Philo esse) mundum ab eo statu, in quo nunc est, vel in meliorem vel in deteriorem non immutandum esse.

8. Providentiam Dei stabilit, quòd dicitur, Deum subjecisse creaturam vanitati: ergo non liberè aut temerè fertur natura: multò minùs aliquid in rebus voluntarijs casu fiet, sed providente Deo, qui sapientia sua ab initio cuncta gubernat Sap. 14, 3.

9. Sancti hac in vita non sunt perfecti, ne quidem Apostolis exceptis: quia primitias Spiritus saltem acceperunt, hoc est, initium donorum divinorum, quorum perfectio demum in altero subsequetur seculo. Oportet enim discrimen esse inter ipsos & Christum, qui Spiritum accepit non secundùm mensuram Johan. 3. & ex cujus plenitudine acceperunt gratiam pro gratia Iohan. 1. quiq; Spiritu sancto unctus est præ consortibus suis Psal. 45.

10. Scholæ afflictionum sunt reverà πηγαὶ τῶν καλῶν: *parant enim in nobis famem & sitim verorum & æternorum bonorum. Nam desiderant sancti redemtionem corporis & revelationem æternæ gloriæ. Unde illud Apostoli Pauli: si in hac vita tantùm speramus in Christum, miserabiliores sumus omnibus hominibus 1. Cor. 15, 19.*

11. Spes est filia fidei: nam qui rem promissam certò credit, is quoq; sperat futuram: & hac ratione si qua incidunt adversa, superat. Nam futurorum spes laborantibus requiem

parit

parit, sicut in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ, inquit Origenes super Exod. homil. 9.

12. Spei filia est patientia. Nam inter spem & rem speratam intercedit carentia rei, quam patienter sufferre oportet unà cum mora ac difficultatibus omnibus, quæ rem speratam impedire possunt.

13. Precatio vera non est opus humanarum virium, sed Spiritus Sancti. Is monstrat res petendas, ut petamus utilia: sæpè enim inepta rogantur Matth. 20. suggerit verba, accendit adfectus pios & attentionem seriam: & sicubi vacillat animus, propter moram exauditionis, ipse robur addit, spem & fiduciam auget, instare jubet, & sic adjuvat infirmitatem nostram: unde spiritus gratiæ & precum appellatur Zach. 12.

14. Scrutari corda proprium Dei est, qui hoc opere ab homine discernitur in 1. Sam. 16. ergo non opus est multiloquio in vera precatione, sed sufficiunt gemitus & suspiria cordis, à Spiritu Sancto excitata; etiam illa novit & exaudit Deus, ut patet exemplo Mosis Exod. 14, 15.

15. Sancti non sunt invocandi, quia non possunt perscrutari corda, nec intelligere vel audire gemitus hominum Esa. 63.

16. Crux & adflictio quanquam piis est molesta, non tamen est perniciosa: inservit enim ipsis ad probationem fidei ac patientiæ, ad castigationem carnis, ad evitanda peccata &c. imò ad agnoscendum Dei erga se favorem, qui quos amat, castigat Prov. 3. Heb. 12. & his modis eis ad bonum conferre dicitur: vicissim impiis non inservit ad bonum, sed est initium æterni mali. Hinc illud Augustini in Psal. 93. Boni laborant, quia flagellantur ut filii: mali exultant, quia damnantur ut alieni.

17. Meritum humanum in rebus salutem nostram concernenti-

nentibus nullum est: quia non secundùm meritum, sed secundùm Dei propositum nobis facta est vocatio ad regnum DEI, quò pertinet insignis locus Apostoli 2. Tim. 1, 9.

18. Electio nostra ad salutem non est absoluta, sed in CHRISTO facta & certis medijs determinata, qualia hic ab Apostolo recensentur, vocatio & justificatio: tandemq; finem suum assequitur, nimirum æternam glorificationem. Quibus medijs eam quoq; Form. Concord. circumscribit fol. 773. Absurdum igitur dogma est, omnes homines ad vitam esse electos, sive credant, sive non credant: adæquè absurdum, ac si diceres, non credentes diligere Deum, justificatos esse, tandemq; glorificari.

19. DEVS speciali sua gratia adest pijs, non tantùm gubernando ipsorum actiones, sed & defendendo eos adversus vim injuriamq; hostium, qui quidem nunquam deerunt pijs, sed & superiores nunquam erunt: quia nomen Domini turris fortissima, ad ipsam currit justus, & exaltabitur Prov. 18, 10.

20. Christus non est adoptivus Dei filius, ut volebant olim Feliciani, sed proprius ejus filius hic vocatur v. 32. hoc est, ex substantia Dei ab æterno genitus.

21. Mors Christi est sufficientissimum pretium redemtionis nostræ: Est enim mors proprij Filij Dei: ergò propter mortem Christi omnia à Deo Patre impetrare possumus, patientiam in ærumnis, præsidium & auxilium in adversis, remissionem peccatorum, Spiritum Sanctum, salutem & vitam æternam. Vnde apparet, quantum habeant donum, qui Christum habent: quanto vicissim careant beneficio, qui Christum abnegant. Christi itaq; agnitio fundamentum est omnis nostræ sapientiæ ac beatitudinis.

22. Finis mortis & resurrectionis Christi, ut & omnis sub-

secut

secutæ gloriæ, non est exemplum duntaxat nostræ imitationis, sed potiùs meritum redemtionis. Nihil enim aliud opponere possumus accusationi Satanæ & Legis, quam Christum, qui pro nobis legi subjectus, & maledictum factus, condemnationem abstulit à nobis, & justitiam peperit.

23. *Christus æternus est Mediator & Sacerdos, qui etiamnum in dextera Patris pro nobis intercedit; quod quomodo fiat, in analysi textus explicatum fuit. Non igitur opus est intercessione sanctorum, quam ob caussam Christus nos non ad sanctos remisit, sed ad se vocavit Matth.11.*

24. *Meritum Christi universale est, nullo homine excepto: quia Deus proprium suum filium tradidit pro OMNIBVS v.32. cum quo consentit scriptura passim alibi Esa.53. Joh.1. Tit.2.1. Joh.2. &c. Figmentum itaq; Calvinianorum est, Christum mortuum esse saltem pro electis.*

25. *Sors piorum in hoc mundo est, quòd sunt persecutionibus obnoxij: idcircò ex Psalmo 44. oves occisionis vocantur v.36. Sunt enim hic in medio luporum, quàm diu vivunt in mundo, qui quod suum est, diligit. Si autem mundus vos odit, scitote, quòd me priorem vobis odio habuit Johan.15, 18. Pertinent ergo persecutiones martyrum etiam ad imaginem Dei, cui conformes fieri dicuntur.*

26. *Victoria tandem in adversis piorum erit: sive tentationes internæ, sive pugnæ ac persecutiones externæ ipsis vim fecerint. Per fidem enim Christo uniti sunt, in quo manere possunt inseparabiliter, modò ijs utantur medijs, quibus fidem augere & conservare possunt: fides enim est victoria, quæ vincit mundum 1. Job. 5, 4.*



Caput IX.

Argumentum & Partitio Capitis.

Tria sequentia Capita non agunt directè vel de æterna prædestinatione salvandorũ, vel de Reprobatione æterna damnatorum: sed de Rejectione temporali Judæorum à gratia privilegioq; Dei, quod habebant præ gentilibus in hoc seculo: & de Receptione gentilium in Dei peculium loco Judæorum. Idq; ex textu facili negotio ostendi potest. Certum enim est, reprobatos ab æterna salute, spem restitutionis non habere; sed quemadmodum Electi certò salvantur, ita & Reprobati certò damnantur. Iam verò Apostolus noster spem habet optimam de Restitutione Judæorum, si non omnium, saltem aliquorum: idcirco reliquias Iudæorum inter vasa misericordiæ numerat, eisq; salutem adjudicat æternam cap. 9, 27. pro salute ipsorum orat cap. 10, 1. operam se dare scribit, ut per ministerium suum, saltem aliquos ex illis salvos faciat cap. 11, 14. ait ipsos in oleam inseri rursus posse, si non manserint in incredulitate cap. 11, 23. & si maximè sint excæcati, cæcitatem tamen illam ex parte factam esse, cap. 11, 25. Israelem salvum fieri v. 26. & misericordiam consequi posse, quemadmodum gentiles eam consecuti fuêre v. 30. Ad hunc ergò scopum fixis oculis videndum est, in vera horum capitum interpretatione, videlicet, Deum Iudæos peculium suum abdicasse, & ab isto privilegio, quod præ gentilibus habuerunt, rejecisse; gentiles verò in ipsorum locum recepisse: cujus consilij divini caussas in his capitibus allegat sufficientissimas, quæ Deum ab omni injustitia & infidelitate liberant. His directè & quasi ex professo pertractatis, inspergit Apostolus doctrinam ad vo-

Verus scopus capitis Noni, Decimi & Vndecimi.

de vocatione gentium, prædestinatione & reprobatione, de Induratione, Ministerio verbi, & similes, quæ ex principalis illius tractationis argumentis, objectionibus & responsionibus emergunt. Ad quam quasi secundariam tractationem ea ἀφορμὴν præbebant, quæ de Judæis in principio capitis hujus dixerat. Ipsi enim contendebant, se esse electum Dei populũ, quia penes se sint externa illa privilegia. Apostolus itaq; refutaturus hanc inanem ostentationem, necessariò ostendere debebat, electionem & salutem ab externis illis privilegijs non dependere; Et quia ipsi tantoperè illis omnibus innitebantur, meritò ipsos rejectos, & gentiles ex mera Dei gratia in locum ipsorum receptos esse, docet. Generalem autem utriusq; tractationis occasionem petijt Apostolus ex ijs, quæ de electis in præcedente capite prædicaverat eximia. Dixerat enim, neminem nos posse separare à dilectione Dei: obijcere poterant Romani: quis ergò Judæos inde separavit, de quorum privilegijs præ gentilibus constat in toto orbe terrarum? Et hic inprimis nodus erat, qui torquebat gentes, & de arce spei fiduciæq; suæ ferè dejiciebat, quòd videbant, populum tam sanctum, cui Deus adeò familiariter conversatus erat, quemq; præ cæteris omnibus tot privilegijs & beneficijs exornaverat, nihilominus à Deo rejectum & quamplurimos ex illis æternùm reprobatos esse: quid ergò certi de dilectione Dei habere possent gentiles, cum Judæis multis modis non conferendi, quam tamen certitudinem ipsis tantopere deprædicaverat in præcedentibus? Hunc nodum non secat gentium Apostolus per investigationem absconditæ cujusdam voluntatis & decreti in Deo: sed solvit per indicationem caussarum, quæ populum Judaicum à Deo fecere alienum. Duæ autem possunt hujus capitis partes constitui.

Connexio hujus capitis cum præcedente.

Partitio capitis Noni.

In prima *ponitur objectio seu quæstio: Quomodo Deus*

potuerit populum Iudaicum reÿcere, quem tot privilegÿs exornaverat; à principio capitis usq; ad v. 6.

In altera *parte respondetur ad quæstionem, solutione eorum, quæ in contrariam partem obÿci poterant: ubi liberrima Dei potestas, & inviolata justitia, artificiosè asseritur & masculè vindicatur.*

PARS PRIMA
TEXTUS.

Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι, (συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου ἐν πνεύματι ἁγίῳ.)

1. Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.

Ὅτι λύπη μοί ἐστι μεγάλη, καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου.

2. Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.

Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα.

3. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati secundum carnem.

Οἵτινές εἰσιν Ἰσραηλῖται· ὧν ἡ υἱοθεσία, καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι καὶ ἡ νομοθεσία, καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι.

4. Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamenta, & legislatio, & obsequium & promissa.

Ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

5. Quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.

ANA-

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

REm magnam & Iudæis (quorum aliqui Romæ etiamnum degebant) odiosam expositurus erat Apostolus: idcircò pro sua prudentia, splendida insinuatione utitur, antequam ad rem ipsam perveniat. Non enim audet dicere, Iudæi à Deo rejecti sunt; sed innuit hoc saltem, & quidem admodum patheticè, cum scribit, malle se anathema esse pro ipsis v. 3. Tripliciter autem Romanis suis se insinuat 1. candoris sui significatione: Ne enim quidquam ex invidia, malevolentia, aut alio quodam erga Judæos adfectu minùs laudabili dixisse videatur, protestatur palàm, & magna cum asseveratione, se ex animi sententia Iudæorum infortunium dolere: Veritatem dico in Christo, inquit v. 1. non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto. Primùm simpliciter verborum suorum veritatem adstruit: veritatem dico, inquit, neq; hoc saltem, sed &, non mentior: non sunt hæc verba ταυτολογίας aut garrulitatis, sed summæ adseverationis τεκμήρια: multi enim vera dicunt, ut ipsis videtur, & tamen verè mentiuntur: multi vicissim mentiri sibi videntur, & tamen vera loquuntur. Apostolus autem se ex deliberata animi sententia loqui ait ea, quæ verissima esse sciat. Deinde, hujus suæ asseverationis testem invocat Christum, conscientiam suam & Spiritū Sanctum, testes sanè omni exceptione majores: ita ut vix adseveratio tàm gravis, tantoq; verborū pondere roborata reperiatur in scriptura. Quid ergo est, quod tanta cum gravitate asseverat Apostolus, Tristitia mihi magna est, inquit, & cōtinuus dolor cordi meo: optabā n. ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis &c. v. 2, 3. Hoc est alterum, quo se Romanis insinuat nimirū συμπαθείας suæ declaratio, quā

non

non tantùm serio animi dolore ostendit, sed & dolorem suum, quem ex ipsorum Rejectione concepit, voto comprobat, quo sibi ipsi Rejectionem imprecatur, si hoc modo posset tot hominum deperditam felicitatem redimere. Est enim ἀνάθεμα separatio à Christo, exclusio ab omni Dei gratia, & sui ipsius summa execratio, Hebræis est חֵרֶם *quam vocem LXX plerumq; reddiderunt per ἀνάθεμα, exempli gratia, Ios. 6, 17, 7, 13. 1. Sam. 15. &c. Sic Pseudo apostoli à Paulo nostro vocantur anathemata Gal. 1, 8. 1. Cor. 16, 22. hòc est, res execrandæ, ac omnibus diris dignæ, quos alibi vocat περικαθάρματα καὶ περιψήματα 1. Cor. 4, 13. 3. Insinuat se honorifica denominatione. Nominat enim eos* fratres suos & cognatos secundum carnem v. 3. *Fratres in scriptura quatuor modis dicuntur.* Fratres dicuntur in scriptura quadrifariam. *1.* naturâ, *quales erant Ismael & Isaac. 2.* affectu: *sic omnes Christiani appellantur fratres, voce Apostolo Paulo usitatissima. 3.* cognatione, *qui ex eadem sunt familia: tales fratres erant Abraham & Loth Gen: 13, 4.* gente, *quemadmodum omnes Iudæi fratres appellantur Deut. 15, 7.*

(Observatio hæc est Hieronymi. Addi autem potest quinta species, de ijs, qui quacunq; societate sunt conjuncti, item sexta eorum, qui sibi quodammodo sunt similes in aliquo tertio, sive lineamentis, sive moribus, ita quilibet amicus frater est 1. Reg. 20. vivit ne frater meus? &c.)

Hoc postremo significatu Paulus Iudæos fratres nominavit, ideo addit secundum carnem; *& sic animum erga ipsos, licèt jam hostes ipsi post conversionem suam facti sint, verè fraternum testificatur, tanquam erga populares suos, ex communi parente Israele descendentes. His modis postquam se insinuasset Apostolus, jam recitat nominatim ea, quibus Iudæi præ gentilibus eminebant, privilegia 1. primum est* υἱοθεσία: quorum est adoptio: *de Israelitis enim dictum erat*

Exod.

Exod. 4,22. filius meus primogenitus Israel. 2. δόξα, gloria: *qua voce intelligit gloriosam Dei manifestationem per miracula, quæ præcipuè in hoc populo vigebant: gentilium enim Magi ea imitari non poterant Exod. 8. velut alijs placet, arcam fœderis, super qua gloriosa Dei præsentia non erat: illa enim κατ' ἐξοχὴν μετωνυμικῶς gloria appellantur 1. Sam. 4, 21.* 3. Testamenta αἱ διαθῆκαι, *rectiùs fœdera: intelligit enim duas Decalogi tabulas manu Dei scriptas, Deut. 10, 2. quæ in arca fœderis asservabantur Deut. 10, 5. 1. Reg. 8, 9. etiam per metonymiam.* 4. νομοθεσία: Legis constitutio: *intelligit leges judiciales, quibus Respublica Hebræorum ex singulari Dei ordinatione constituebatur vocabātur peculiari vocabulo* מִשְׁפָּטִים *judicia, quo vocabulo à decalogo distinguebantur Deut. 5, 1.* 5. λατρεία, cultus: *quo intelligit in specie cultum divinum, & includit haud dubiè leges ceremoniales, quibus omnem Religionis cultum habebant circumscriptum etiam in minimis,* 6. ἐπαγγελίαι promissiones, *quæ numero erant plurimæ, pondere gravissimæ, de rebus corporalibus & spiritualibus. Familiam ducebat inter omnes illa ad Abrahamum facta Gen. 17. Ero Deus tuus & seminis tui post te,* 7. πατέρες, Patres: *intelligit venerandum illud collegium Patriarcharum, quorum nominibus Deus ipse adeò est delectatus, ut titulo suo ea insereret, & Deus Abraham, Isaac, Iacob audire vellet. Exod. 4, 5: 6, 2. & c. 8.* ὁ χριστὸς, *Meßias ille generi humano promissus, ex sanguine Iudæo natus, & illi genti specialiter promissus; unde & Iudæi, licèt Iesum Nezarenum pro Meßia non agnoscerent, communiter tamen Meßiam, filium Davidis nominare solebant Matth. 22, 24.* Et *is sanè cætera privilegia Iudæorum omnia longißimè superabat:* est enim super omnia, *inquit Apostolus: nimirum is ipse,*

 qui o-

qui omnium aliorum Dominus ac creator est, Deus benedictus in secula, licèt juxta adsumtam carnem homo sit ejusdem cum patribus substantiæ. Et hoc tantâ cum adseveratione pronunciat, ut claudat hanc δοξολογίαν usitata particula, Amen, quæ & adseverationis & attentionis nota est. Vsurpatur enim, quando res magni momenti, salutaris, utilis, ac summè necessaria, certa insuper ac indubitata profertur. Privilegÿs omnibus destituebantur jamtum Iudæi, cùm D. Paulus hæc ad Romanos scriberet; id quod conqueritur hoc loco, & caussas indicat in sequentibus.

Paraphrasis hujus partis.

ETsi verò Deus electos gratiâ suâ per nullam vim vel injuriam finaliter excidere permittit: fateri tamen, proh dolor: necessum habemus, ipsum Iudæos, populum sanè sibi electum inter omnes gentes, ab ista quâ fruebantur præeminentia in hoc seculo, deiecisse. Quid enim dicam, carissimi? Credite hoc mihi, cujus testem habeo Deum ipsum in Christo Jesu per Spiritū sanctum, qui scit, quòd non ex invidia aut malevolentia, sed ex singulari συμπαθεία hæc de Iudæis scribo. Doleo ex animi sententia, & vulnera cordis mei sentio, quoties tristissimi istius status recordor: Sumus enim ex eadem gente, tantoq; magis in me ingravescit dolor, quòd illos populares meos nunc, tanquam putrida membra, ab Ecclesia rescissos video, quibus Deus quondam tam familiariter notus erat. Ipsi enim erant olim pars Domini, funiculus hæreditatis ejus Deut, 32, 8. factus erat Deus Israeli pater, & Ephraim erat primogenitus

nitus ejus Ierem. 31, 9. penes ipſos erat miraculo-rum gloria & arca fœderis, ſuper qua requies & maje-ſtas Domini, & in ea duæ tabulæ fœderis: habebant ipſi judicia & ſtatuta ſua à Domino, & omnis cultus divini præſcripta, promiſsiones ipſis factæ erant non modò de terra Chanaan, ſed & de hæreditate bonorum æternorum: inter ipſos erant Patriarchæ & Prophetæ, ſanctiſsimi illi viri Dei, quibus cum Deus ipſe familiariter converſabatur &, quod familiam ducit, ex hac ipſa gente Chriſtus, Deus ille benedictus in ſecula, carnem adſumſit humanam. Gentem igitur illam, tot privilegiorum ornamentis inſignem jam rejectā, & à familiaritate Dei excluſam eſſe, revera doleo.

Quæſtiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Cur ſcribit Apoſtolus Paulus v. 1. veritatem dico in Chriſto: proeſtne veritas etiam dici, quæ non ſit in Chriſto?

Reſp. Quæſtionem hanc proponit Origenes lib. 7. in epiſt. ad Romanos, & reſpondet, veritatem in Chriſto eſſe, ubi & reliquæ ſunt virtutes Chriſti, juſtitia, pax, verbum Dei &c. Eſſe autem veritatem etiam in injuſtitia, qualem de Deo rebusq; divinis interdum loquuntur dæmones & mali homines: quale erat teſtimonium Diaboli de Chriſto Matth 8, 29. & de Apoſtolo Paulo Act. 16. 17. item teſtimonium Caiphæ de morte

Christi Ioh. 11, 50. Hi enim vera dicebant, quæ vel non intelligebant, vel ipsi non credebant. Discrimen hoc aliàs verum est, sed non attenditur hoc loco ab Apostolo nostro, qui non modò Christum, sed & Spiritum Sanctum vocat in testimonium veritatis, quia commendabant eum virtute signorum, quæ faciebant per illum, quemadmodum exponit Ambrosius: ideò & Christi & Spiritus Sancti mentionem facit.

QUÆSTIO II.

Quomodo optare potest Apostolus à Christo separari, hoc enim est anathema fieri, cùm tamen suprà dixerit, se certum esse, quòd suparari non possit à dilectione Dei, quæ est in Christo? cap. 8, 39.

Resp. Verissimum est, quod in hunc locum scripsit Chyrsostomus, homil. 16. in Epistolam ad Romanos: Quia nos procul ab hujusmodi amore Pauli absumus, idcircò ne animi quidem cogitatione hæc dicta ejus comprehendere possumus: Apparet hoc ex diversis hujus loci interpretationibus. D. Hieronymo hæc quæstio proponebatur ab Algasia, ad quam ita respondit Epist. 151. ut illud, opto anathema fieri, tantùm ad corporalem mortem restringeret. Vult Apostolus perire in carne, inquit, ut alij salvarentur in Spiritu; vult sanguinem suum fundere, ut multorum animæ conserventur. Sed plus est, anathema fieri à Christo, quàm simpliciter mori: quia mortui, à Christo nondum sunt separati, sed qui in Domino moriuntur, jam sunt cum CHRISTO, 1. Thessal. 4. Phil. 1. Chrysostomus & Theophylactus intelligunt separationem à CHRISTO, quò ad gloriam, non quò ad damnationem æternam. Sed anathema totalem hominis

nis execrationem significat, quæ omnis felicitatis privationem importat: neq; fieri potest, ut qui destituuntur gloria Dei & beatorum, non sint in loco damnatorum. Non enim nisi cum Diabolo est, qui non est cum Christo, inquit Augustinus lib. 1. de peccat. meritis & remiss. cap. 28. idcircò scriptura beatitudinem sanctorum à pœnis damnatorum distinctam, describit perpetuâ conversatione cum Christo Ioh. 17, 24. & 1. Thessal. 4, 17. Ambrosius super hunc locum videtur verba Pauli referre ad tempora præterita, cùm adhuc esset in Iudaismo; & urget, quòd Apostolus dicit in imperfecto, Optabam, non opto. Sed hoc nihil esset singulare, si D. Paulus tunc tantopere pro gente sua sollicitus fuisset, cùm & ipse adhuc Judæus esset: jam autem post quã à Iudæis egressus & Christianus est factus, animi sui desideriũ pro popularibus suis exprimere voluit. Ergò græcum illud, ηὐχόμην non imperfectè, sed indefinitè reddendum est, optarim. Lyra super hunc locum scribit, posse hoc votum Pauli accipi de temporali separatione à Christo, quasi optarit dilationem gloriæ æternæ & prolongationem vitæ suæ, quò meliùs intendere posit conversioni Iudæorum; eâdem ratione, qua Phil. 1. scripsit: cupio quidem dissolvi, & esse cum Christo, sed manere in carne necessarium est propter vos. Verùm multò plus esse anathema, ex jam dictis constat. In hac sententiarum varietate omnium optima, & quæ ad solutionem quæstionis quàm proximè accedat, videtur esse interpretatio Oecumenij, qui existimat, Paulum verba ista non absolutè dixisse, tanquam possibilia, sed per hypothesin & cum conditione quadam, hoc sensu. Si possibile esset, ut per meam perditionem glorificaretur Christus, & Iudæi salvi fierent, neq; hoc detrectarem, vel si mihi daretur optio, ut velim me vel CHRISTO unitum esse, vel Judæos perire, utiq; Christi gloriam & multorum salutem mea

privatæ gloriæ ac saluti anteferrem. Scivit autem Apostolus, fieri hoc non posse, ut ipse gratia Dei excidat: ideò magis dolet, de Judæorum pernicie, & tamen hoc suo voto affectum erga ipsos declarat. In eandem ferè sententiam scribit Origenes super hunc locum: Cùm se offert anathema pro fratribus suis, non lapsum ejus possibilem judices, sed sicut ille, qui inseparabilis est à Patre per naturam & immortalis, in mortem venit & in infernum descendit, ita & iste imitando magistrum, cùm separari à Christi caritate non possit, à Christo anathema fiat pro fratribus suis, devotione utiq; non prævaricatione.

QUÆSTIO III.

Quia tantus in Paulo fuit affectus erga Iudæos, quos tamen habebat adversarios, an non implevit legem de dilectione proximi, imò totam legem Mosis, juxta illud: qui diligit proximum, legem implevit Rom. 13, 8?

Resp. *Ad perfectam impletionem legis non sufficit unus aut alter actus, sed perpetua requiritur boni operis continuatio, ita, ut nequidem cogitatione minima à lege deflectatur, Deus enim nõ modò actum externum, sed & affectũ animi internum, sincerum & perpetuò sibi constantem exposcit. Hinc Salomon conqueritur, non esse hominem justum in terra, qui faciat bonum & nõ peccet Eccl. 7, 21. Affectus igitur iste Pauli nondum constituit perfectam proximi dilectionem, multò minùs totius legis impletionem. Ipsemet enim conqueritur, se videre aliam legem, repugnantem legi mentis suæ Rom. 7, 23.*

QVÆ-

QUÆSTIO IV.

Quando Paulus Christum, qui est ex patribus secundùm carnem, nominat Deum benedictum in secula v. 5. rectene inferunt Photiniani, non loqui Apostolum de eo, qui natura Deus est: eum enim qui natura Deus est, non habere carnem, neq́ esse ex patribus?

Resp. Primi inter recentiores divinitatis Christi impugnatores, more veterum Arianorũ verba Pauli, qui est Deus benedictus, *non referebant ad Christum: sed per distractionem textus, dicebant esse δοξολογίαν ad Deum Patrem referendam, ut apparet ex Georgio Eniedino, ex Anonymo scriptore contra Iacobum Wiekum, ex Socino, Osterodio & socijs. Sed novitius catechefeos Rackaviensis faber, haud dubiè evidentiâ textus convictus, discessit à sententia sociennorum, & aliã excogitavit fallaciã: Loqui nimirũ Apostolum de Christo quidẽ, eumq́ vocare Deũ, sed nõ natura Deũ verùm qui propter acceptã divinã potentiam ac virtutẽ appelletur DEUS. Idq́ probare conatur, quia natura Deus non est ex patribus, vide catech. cap. 1. p. 120. sed frivola & diluta est hæc exceptio. Credimus enim cum scriptura, Christum esse natura Deum, & eatenus nõ est ex patribus, sed ab æterno lumẽ de lumine, verꝰ Deus de Deo vero, per quẽ omnia cõdita sunt, cujus egressus est à diebus æternitatis* Mich. 5. *quiq́ ante luciferum genitus*

genitus est Psal.119. Hic autem æternus & naturalis Deus assumsit carnem in tempore Galat. 4. Phil.2. Joh.1. Ideò Iehova vocatur germen Davidis Ierem. 23, 6. Virginis filius dicitur filius Altißimi Matth.1. Falsum autem est, quòd ex Christo hic Deum duntaxat nuncupativum faciunt: quia non simpliciter Deus appellatur, sed Deus benedictus in secula: quæ descriptio veri & naturalis Dei est, ut patet ex Rom.1, 25. ubi simile elogium Deo creatori tribuitur. Et si præter carnem aliam naturam non haberet, quorsum opus fuisset limitatione ista, quòd sit ex patribus secundùm carnem ipsa igitur limitatio notat, Christum habere præter carnem aliam naturam, secundùm quam non sit ex patribus, nimirum divinam. Observandum autem est, quòd nihil aliud objicere possit Antichristiana illa Catechesis, quàm duas in Christo naturas esse non posse 1. quia id contra rectam rationem est, naturas proprietatibus distinctißimas, & quarum unaquæq; constituat peculiarem personam, in una persona posse uniri. 2. quia scriptura non nisi unum monstret naturâ Deum: Christum autem vocat naturâ hominem, & testatur, Christum omnia sua divina habere ex dono Patris: quam ob caussam Christus omnia sua refert ad Patrem, à quo ista habeat vide cap. 1. catech. pag. 55, & 56. seqq. Hoc est totum illud artificium, quo miselli isti duas in Christo naturas evertere, & Cyclopum more cœlum expugnare conantur: ad singula paucis respondendum est, ut constet, quòd Christus verus & naturalis Deus sit, & tamen ex patribus secundùm carnem, hoc est, verus Deus & homo in una persona. Ad primum dico: Ratio in rebus divinis subjuganda est in obsequium fidei 2. Cor. 10. quia ibi est cæca. Nam nec intelligis ratio, quomodo virgo potuerit parere, quomodo caro in cineres redacta poßit resurgere, quomodo Deus ex nihilo condiderit omnia, & similia multa,

Objectiones catecheſcos Rackoviensis.

Responsio.

quæ ra-

quæ tamen isti homines etiam credunt, licet non intelligant. Agnoscimus ergo hic mysterium ὁμολογουμένως μέγα, quòd Deus manifestatus est in carne, quemadmodum Paulus graviter apellat 2. Tim. 3. in quod & Angeli παρακύψαι desiderant, ut Petrus loquitur 1. Petr. 1. debuit itaq; rationis captum excedere, & ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν esse. Falsissimum autem est, quòd naturam in Christo humanam vocant personam. Nam extra λόγον est ἀνυπόστατος, in λόγῳ autem fit ἐνυπόστατος, ut Damascenus loquitur, hoc est, subsistentiam suam accipit in λόγῳ, alioquin in nihilum redigeretur: atq; sic non duas in Christo personas, sed in una persona duas naturas agnoscimus. Porrò scriptura & nos ex ea, unum credimus Deum natura, seu unam in Deo essentiam. Is autem unus Deus in scriptura ita se revelavit, quòd trinus sit in personis Matth. 3, 16, 17. & sic fatemur, in Deo non esse ἄλλο καὶ ἄλλο, sed ἄλλον καὶ ἄλλον, hoc est, non naturam, sed personam aliam, quemadmodum Ioh. 15, 26. scriptum est, alium esse, quem mittat secunda persona à prima. Ex his etiam apparet, humanam Christi naturam nihil derogare divinæ, nec divinam humanæ: CHRISTUM autem omnia à Patre habere dono, admitteremus, si distingueretur inter dona æterna & temporalia. Ab æterno habuit & naturam divinam & omnipotentiam suam communicatam per generationem æternam, quemadmodum ipse fatetur Ioh. 5, 26. sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & filio habere vitam in seipso. Quidquid autem in tempore accepit à Patre, id secundùm humanam naturam ipsum accepisse, orthodoxa credit Ecclesia, & alibi prolixè demonstrari solet.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Veritas ita dicenda est, ne mentiamur. Mentiuntur autem, qui contra animi sententiam loquuntur fallendi aut nocendi gratia, quales sunt, qui de re occulta aut incerta rogati in judicio, certi aliquid dicere recusant, cùm dicere possint: studiosè enim conantur fallere alios, quorum ea scire interest, tantùm sui commodi gratiâ: fallunt & illos, quibus inservire volebant, dum eos in malitia confirmant. Tales quoq; sunt Hypocritæ & bilingues, qui sive in rebus politicis sive in Ecclesiasticis veritatem verbis quidem fatentur; corde verò abnegant, aut dissimulant: de quibus inter aliâ Iob: Simulatores & callidi provocant iram Dei Job.36,13.*

2. *Juramentum est religiosa asseveratio rei licitæ, quâ invocatur nomen Domini in testimonium veritatis, aut in vindictam, si fallamus. Descriptio hæc ex parte hic habetur, quando D. Paulus Spiritum Sanctum suamq; conscientiam vocat in testimonium veritatis. Vnde liquet juramenta esse licita: alibi D. Paulus expressiùs jurasse legitur 2. Cor.1,23. Rom.1,9.1.Thess.2,5. &c.*

3. *Testimonium conscientiæ non fallit: quilibet igitur illam salvam & intemeratam conservare studeat, ut ad ejus testimonium quovis tempore intrepidè provocare possit, exemplo Pauli hoc loco, & 1. Cor.4,4.*

4. *Spiritus Sanctus est verus Deus, aliàs in ejus nomine jurare non potuisset Apostolus: nam per nomen solius Dei jurandum est Deut.6,13. & mihi jurabit omnis lingua, inquit Iehova, Esa.45,23.*

5. *Malis*

5. *Malis proximi non est insultandum, sed condolendum, operaq; danda, ut ipsum consilio vel exemplo, vel quovis modò juvemus, juxta illud Chrysostomi: Vnusquisq; nostrum videat, quomodo proximum è faucibus Diaboli eripiat.* Ἐπιχαιρεκακία *verò à Satana est, & in scriptura gravissimè damnatur Sir. 27, 31. Psal. 109. Obad. 1, 11. Jacob. cap. 2, 13.*

6. *Ius popularitatis ad amicitiam conservandam multum facit, at longè plus fraternitas spiritualis, quæ est in unitate doctrinæ & fidei, & originem habet ab uno Deo & mediatore, in quo conjuncti sumus: ad quam fraternitatem tam frequenter hortantur Apostoli Col. 3. Hebr. 13. &c.*

7. *Caritas proximi extendit se etiam ad inimicos, monente Christo Luc. 6, 27. diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Meritò autem incipit ab iis, qui sanguinis vinculo arctiùs à Deo nobis sunt conjuncti. Ideò Christus, licèt pro inimicis mortuus scribatur Rom. 5, 8. ipse tamen pro amicis se moriturum dicit Ioh. 15, 13. est enim Salvator omnium hominum, sed maximè fidelium 1. Tim. 4, 10. Hinc est illud Apostoli Pauli: Operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei Gal. 6, 10. Qui verò suorum, & maximè domesticorum curam non habet, infideli est deterior, & fidem negavit 1. Tim. 5, 8.*

8. *Ius civitatis Dei maximum est beneficium, quod impetrant omnes, qui recipiuntur in Ecclesiam: idcircò refertur hic inter privilegia Iudaicæ gentis, & alibi gentium fortuna eo nomine deploratur, quòd quondam fuerint sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes Eph. 2, 12. Gratis ergò animis agnoscamus Dei erga nos bonitatem, qui nos ex tene-*

bris vocavit ad sortem sanctorum in lumine. Nam externa privilegia nihil juvant, nisi cor rectum est coram Domino, damnationem autem graviorem faciunt, si malè eis utamur, quemadmodum exemplo Iudæorum passim monemur, imprimis Rom. 11. & Matth. 11.

9. *Duæ in Christo naturæ, earundemque personalis unio dilucidè hic probatur. Vocatur enim Deus super omnia: ergò etiam super Deos nuncupativos: vocatur enim Deus benedictus in secula: quæ Dei* περίφρασις, *sicut constat ex cap. 1, 25. Deinde caro ei tribuitur, hoc est, humana natura: & denique juxta hanc carnem dicitur esse ex Judæis, ubi incarnatio Deo expressè tribuitur, ut & nativitas carnalis; sed per communicationem idiomatum; ex patribus enim est Deus secundùm naturam humanam in tempore, qui ex Deo Patre est secundùm naturam suam divinam ab omni æternitate. Mich. 5. Psal. 2. &c.*

PARS ALTERA
TEXTUS.

Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραήλ.

6. NOn autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ.

Οὐδ' ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραὰμ, πάντες τέκνα· ἀλλ' ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα.

7. Neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen.

Τουτέστιν, οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ Θεοῦ· ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα.

8. Id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

9. Promis-

Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, καὶ ἔσται τῇ Σάρρᾳ υἱός.

9. Promiſsionis enim verbum hoc eſt; Secundùm hoc tempus veniam,& erit Saræ filius.

Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν.

10. Non ſolùm autem : ſed Rebecca [illegible] o concubitu habens Iſaac p[illegible] noſtro.

Μήπω γὰρ γεννηθέντων, μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακὸν, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος.

11. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali,ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus,ſed ex vocante :

Ἐρρήθη αὐτῇ, ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι.

12. Dictum eſt ei, Quia major ſerviet minori.

Καθὼς γέγραπται, τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα.

13. Sicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi,Eſau autem odio habui.

Τί οὖν ἐροῦμεν; μὴ ἀδικία παρὰ τῷ θεῷ; μὴ γένοιτο.

14. Quid ergo dicemus ? numquid iniquitas apud Deum ? Abſit.

Τῷ γὰρ Μωσῇ λέγει, ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω.

15. Moyſi enim dicit, Miſerebor cui miſereor :& miſericordiam præſtabo, cui miſerebor.

Ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ.

16. Igitur non volentis , neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei.

Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραὼ, ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ.

17. Dicit enim ſcriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra.

Ἄρα οὖν ὃν θέλει ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει.

18. Ergo cui vult, miseretur, & quem vult, indurat.

Ἐρεῖς οὖν μοι, τί ἔτι μέμφεται; τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε;

19. Dices itaque mihi, Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit?

Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ; μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι, τί με ἐποίησας οὕτως;

20. O homo! tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic?

Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι, ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν.

21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem masse facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?

Εἰ δὲ θέλων ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν, καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν.

22. Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum.

Καὶ ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους, ἃ προητοίμασεν, εἰς δόξαν;

23. Vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

Οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς, οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν.

24. Quos & vocavit, non solùm ex Judæis, sed etiam ex Gentibus.

Ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει, Καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, λαόν μου· καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην.

24. Sicut in Osee dicit, Vocabo non plebam meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam.

Καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐρρήθη

26. Et erit, in loco ubi dictum est,

αὐτοῖς, Οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ Θεοῦ ζῶντος.

est eis, Ne plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei vivi.

Ἠσαΐας δὲ κράζει ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ, ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα σωθήσεται.

27. Esaias autem clamat pro Israel: si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.

Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς.

28. Verbum enim consummans & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus super terram.

Καὶ καθὼς προείρηκεν Ἠσαΐας, εἰ μὴ Κύριος Σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν τὸ σπέρμα, ὡς Σόδομα ἂν ἐγενήθημεν, καὶ ὡς Γόμορρα ἂν ὡμοιώθυμεν.

29. Et sicut prædixit Esaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.

Τί οὖν ἐροῦμεν; ὅτι ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην κατέλαβε δικαιοσύνην, δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως.

30. Quid ergo dicemus? quòd Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: Iustitiam autem, quæ ex fide est.

Ἰσραὴλ δὲ διώκων νόμον δικαιοσύνης, εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε.

31. Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.

Διὰ τί; ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου· προσέκοψαν γὰρ τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος.

32. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis.

33. Sic-

Καθὼς γέγραπται, Ἰδοὺ, τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος, καὶ πέτραν σκανδάλου· καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται.

33. Sicut scriptum est, Ecce, pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali: & omnis qui credit in eum, non confundetur.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

SUprà diximus, partem alteram hujus capitis enodare quæstionem modò propositam de temporali Judæorum abdicatione, & receptione gentilium; idq; facit Apostolus ferè modo disputatorio, proponens ordinè objectiones additis responsionibus.

1. Objecto Iudæorum.

Primò *obijci poterat: promissiones Dei non fiunt irritæ. Judæis autem promissum est in Abrahamo, quòd sint futuri æternum Dei peculium, juxta illud Psal. 117, 2. Confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. Ergò fieri non potest, ut reijciantur Iudæi.*

Responsio.

Respondet Apostolus v. 6. distinguendo inter Iudæos seu Jsraelitas secundùm carnem & secundùm promissionem.

Iudæi secundùm carnem.

Judæos secundùm carnem *vocat, qui tantùm juxta carnalem generis sui ortum, ab Abrahamo descendebant, nullam habentes promissioni fidem. Ad hos promissio fœderalis non pertinebat; ex quo fundamento Christus negavit, Judæos, adversarios suos, esse filios Abrahami Joh: 8. v. 39. Cùm ergo infidelibus non facta sit promissio, non etiam poterat fieri irrita, licèt illi à Deo reijcerentur: & hic sensus exprimitur v. 6. & 7.* Non quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Jsraele sunt, ij sunt Jsraelitæ, neq; quia semen sunt Abrahæ, omnes filij. *Vbi vox seminis Physicè sumitur, de posteritate carnali Abrahami: paulò aliter accipitur versiculo sequente.*

Iudæi secundùm promissionem.

Judæos secundùm promissionem

sionem *vocat qui fidem habent promissioni, seu populum fidelem: horum enim Deus erat Dominus, & hi filij juxta Apostolicam interpretationem D. Pauli, Gal. 3. v. 7. qui ex fide sunt, filij sunt Abrahami. In his negat Apostolus promissionem Dei, factam esse irritam: & sic distinctione solvit hunc nodũ v. 8.* Non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine: *ubi vox seminis Theologicè ponitur pro vero Dei populo, ex spirituali semine verbi divini regenerato. Distinctionem ipsam probat Apostolus ex historia Abrahami Genes. 18. & 21. ubi legitur, Abrahamum duos habuisse filios, Ismaelem ex ancilla natum, & Isaacum ex Sara legitima uxore. Vterq; erat filius Abrahami secundum carnem, sed non uterq; hæres promissionis Arabamo factæ. De Ismaele dictum erat: ejice ancillam, & filium ejus: non erit hæres Genes. 21, 10. De Isaaco verò: in Isaac vocabitur tibi semen Gen. 21, 11. & promissurus Abrahamo semen benedictum, non ancillam Agar, sed Saram uxorem vocat matrem: in tempore illo revertar, & erit Saræ filius Gen. 18, 10. Vtramq; historiam allegavit Apostolus v. 7. & 9.* in Isaac erit tibi semen, & promissionis verbum hoc est, Illo tempore veniam & erit Saræ filius. *Quemadmodum igitur Isaac & Ismael secundùm carnem erant filij Abrahami, & tamen Isaac tantùm etiam hæres promissionis: ita fideles & infideles Judæi sunt posteri Abrahami, & tamen ad fideles tantùm spectat promissio, apud quos & nunquam fiet irrita. Et quemadmodum uterq; erat ex lumbis Abrahami, & tamen Isaac tantùm hæres terræ Chanaan, Ismaele ejecto: ita Iudæi omnes sunt ex posteritate Abrahami, & tamẽ fideles duntaxat sunt hæredes æternorum bonorum, quæ promissio inprimis complectebatur, rejectis infidelibus.*

2. Objectio.

Huic objectioni per instantiam subjungit aliam versu 10. Dicere enim poterant Adversarij: se quidem istam inæqualitatem in Ismaele & Isaaco concedere, sed esse longè maximam disparitatem in exemplo. Isti duo ex diversissimis matribus erant nati, alter ex ancillâ, superbâ atq; peregrinâ, alter ex liberâ, legitimâ, ac pientissimâ conjuge: ideò mirum non esse, quòd ancillæ filius ab hæreditate fuit exclusus. Israelitas autem cæteros omnes ab una descendere matre Sara, sicut & Dominus dixerat Esa. 51, 2. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & Saram, quæ peperit vos; idcircò hæreditatem & promissionem Abrahamo factam ad ipsos omnes promiscuè pertinere, neque unquam evacuari posse.

Responsio.

Respondet Apostolus; illam populi Iudaici receptionem in peculium, vel rejectionem à privilegijs, non pendere à carnali prærogativa generationis; sed à liberrimo Dei proposito. Idq; probat exemplo Jacobi & Esavi, fratrum gemellorum, quos Rebecca uno concubitu ex Isaaco concepit, ita ut ratione ortus sui neuter prærogativam aliquam habere potuerit, & tamen Deus eos nondum natos ita separavit, ut neglecto Esavo primogenito, eligeret Iacobum hæredem promissæ terræ Chanaan, juxta vaticinium Mosis Gene. 25, 23. major serviet minori; & Malach. cap. 1, 2. Iacob dilexi, Esau odio habui. Quæ Dei electio non ab externa prærogativa generationis carnalis dependet, ibi enim omnia erant æqualia: una mater, parens unus, unus conceptus, una ἀδυναμία agendi benè vel malè; sed ex liberrimo proposito Dei vocantis Iacobum ad possessionem terræ Chanaan, & negligentis Esavum. Sicut ergo Deus inter hosce duos fratres æqualiter conceptos unum eligere, alterum rejicere potuit ab ista hæreditate: ita & Iudæorum aliquos in peculium suum recipere, aliquos rejicere

ijcere potest, pro liberrimo voluntatis suæ proposito. Hic est sensus eorum, quæ Paulus ad secundam objectionem respondit vers. 10. 11, 12. 13. Non solùm autem, *scilicet ex Saræ filijs alter alteri præpositus fuit:* sed Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patre nostro. Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, major serviet minori. Sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Hoc est illud mare periculosum, in quo, qui Cynosuram verbi divini, quod omne consilium Dei nobis revelavit, non attendit, naufragium fidei, præter opinionem facit. Sed ne & nos impingamus, & ne scrupulus lectori relinquatur, duo observanda sunt, in allegatis oraculis Propheticis.* 1. *Apostolum nequaquam agere de electione Jacobi ad salutem, & rejectione Esavi ad æternam damnationem: sed, uti dictum est, de temporali possessione terræ Chanaan, quæ Iacobo divinitùs adjudicata, Esava denegata fuit.* 2. *quænam hic intelligenda sit dilectio, quod odium. Prius illud liquidum est multis modis* 1. *ex ijs, quæ sub initium hujus capitis indicavimus de scopo hujus & sequentium capitùm, quæ argumenta hic repetenda sunt.* 2. *quia non de personis Jacobi & Esavi, sed de tota gente, ex illa quasi gemina radice oriunda, agitur: verba enim oraculi clara sunt apud Mosen Genes. 25, 23. Duæ gentes sunt in utero tuo, & populi duo ex utero tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori. Eodem planè modo oraculum hoc intellexit Malachias: namque quæ Moses de Esavo dicit, ad Malachias refert ad Idumæam Malach. 1, 4. Et quòd Esavitæ seu Idumæi servierint Iacobæis, constat ex historia sacra 2. Sam. 8, 14.*

2. Reg. 8, 20. 1. Paralip. 19, 12. nuſpiam verò legitur, Eſavum ſerviſſe Iacobo; contrarium potius docet hiſtoria Moſaica, quòd nimirum Iacobus obviam proceſſit Eſavo, eumq; præmiſſis muneribus, ut Dominum honoravit, Gen. 32. & 33. Si ergo non de perſonis; ſed de populis intelligendum eſt illud, major ſerviet minori, ſpontè ſequitur, oraculum non agere de rejectione æterna: aliàs ſequeretur, neminem ex Idumæis fuiſſe ſalvatum, & ex Iacobæis neminem damnatum, quod falſiſſimum eſt, & exempla utrobiq; contrarium teſtantur. 3. quia ſi de electione ad ſalutem & rejectione ad damnationem ageretur, conſequens eſſet, Eſavum abſq; omni ſuo merito damnatum eſſe: facta enim eſt illa reprobatio, antequam boni vel mali quid egiſſet v. 11. Si verò Deus quenquam immeritum damnaret, immunis ab iniquitate non creditur, inquit Auguſtinus epiſt. 106. 4. Paulus electionem Iacobi & reprobationem Eſavi proponit, ut rem Judæis notiſſimam. Notum autem erat Iudæis, Jacobum in multis Eſavo fuiſſe prælatum: quòd autem Iacob ad vitam æternam electus, Eſau rejectus ſit ab æterna ſalute, non ita notum erat. 5. Eſavus à patre dilectus Gen. 25, 28. & vi vocis divinæ per circumciſionis Sacramentum in fœdus Dei receptus fuit. Quomodo verò diligeret Iſaacus, & Deus in fœdus reciperet eum, quem ab æterno reprobaſſet abſoluto quodam odio? quomodo item mater pientiſſima filium ſuum æternæ damnationi vi oraculi divini deſtinatum cum tranquillitate animi intueri potuiſſet? Quæ omnia evincunt, oraculum illud nequaquam de reprobatione æterna intelligendum eſſe.

Odium Dei erga Eſavum quale ſit.

Poſterius ζήτημα liquet ex priore. Conſtat enim ex iis, quæ jam dicta ſunt, Deum nequaquam abſolutè quodam amore Jacobum, abſoluto quodam odio Eſavum complexum eſſe: ſed dilectio Iacobi eſt propoſitum Dei, quo Iacobum anteponebat

ponebat Esavo in quibusdam temporalibus, in jure primogeniturae, nobilitate posteritatis, celebritate haereditatis, & affinitate Messiae: odium verò Esavi est propositum Dei, quo postponebat Esavum Iacobo in privilegijs illis jam denominatis. Et hujus significationis, quòd dilectio praerogativam alicujus, odium praeteritionem seu postbabitionem aliquam significat, plurima extant exempla in scriptura Prover. 3 24. Luc. 14, 26. Ioh. 12, 25. & c. Idq; ad explicationem textus hoc in loco satis est: caetera in quaestionibus proponentur. Objectionem hanc excipit tertia: Potuisset enim petulantia ingenij humani obijcere: Si Deus Iacobum praeposuit Esavo, cum neuter ipsorum aliquid boni vel mali fecisset, annon injustus Deus est, qui inter eos, qui pares sunt, disparitatem facit. Nam si neuter operum merita jactare potuit, an non aequum fuisset, aequalem ambos experiri sortem, iniquum autem, unum anteferre alteri? Objectio haec extat v. 14. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? *qui scilicet paribus imparia dispensat praemia. Respondet Apostolus v. 15. & generaliter more suo,* Absit, *quasi dicat, non valet haec petulantis ingenij consequentia, reformare volentis judicia Dei. Nulla sanè iniquitas est apud Deum, sed fidelis Deus est absq; ulla iniquitate Deut. cap. 32, 4. & tamen Iacob citra omne suum meritum praepositus est Esavo. Illud enim axioma: pares parem experiantur sortem, locum habet, quando nulla intercedit gratia, qua intercedente falsum est. Deo enim liberum est uni ex gratia conferre, quod alteri negavit: neutri enim debuit. Iacobo itaq; ex gratia & misericordia contulit praerogativas illas, quas Esavo justè negavit. Responsionem hanc probat Apostolus verbis ipsius Iehovae apud Mosen in historia Pharaonis Exod. 33, 19.* Miserebor cujus misereor, & mise-

3. Objectio.

Responsio.

ricordiam præstabo, cui miserebor: *quæ verba simpliciter nos in operibus gratiæ ab omni hominum merito, ad primum beneficiorum divinorum fontem remittunt, nimirum ad gratuitam misericordiam Dei, quasi diceret, si cui aliquid de rigore justitiæ meæ remitto, utiq; nullo ipsius merito hoc facio, sed solâ meâ misericordia adductus. Ex mera enim misericordia ipsum prædestinavi ad gloriam: ex mera etiam misericordia vocavi ad gratiam: ex mera deniq; misericordia daturus sum gratiam & gloriam: quem sensum horum verborum ostendit sequens Apostoli versiculus:* Igitur non est volentis, neq; currentis, sed miserentis DEI *v. 16. hoc est, Deus non vota & optata nostra, studia aut conatus, non merita aut opera curriculi nostri respicit, sed ex solo suo gratuitæ misericordiæ beneplacito benefacit. Eandem responsionem illustrat contrario exemplo de induratione Pharaonis, quæ misericordiæ divinæ est opposita.* Dicit enim scriptura Pharaoni, *inquit v.* 17. In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra. *Verba extant Exod. 9, 16. ubi extrema Pharaonis pervicacia describitur, qui cùm nullis minis vel plagis commoveri posset ad obtemperandum DEO, tandem extremam internecionem ipsi interminatur Dominus, ut reapse experiatur potentiam insuperabilem ejus, contra quam tantopere hactenus infremuit. Sunt, qui hæc verba ad scelera Pharaonis referunt, quasi Deus ipsum propterea excitaverit, hoc est, condiderit ac destinarit, ut magis magisq; rueret in scelera, seu, ut Paræus habet super hunc locum, quòd Deus Pharaonem obfirmaverit in sua pervicacia. Sed injuria fit textui: non enim dicit scriptura, Excitavi te, ut*

pervicax

pervicax & extremè sceleratus esses: sed excitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam. *Verba itaq; non ad scelera, sed finem secundarium restringenda, ad quem Deus scelera Pharaonis direxit. Pharaonem enim jam sceleratum invenit, & in sceleribus suis non statim perdidit, sed ita passus est ipsum indurescere, ut potentia ejus in exterminatione Pharaonis magis magisq; innotesceret. Veram esse hanc interpretationem probat ipsa analogia fidei, qua non patitur DEO ullam attribui peccatorum culpam, quod fieret, si diceremus DEUM Pharaonem ad peccata condidisse, instigasse, obfirmasse &c. Probat etiam ipsa grammatica. Nam in Hebræo est verbum tertiæ conjugationis,* הֶעֱמַדְתִּיךָ, *quod permissionem, non actionem aut impulsum aliquem significat, feci te restare, seu ut Tremell. & Iunius exponunt, feci ut restares, cùm te in primo statim scelere perdere potuissem. Neq; verò hæc DEI permissio DEUM habuit otiosum spectatorem: DEUS enim interim, peccante Pharaone, institit plagis, quibus retrahere nitebatur peccantem, posuit peccatis terminum & modum, direxit deniq; ea ad finem sibi gloriosum & Ecclesiæ suæ honorificum. Ex his duobus scripturæ dictis conclusionem infert Apostolus v. 18.* Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat. *Quibus verbis hoc duntaxat ostendit, justitiæ Dei nihil decedere, licet aliquos induret, aliquorum autem misereatur: hoc enim esse ex liberrimo voluntatis suæ proposito. Quorum verò misereri, & quos indurare velit, & quam ob caussam id faciat, hic non exponitur, sed justitia tantùm Dei ab iniquis hominum judiciis vindicatur. Alibi verò docetur, Deum misereri hominū in Christo, quem in verbo proponit: quicunq; ergo verbū recipiunt, eoq; se regi patiūtur, his misericordiam largitur,* qui

qui verò verbum contemnunt, & Christum respuunt, hos indurat, hoc est, in istâ suâ ignorantiâ relinquit.

4. Objectio

Ex hac responsione Apostoli nascitur quarta objectio. Dicere enim potuisset homo præfractus: quorsum ergo accusat Deus induratos, si ipse indurat, quos vult? Objectio hæc extat v. 20. Dicis itaq; mihi, quid adhuc conqueritur, scilicet Deus, voluntati enim ejus quis resistet?

Responsio.

Responsionem subjicit Apostolus v. 20. & seqq. 1. reprehendit hominum audaciam obloquentium Deo: ò homo! tu quis es, qui respondeas Deo? *ostendit hoc ipso, actiones Dei non debere regulari ad normam judicij humani: ipsæ enim sibi sunt regula: proinde quod à Deo fit, non nisi justum esse potest, ut ut contrarium nobis videatur. Rationem addit, cur homo cum Deo expostulare non debeat, quia figmentum non dicit ei, qui se finxit, cur me finxisti sic? homo autem Dei figmentum est: abstineat itaq; ab expostulatione cum creatore suo, quem figulum nominat more scripturæ Esa. 45, 9. Ierem. 18, 6. Esa. 64, 8. Hinc alteram responsionem petit, ex loco nimirum comparatorum v. 21.* An non habet figulus luti potestatem ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? *Sensus responsionis hic est: si figulus liberam potestatem habet vasa ex eadem luto facta destinare vel ad honorem, vel ad ignominiam, multò magis Deus potestatem habet liberrimam homines ex eodem massa conditos destinare ad gloriam, & hoc est velle misereri; vel ad ignominiam, & hoc est indurare velle. Caussam, cur hoc fiat, & in quibus fiat, nondum adsignat Apostolus: satis jam fuit, potestatem illam Dei liberrimam asseruisse. His omnibus subjungit tertiam responsionem, quæ scopum objectionis directè ferit v. 22.* Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit multa patientia

entia vasa iræ aptata ,ad interitum , ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. *Quibus verbis veram indurationis caussam exponit, quam invenit in ipsis hominibus. Nam sensus hujus versiculi est; Deum ideò indurare aliquos, quia sunt vasa iræ, quæ Deus diu magnâ cum patientia toleravit, præparata ad interitum: non addit, num à DEO vel alio præparata sint: Deo id asscribere extremè impium est, & refutatur eo , quod Apostolus dicit, Deum vasis iræ irasci; operibus autem manuū suarum non irascitur, quippe quæ valdè bona sunt: Deum vasa iræ magna cum patientia tolerasse; quæ verò Deus patienter tolerat, eorum sanè autor non est, sed ideò patienter tolerat, ut emendentur Sap. 11, 24. A quo autem præparata sint, apparet ex Rom. 5, 12. ubi peccatum, quod iram Dei promeretur, per hominem in mundum introÿsse scribitur, & Sap. 2,24. invidiâ Diaboli mors in mundum ingressa legitur: & Ose. 13. expresse Dominus caussam perditionis in ipsos Iudæos transfert; perditio tua ex te Israel, ex me verò salus. Diabolus igitur est, & mala hominis voluntas, quæ ex homine, quem Deus vas gloriæ suæ ad bona opera condiderat Ephes. 2, 10. fecit vas iræ. Atq; sic Deus vasa iræ non facit, sed invenit, & cùm ea indurat, ostendit in ipsis & iram & potentiam suam;* iram *quidem, dum peccata præcedentia subsequentibus peccatis punit:* potentiam *verò, quando ea in peccatis suis tandem perire sinit, & omnes ipsorum furores evertit: quemadmodum vicissim in vasis misericordiæ conservandis atq; gubernandis, quæ ipse talia fecit, divitias gloriæ suæ, hoc est, abundantissimum gratiæ ac misericordiæ suæ thesaurum aperit. Tres itaq; fines affert Apostolus, cur vasa iræ toleret 1. ut iram suam in eis ostenderet, in puniendis. 2. ut potentiam declararet in eis perdendis. 3. ut divitias gloriæ manife-*

Cur Deus vasa iræ toleret.

ſtaret in vaſa miſericordiæ. Nam cùm ex eadem maſſa ſint, quæ naturâ eſt damnabilis, apparet ex perditione vaſorum iræ, quid eis miſericordia divina largita ſit. Igitur ſumma reſponſionis huc redit, quòd Deus, etiam eos, quos indurat, juſtè accuſare poßit, quia ipſe indurationis cauſſa per ſe non eſt, ſed mala hominum voluntas: ipſe autem ex officio judicis, quos induratos invenit, gratiâ ſuâ deſerit, & deſertos magis magisq; indurari ſinit.

5. Objectio. *Quinta objectio emergit ex ijs, quæ de vaſis iræ & miſericordiæ dixerat Apoſtolus. Quærere enim potuiſſent Judæi; quænam ſint illa vaſa miſericordiæ. Si enim Deus habet aliqua vaſa miſericordiæ in populo ſuo, utique falſum*

Reſponſio. *erit, quod jam antè innuebat, Deum abjeciſſe populum ſuum. Reſpondet Apoſtolus per diſtinctionem: abjectionem illam Iudæorum non eſſe merè & ſimpliciter univerſalem, ſed habere Deum aliqua vaſa miſericordiæ inter ipſos Iudæos: quod ut faciliùs crederent Iudæi, addit, habere Deum etiam vaſa miſericordiæ inter gentiles, quorum converſio aliàs Judæis incredibilis videbatur: ex utroque enim populo Deus vocavit aliquos ad gremium Eccleſiæ, in quæ tanquam ſalutaria vaſa gratiæ ſuæ dona effunderet, hoc eſt, quos gratis eligeret Eph.1. gratis filio donaret Ioh.3. gratis ad Eccleſiam vocaret 2.Tim.1. gratis juſtificaret Rom.3. gratis regeneraret Tit.3. & tandem gratis ſalvaret Epheſ. 2. Ideò dicit Apoſtolus:* Quos & vocavit nos, non ſolùm ex Judæis, ſed etiam ex gentibus v. 24. *Vtrumque membrum probat ex ſcriptura Prophetica: & quidem unumquodvis gemino teſtimonio, ut in ore duorum conſiſtat etiam illa veritas. Prò vocatione gentilium allegat primùm, locum Oſeæ cap. 2. 23.* Vocabo non plebem, plebem meam, & non dilectam, dilectam,

ctam: *quæ verba de gentilibus interpretatur D. Petrus 1. Pet. 2, 10. ubi de advenis & peregrinis scribit, quòd Deus eos vocarit de tenebris in admirabile lumen suum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Gentiles igitur erant quondam hospites & advenæ, alienati à conversatione Israel, promissionis spem non habentes & sine Deo in hoc mundo: nunc autem in Christo Iesu facti sunt propè, qui quondam erant à longè, facti sunt cives & domestici Dei Eph. 2, 12, 13, 19, seq. Alterum testimonium pro vocatione gentium petit ex cap. 1, 10. Oseæ.* Et erit in loco, ubi dictum est eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei vivi. *Illud,* In loco, *dupliciter intelligere possumus, velut non notet locum, sed vicem, quasi diceret Propheta, loco ejus, quòd hactenus vocati fuerunt non populus meus, adsument aliud nomen, & vocabuntur filij Dei.*

Idque completum est in gentilibus, qui quidem in locum Iudæorum fuerunt adoptati non tamen omnes eum in locum, in quo Iudæi vixerunt, pervenisse constat. Vel si de loco Physico accipias, sensus erit, quòd Ecclesia ibi futura sit tempore Christi, ubi quondam populus erat rebellis & idololatriæ deditus. Pro vocatione reliquiarum Israelis ad gremium Ecclesiæ adducit primùm locum Esaiæ cap. 10, 22. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquã arena maris, reliquiæ salvæ fient: Verbum enim consummans & abbrevians in æquitate: quia verbum abbreviatum faciet Dominus super terram. *Quibus verbis interitum minatur Propheta Iudæis, populo licèt numerosissimo, propter summam contumaciam, ita tamen, ut pauci quidam ex illis præsentissimo periculo subtrahantur, cæteris justo Dei judicio relictis: & hoc verbũ comminationis Deum acceleraturum ait pro suâ æquitate*

ac justitia, idq; propter electos, quos habet in isto cœtu, ne & ipsi seducantur atq; pereant. Alterum locum petit ex Esaia cap. 1, 9. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus: *cujus vaticinij eadē prorsus sententia est cum præcedente, nimirum Iudæos ob impietatem à Dei peculio rejectos, & reliquias duntaxat conservatas esse. Hactenus igitur probavit Apostolus verbis Prophetarum, Deum sibi vasa misericordiæ præparasse tàm è gentilium primitijs, quàm è Iudæorum reliquijs.*

6. Objectio. *Postremo loco objici poterat; cur ergo Deus gentiles sibi elegit in peculium, rejectis Iudæis, cùm tamen Iudæi sectati fuerint justitiam, quam gentes neglexerunt? Ad hoc objectum respondet* Responsio. *v. 30. seqq. ita ut veram caussam adsignet, cur Judæi à Deo rejecti, & gentiles in ipsorum locum recepti fuerint.* Gentes, *inquit*, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem, quæ ex fide est: *quasi dicat, gentiles utiq; de justitia legis parum sciverunt, ambularunt enim secundùm desideria cordium suorum: sed fide apprehenderunt promissum Meßiam, & hoc imputatum eis est ad justitiam.* Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit: quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus: *hoc est, Iudæi quidem portaverunt onus diei, & magno studio legi satisfacere, & veram justitiam, quæ coram Deo consistit, impetrare conati sunt, sed non impetrarunt, quia non fide, sed operum meritis impetrare voluerunt; & sic per incredulitatem impegerunt in lapidem offensionis, Iesum Christum, de quo scriptum est Esa. cap. 28, 14. Ecce pono in Sion lapidem offensionis & Petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur. Lapis in Sion est Christus, lapis ille angularis, quem reproba-*

reprobarunt ædificantes Psal. 118,22. Hunc Deus posuit in Ecclesia in hunc finem, ut erigerentur in eo lapsi, & conservarentur stantes, ne tempestatibus tentationum impulsi labantur. Eriguntur autem, qui lapidem hunc fide apprehendunt: qui verò per infidelitatem contemnunt ac reijciunt, hi impingunt in hunc lapidem, magis magisq; in cœnum peccatorum prolabantes, propriâ culpâ & magno suo malo, quemadmodum hunc Esaiæ locum exponit D. Petrus 1. Petr. 2,6.

Paraphrasis hujus partis.

SEd inquies, numquid ergo promissiones divinæ Iudæis factæ sunt frustraneæ? ego verò hoc non dico. Fidelibus enim sanctè servat Deus, quod promisit, ad infideles verò ne quidem unquam verè pertinuit promissio. Etsi enim omnes sunt Abrahami posteri, tamen non omnes sunt promissionis filij. Sed quemadmodum hæres terræ Chanaan erat tantùm Isaac, qui ex Sara natus, cujus filio facta promissio; non autem Ismael, qui ex Agare natus, quæ nullam promissionem habuit: ita fideles duntaxat Iudæi hæredes sunt æternorum bonorum, & in his promissio de ijs facta Abrahamo atque posteris, nunquam excidit. Ne verò existimetis, Isaacum prærogativam istam habuisse ex celebriori ortu; erat enim ipse liberæ, Ismael ancillæ filius: videte mihi quæso alterum par fratrum, Jacobum & Esavum, qui ex eadem matre Rebecca uno concubitu concepti gemelli, quoad nativitatem, nullam habuere disparitatem, & tamen in externo rerum dominio Jacob Esavo fuit præpositus, ita ut Edomitæ Jacobæis servitutis jugo

fuerint subjecti, sic disponente Domino, ex liberrimo voluntatis suæ proposito, non ita promerente Jacobo. Nam cùm nondum nati essent ambo, nihilq; vel boni vel mali agere potuissent, Deus Jacobum privilegijs externi dominij anteposuit Esavo, licèt priùs in lucem edito, quemadmodum in scriptura *P*rophetica prædictũ fuit. Usq; adeò privilegium illud non ab hominum meritis, non à splendore generationis carnalis, sed à simplici & mera Dei voluntate dependet. Noli verò Deum alicujus injustitiæ arguere, qui, quos per omnia pares noverat, dispari tamen sorte afficit, dum unum alteri præfert. Noli quæso ita oggannire Deo: Nam quod Mosi dixit, hic quoq; locum habeat: si cui misericordiam exhibeo, quem perdere poteram, utiq; ex merâ grâtiâ id facio: id nemo neq; voluntatis suæ desiderijs, neq; curriculi sui meritis à me impetrabit. Utrumq; in meâ liberrimâ potestate est, & misereri cujus voluero, & indurare quem voluero, quemadmodum in Pharaone id satis declaravi, quem in medijs suis furoribus extinguere potuissem, sed premisi ipsum aliquandiu grassari, ut deinceps majestas nominis mei in eversione ejus fieret passim ubiq; manifestior. Quid ergo, inquies, frustra igitur accusabit Deus induratos, quos ipse ita indurare voluit? At si te hominem esse memineris, non ita dices, sat scio: non enim fas est figmentum responsare figulo, cur ita & non aliter operetur. *P*otestatem enim habet figulus, vasa ex eodem luto facta destinare vel ad honorem vel ad ignominiam: quidni eandem potestatem Deus habeat in homines, figmentum manuum suarum, si maximè nulla alia caussa indurationis subesset? Atqui adest caussa indurationis longè gravissima:

quia nimirum invenit eos, quos indurare dicitur, vasa iræ parata ad interitum à diabolo & mala sua volunta-te, quæ quidem sat diu patientissimè toleravit & emollire tentavit, sed cùm frustrà laboraret, deseruit ea tandem suâ gratiâ, ut eorum dignitas tantò magis innotesceret, quos ut vasa gloriæ suæ ipse præparavit, in quæ thesaurum gratiæ donorumq; cœlestium abundanter effudit, dum eos gratuitò elegit ad vitam, vocavit, regeneravit, justificavit, quos adæquè ac cæteros invenit peccatores. Si quæritis, quænam sint illa vasa gloriæ, scitote, esse aliquos ex Iudæis, siquidem non omnes rejecit; & aliquos ex gentilibus, quos in rejectorum Judæorum locum substituit, & in peculium adsumsit: id quod de gentilibus Oseas, de reliquijs Iudæorum Esaias apertè testatur. Ne verò miremini, quod de adsumtione gentilium dixi. Non quidem est de nihilo; gentiles olim justitiæ opera non fuere sectati, quod tamen Iudæi fecerunt magno studio, & tamen gentiles præ Judæis justitiam coram Deo valentem sunt consecuti, quia illa non ex operibus legis, sed ex fide est, quam Deus donavit gentilibus: Iudæi verò justitiam fidei susq; deque habentes, non nisi operum justitiam jactitarunt: & hoc pacto magno suo malo impegerunt in lapidem angularem Ecclesiæ JESVM CHRISTVM, quem Deus in subsidiũ lapsis posuit in Ecclesia, ut erigantur, quotquot fide eum apprehendunt, qui verò per infidelitatem Christum reijciunt, eos capita collidere necesse est. Nam qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem autem ceciderit, conteret eum, idque Iudæis magnam partem contigisse, in confesso est.

QVÆ-

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Ex analysi textus apparet, Apostolum hoc capite de carnali Iudæorum prærogativâ agere, quam habuerunt præ gentilibus: nihilne igitur hic de Electione filiorum Dei ad vitam, vel de reprobatione æternæ damnatorum agitur?

Resp. Ab initio hujus capitis probavimus, Apostolum directè atq; propriè agere de Rejectione Iudæorum à privilegio populi Dei, & de receptione gentilium in locum ipsorum. Et huc tendunt exempla Ismaelis & Isaaci, Jacobi & Esavi, sicut ex ipso textu planum est. Interim tamen non negamus, proponi in exemplis istis typum Electionis & Reprobationis æternæ, non exemplum. Typum inquam, quando sensus literalis refertur ad allegoricum & mysticum, in quam sententiam D. Augustinus scripsit lib. 16. de civ. Dei cap. 35. in aliquid majus intentam fuisse istam Prophetiam, qua dictum est, major serviet minori. Modò hoc observetur, in applicatione typi ad ἀντίτυπον partes omnes strictè non urgendas esse, sed eas in quibus directè conferuntur: aliàs multa absurda sequi necesse est.

(Observentur hic tres regulæ. 1. Scriptura allegorica & typica non est argumentativa 2. In quærendo typi antitypo non est longius à scopo proponentis evagandum. 3. Non.

necesse

necesse est in omnibus typum convenire cum antitypo.)

Etsi autem hæc verissima sint; habet tamen Pareus in commentariis argumenta quatuor, quibus probare conatur Apostolum hic directè de electione & Reprobatione æternâ agere, ad quæ paucis respondere operæ pretium est. Primum argumentum Paræi est: quia Apostolus docet, non omnes esse filios promissionis, idq; juxta electionis propositum. Promissio autem fuit de fœdere & gratia vitæ æternæ. 2. quia DEUS dicitur figulus, faciens aliud vas ad honorem, aliud ad dedecus; præparans vasa misericordiæ ad gloriam, coagmentans vasa iræ ad interitum. 3. quia oracula Oseæ & Isaiæ allegata v. 25. &c. de gentium vocatione ad gratiam salutis, Iudæorum verò rejectione à salute apertè loquuntur. 4. quia omnes interpretes saniores agnoscunt hic explicari mysterium prædestinationis, licèt de ejus explicatione variant. Ad 1. respondeo: Propositum Electionis non semper includit electionem ad vitam æternam. Est enim etiam electio ad populum DEI, quæ sic vocatur Deut. 4, 27: 7, 6. & 7. Psal. 135, 4. Ezech 20, 5. Deinde promissio illa non tantùm bona æterna, sed & terram Chanaan & privilegium Ecclesiæ complectebatur: hanc directè hic attendit Apostolus, illam indirectè & nonnisi per typum, quia spem habet restitutionis aliquorum, quos rejectos dixerat, quam spem reprobati à vitâ æterna non habent. Est igitur in argumento ignoratio elenchi. Ad 2. quòd Deus figulo comparatur, non necesse est simpliciter id referri ad electionem ad vitam æternam. Nihil enim aliud ostendere vult Apostolus, quàm liberrimam habere Deum potestatem quidlibet agendi cum hominibus; id quod etiam locum habet in Electione temporali populi Iudaici in peculium: interim typicè id referri ad electionem filiorum DEI ad vitam, non negamus, quatenus nimirum

Argumenta Paræi contra nostram interpretationem textus.

Responsio ad argumenta Paræi.

 causa

caussa prima notatur, modò cæteræ non excludantur, quas D. Paulus hoc in loco non attingit. Ad 3. de vocatione gentium ad Ecclesiam agitur hoc loco: quia in locum Iudæorum sunt receptæ, postquam Iudæi privilegium suum amiserunt, cujus adsumtionis typus fuit Jacobus in locum Esavi receptus. Rejectionem autem à salute consequens esse rejectionis ab Ecclesia non negamus: de hac directè & principaliter, de illa indirectè & non nisi typicè hic agitur. Ad 4. mysterium electionis in hoc capite explicari non negamus, sed (uti sæpè diximus) non quasi ex professo, propriè & directè, verùm typicè & occasionaliter, ut ex analysi constat. Et sic D. Augustinus interpretatur lib. quæst. in genes. quæst. 73. Solet & sic intelligi, inquit, quod dictum est (nimirum, duæ gentes in utero tuo sunt &c.) ut in Esau figuratus sit major populus Dei, hoc est, Israeliticus secundùm carnem, per Jacob autem figuratus est ipse Iacob secundùm spiritualem progeniem &c. Item: Spirituali intelligentia carnales in populo Dei significentur per majorem filium, & spirituales per minorem.

QUÆSTIO II.

Si Deus odit Esavum, numquid eum damnatum fuisse censendum est? nam quos Deus odit, hos à facie suà abjecit?

Resp. Ita sentire necesse est eos omnes, qui odium illud de absoluto Dei odio interpretantur, quo Deus rejecit Esavum ab omni suâ gratia ac gloria. Ex qua interpretatione illud sequitur, Esavum sine omni suo merito damnatum esse, quia Deus eum sine omni suo merito odisse dicitur, quod justitiæ Dei inprimis adversum est. Verùm enim verò, su-

pra

prà satis superq́ demonstratum fuit, odium illud non includere æternam rejectionem, sed posthabitionem & exclusionem temporalem à privilegijs externis. Etsi itaque non negamus, Esavum multis modis fuisse impium ac profanum, ut eum scriptura nominat Hebr. 12, 16. in fratrem etiam & parentes injurium: scriptura tamen non meminit, ipsum damnatum esse: sed pœnitentiæ signa non obscura sunt, quòd cùm ipsi prærepta esset primogenitura, non tamen omnem de benedictione paterna curam abecit, sed magna animi ægritudine eam quæsivit, fratrem in gratiam recepit, parentis sepulturam unà cum fratre Iacobo procuravit, fratri spontè cessit, quoad hæreditatem, in qua ipsi terram Chanaan reliquit, reservatis sibi montanis Seir. Gen. 27. 33. 35. 36. Ex quibus omnibus, præsertim ex sepultura patris, colligit Lutherus super cap. 35. Gen. Est signum certum rediisse eum in gratiam cum fratre, & se adjunxisse veræ Ecclesiæ, ut fieret particeps promissionis spiritualis, si non ex promissione, tamen ex gratia: sicut nos gentes recipimur in gratiam, non ex promisso, sed ex misericordia. Hæc Lutherus. Scribit quidem autor Epistolæ ad Hebr. cap. 12, 17. ipsum pœnitentiam etiam cum lacrymis quæsitam non invenisse, sed pœnitentiam patris intelligit, non Esavi: parens enim Isaacus nullis precibus flecti poterat, ut benedictionem Iacobo jam datam retractaret. Nolumus igitur Esavum damnare: quem scriptura nondum damnat. Potuit nihilominus typus esse reprobationis posterorum, quatenus nimirum sensus historicus sensum includit mysticum: & quemadmodum possessio terræ Chanaan typus erat hæreditatis cœlestis: ita rejectio Idumæorum à terra Chanaan, est typus exclusionis reproborum ab æterna felicitate.

QUÆSTIO III.

Cum Electio non facta sit secundùm opera, sed simpliciter ad beneplacitum ac misericordiam Dei vocantis referatur, juxta illud: antequam boni vel mali quid egissent &c. &, miserebor cujus misereor: item, non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis &c. numquid rectè hinc concluditur, Electionem filiorum Dei ad vitam esse absolutam, non ordinatam.

Resp. *Ita ex hoc loco inferunt Calviniani, Absolutæ Prædestinationis architecti, inter quos Paræus ita scribit dub. 6. in hoc cap. Cùm electio non sit ex operibus, nec ex fide, sed ex solo vocante Deo: rectè absoluta dicitur, hoc est, non aliunde pendens, ut à caussa movente Deum in electionis consilio, nisi à Dei voluntaria misericordia & εὐδοκία. Hæc ille. Idem habet Polanus syllog. disp part, 2. de prædest. p. 664. Calvin. lib. 3. instit. cap. 21. §. 7. &c.*

Contra absolutum Calvinianorum decretum.

Sed ut hic πολυθρύλλητος & æquè absurdus ac impius error Calvinianorum solidè & compendiose refutetur; 1. distinguendum est inter caussam impulsivam respectu electionis nostræ & respectu missionis filij in carnem. Si quæritur, quidnam Deum impulerit, ut mitteret filium suum in carnem; respondetur, nihil aliud, quam gratuita Dei φιλανθρωπία sive εὐδοκία, excitata tamen extrinsecus miserijs generis humani post lapsum. Vicißim si quæritur, quidnam Deũ

impu-

impulerit, ut eligeret aliquos ad vitam æternam, hic profectò non in sola Dei εὐδοκίᾳ adquiescendum est; ea enim ad voluntatem antecedentem, electio ad consequentem pertinet; illa est omnium hominum, electio paucorum: Sed includendum etiam meritum Christi, quod caussam impulsivam nostræ Electionis rectè appellamus: Elegit enim nos in Christo Eph. 1, 4. Quemadmodum igitur in missione Filij caussa interna, impellens Deum ad faciendum decretum, est φιλανθρωπία ejus, externa est miseria generis humani: ita in Electione caussa interna impellens Deum est ejus misericordia, gratis enim elegit nos ante jacta fundamenta mundi; externa est meritum Filij sui, in quo electio facta est. 2. In negotio Electionis alia ratio est operum, alia fidei. Absq; respectu operum facta est Electio, ideò non propter opera, sed propter Christum dicimur electi, hoc est, per fidem in Christum, ut habet glossa Theophylacti super hunc locum: nam in Christo non absolutè considerato, sed fide apprehenso facta est electio, sine qua fide Christus noster non est: idcircò, quemadmodum in Christo Eph. 1. ita in fide veritatis electi dicimur 2. Thes. 2, 13. non autem propter *fidem, ut falsò nobis affingunt adversarij. Apparet ex his paucis, Electionem nequaquam esse absolutam, sed ad certum ordinem determinatam: qui ordo includit Christum cum omni suo merito, includit fidem, qua Christi meritum amplectitur, includit verbum & Sacramenta, quibus mediis Deus nobis electionis beneficium offert, & fidem confert: hæc autem omnia includuntur, non quatenus actu jam erant, cùm fieret Electio, ea enim ab æterno facta est: sed quatenus Deus in eligendo respectum ad istum ordinem habuit, extra quem neminem eligere vel salvare constituit. Nam oportebat aliquid esse, quo terminaretur Dei electio in hominibus. Homines enim quatenus homines sunt, eligi non possunt; alioquin omnes eligerentur,*

Ordo in Electione quid includat.

gerentur, cùm omnes quo ad substantiam suam sint æquales, ex eâdem massa formati. Sed aliud quippiam est in homine, quod intuetur Deus: idq; esse potest vel opus proprium in homine, quod negat hic Apostolus; vel extra hominem opus alienum, quod tamen certo modo fit nostrum, idq; est meritum Christi fide apprehensum. Et hoc est tanti pretij, ut ejus intuitu Pater æternus ex mera misericordia homines eligat ad vitam æternam. Quod ergò D. Hieronymus de salute scripsit, hoc nos de electione, tanquam decreto salutis rectè usurpamus, ex epist. 150. ad Hedibiam in resp. ad quæst. 10. Non salvat Deus irrationabiliter, & absq; Iudicij veritate, sed caussis præcedentibus, quia alij non susceperunt Filium Dei, alij verò recipere sua sponte voluerunt. & August. lib. 2 de bono perseverant. cap. 14. an quisquam dicere audebit, Deum non præscisse, quibus esset daturus ut crederent? aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quenquam? quæ utiq; si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur &c. 3. Deniq; quòd Paulus Electionem simpliciter ab homine removet, & misericordiæ DEI vocantis adscribit, non ideò facit, quasi nullum in homine ordinem attenderit, sed quia hic duntaxat primam & supremam Electionis nostræ caussam exprimere & commendare voluit, nimirum gratuitam DEI misericordiam, liberam ab omni carnalis generationis privilegio, ut & ab omni hominum merito. Quem verò ordinem in electione servet, hic non persequitur; attingit hoc infra v. 30. & Eph. cap. 1, 4. 2. Thess. 2, 13. 2. Tim. 1. 9. &c. Malè igitur ex hoc loco absolutum DEI decretum struitur,

tur, ex quo opera unà cum fide & universo CHRISTI merito excluduntur. Das heist das Kind mit dem Bade ausschütten. *Siquidem ineptè & planè ἀσυλλογίςως concluditur: operum humanorum merita non sunt caussa Electionis; ergo nulla alia est caussa, quàm pura puta & absoluta Dei εὐδοκία. ἄτοπον.*

QUÆSTIO IV.

An reprobatio damnatorum facta est absq; prævisione malorum operum aut infidelitatis in reprobis, quia dicit Apostolus, DEVM Esavum odio habuisse, antequam mali aliquid fecisset: an verò dicendum est, infidelitatem & impœnitentiam aliquam reprobationis caussam esse?

Resp. Neminem Deus reprobavit absq; prævisione infidelitatis & impœnitentiæ, id quod sancta fide tenendum est, & probatur his rationibus. 1. quia reprobatio est actus Dei judiciarius, quo pœna reprobis infligitur; & pertinet ad voluntatem Dei consequentem, cujus decretum extat Ioh. 3. qui non credit in filium, jam judicatus est: nemini autem pœna decernitur, nisi ob peccata, quia alienum est à virtute DEI, eum condemnare, qui puniri non debet, Sap. 12, 15. 2. eadem ratio est decreti & executionis, quia justus judex non habet aliam caussam puniendi & aliam pœnas decernendi: sicut ergo propter peccata damnan-

damnantur homines, ita propter peccata à salute æterna reÿciuntur. 3. D. Paulus in hoc cap. dicit, Deum odisse Esavum; quod si ae displicentia Dei accipis, locum habet illud Augustini, non odit Deus Esavum hominem, sed Esavum peccatorem. libr. 1. ad Simplician. quæst. 2. ergò non absolutè, sed propter prævisa peccata odit Esavum. 4. Deus reprobos indurare dicitur; nemo autem induratur, nisi propter antegressa peccata: induratio enim est pœna peccati. 5. reprobi expressè nominantur vasa iræ, quæ Deus multa patientia sustinuit: Deus autem nemini irascitur, neminem tolerat, nisi quem peccatorem noverat. 6. Caussa reprobationis Judæorum manifestè exprimitur ab Apostolo, nimirum infidelitas cap. 11,20. & vana legis gloriatio cap. 9, 31. Quæ omnia satis firmiter concludunt, caussam reprobationis non in absoluta Dei εὐδοκίᾳ quærendam esse, sed in hominis malitia & infidelitate: quæ adeò firma sunt, ut ne quidem Paræus ea, maximā partē, negare ausit. Habet tamen quod obÿciat, pro absolutó suo reprobationis decreto, dub. 8. in hoc cap. 1. quia Apostolus, sicut à Iacobo bona opera, ita ab Esavo mala opera excludit, v. 11. 2. quia & misericordiæ & indurationis caussa ponitur, sola Dei voluntas v. 18. 3. quia simile de figulo ostendit solam DEI potestatem esse caussam faciendi ex hominibus quidlibet pro lubitu v. 21. 4. quia omnes homines sunt peccatores: Si ergo peccata essent caussa reprobationis, sequeretur, omnes esse reprobatos, neminem electum. 5, quia Christus expressè aliquorum excæcationem tribuit divino beneplacito, Matth. 11. Ad singula pauca. Ad 1. respondeo: non est eadem ratio bonorum & malorum operum. Jlla enim sunt imperfectè bona, hæc perfectè mala: sicut ergò ista non ingrediuntur negotium justificationis; ita neq; negotium Electionis: vicissim, sicuti propter mala opera damnantur reprobi, ita etiam

propter

Propter mala opera reprobantur. Quod autem Apostolus ab Esavi rejectione opera removet, id de actualibus potissimum peccatis interpretatur Augustinus Epist. 105. ad Sixtum: Quid diligebat in Iacob, inquit, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? & quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Ad 2. ponitur quidem Dei voluntas, sed quia est justitiæ voluntas, non excludit caussas propinquiores reprobationis, de quibus licèt hic non expressè agatur, non tamen obscurè innuuntur, ut pătet ex argumentis pro parte negativa productis. Quem autem Deus velit indurare, & cujus velit misereri, alibi luculentiùs docetur: Christus hoc generali aphorismo comprehendit Ioh. 3, 18. Qui credit in filium, non condemnatur: qui verò non credit, jam condemnatus est. Ad 3. simile de figulo non ad caussas reprobationis vel electionis, sed tantùm ad liberrimam Dei potestatem applicandum est. Nihil enim in isto simili de caussis electionis aut reprobationis agit Apostolus, sed ostendit duntaxat, quid Deus eo in genere, vel jure facere possit, vel de facto faciat, ob caussas alibi expositas: ulteriùs si extendatur simile, claudicare incipit, imò omnem gratiam & valorem deperdit.

(Simile de figulo discrepat 1. in eo, quia figulus facit utriusq; generis vasa: Deus vasa iræ non facit. 2. figulus pro arbitrio hanc distinctionem inter vasa invenit: Deus autem gravi consilio. 3. figulus delectatur vasis utriusq; generis: Deus autem vasa iræ tolerat, tantùm abest, ut ijs delectetur.)

Ad 4. non sola peccata in considerationem veniunt, quando de caussis reprobationis disputatur, sed perseverantia in peccatis seu finalis impœnitentia. Quemadmodum enim non fides, sed perseverantia in fide salvat

Matth. 10. ita non infidelitas simpliciter, sed perseverantia in ea damnat. Ad 5. ἐυδοκία Dei in excæcandis quibusdam, non est simplicis & absolutæ voluntatis; sed voluntatis judiciariæ, quæ respicit ad antegressa peccata, contemtum verbi, neglectum Filij, & similium mediorum, quibus illuminari poterant. Deus itaque, quemadmodum habenti dat, ita non habenti aufert, quod habere videbatur. Nam ut Prosperi sententia habet; gratia Dei non priùs eos deseruit, quam ab eis desereretur; in respons. ad capit. Gallorum. Stat igitur nostra sententia contra dogma Adversariorum: pro quâ sententiâ nostrâ concludimus tandem cum D. Augustino lib. 3. contr. Julian. cap. 18. Bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia justus est; & epist. 106. Si Deus quenquam immeritum damnaret, immunis ab iniquitate non creditur.

QUÆSTIO V.

Cùm Paulus scribit: Non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis: nunquid voluntati aliquam cooperationem tribuit in Spiritualibus: ita enim sentire videtur, quasi homo incipere possit benè velle, & benè currere, Dei verò superveniens misericordia bonum illud initium perficiat?

Resp

Resp. Ita quidem olim Semipelagiani & Synergistæ hunc locum accipiebant : sed contradicit ipse Apostolus, qui alibi & velle & perficere Deo adscribit. Phil. 2, 13. Quando igitur homo velle & currere dicitur, id intelligi potest de externa illa voluntate atq; desiderio quod scriptura tribuit etiam non renatis, ut quòd famam & sitim habere dicuntur audiendi verbum, & currere à mari usq; ad mare, quærentes verbum Dei, Amos 8, v. 12. quòd Felix D. Paulum ad se accersit, auditurus verbum Actor. 24. quod Paulus Sergius Proconsul desiderabat audire sermonem Dei Actor. 13. &c. Sed hæc externa saltem pædagogia est, quæ in se & quantum ab homine proficiscitur, salutaris non est: sed necesse est, Deum gratuita suâ misericordiâ accedere, & auditui illi gratiam ac efficaciam largiri, ut fiat salutaris, & ad conversionem utilis. Nihil enim ad sui conversionem aut salutem facere aut cooperari potest homo; sed ibi habet se purè passivè, quem, cùm ex seipso neq; adsensum, neque voluntatem assensus haberet, Deus ex mera suâ gratiâ per illum verbi auditum volentem facit, & adsentientem. Potest etiam illud velle & currere intelligi de hominibus renatis, qui quidem post conversionem suam Deo cooperari possunt, nihil autem merentur, partim quia valdè languidus & imperfectus est ille cursus ac voluntas illa, partim quia non ex arbitrij sui viribus, sed ex mera Dei gratia vim illam cooperandi habent: proinde & ibi locum obtinet illud Apostoli nostri: Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis.



QUÆSTIO VI.

Deus, cujus vult, miseretur, & quem vult indurat, inquit Apostolus v. 18. ergò duntaxat aliquorum vult misereri? Quid autem est, quod Apostolus alibi scribit: Deus vult omnes salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire 1. Timoth. 2, 4. & iterum: conclusit omnia sub peccatum, ut omnium misereretur Rom. 11, 32?

Resp. Paræus dubio 15. hæc dicta ita conciliat, ut universalitatem illam Paulinam, (ut omnium misereretur, vult omnes salvari,) *restringat tantùm ad electos, quasi sensus sit: Deus vult omnium misereri, omnesq; servari, hoc est, ex omni hominum genere & ordine omnes electos, ita ut nulli serventur, qui non misericordia Dei fuerint servati. Sed hoc est torquere scripturam, non interpretari. Nititur autem illa glossa distinctione in singula generum & genera singulorum, quam adversarij ex Fulgentij libr. de incarnat. cap. 31. mutuò sumtam, tanquam unicam suam amplectuntur. Sed, nisi de voluntate consequente ac judiciaria accipiatur multis nominibus falsa est.*

Primùm enim pugnat cum manifesto textu 1. Timoth. 2. qui licèt jubeat pro singulis hominum ordinibus preces fundere, non tamen dicit, DEUM velle quosdam ordines salvare, & sic tantùm quosdam ex omnibus hominibus; sed omnes simpliciter homines:

idcirco

idcircò vocatur salvator omnium hominum, maximè fidelium 1.Tim.4, 10. 2.arguit ista distinctio Deū hypocriseos, quasi aliud verbis testetur de omnib9; aliud corde occultet, de quibusdam. 3. pugnat cum consolationibus omnibus, quæ ex universalitate promissionum conscientijs afflictis dari possunt; hac verò distinctione tolluntur, siquidem nemo certus esse possit, num & ipse inter quosdam *illos sit, quorum Deus misereri dicitur. 4. pugnat deniq; cum missione filij Dei, quâ Pater æternus voluntatem suam erga nos declaravit. Illa enim non spectat ad certum quoddam genus hominum, sed ad omnes promiscuè Ioh. 3. 1. Tim. 4 1. Ioh. 2, 2. Præterea, qui sint illi OMNES, quorum Deus misereri dicatur, non est opus divinatione. Ex ipso textu Pauli liquidum est: omnes nimirum, qui peccaverunt: quemadmodum igitur omnes tangit miseria, ita & ad omnes pertinet Dei misericordia; Quò refer similia loca Rom. 5. v. 18. seqq. Sap. 11, 24. Sir. 18, 12. Transeat ergò glossa Calvinistica, quæ dicta illa Apostolica conciliare non potest.*

Potest autem istorum locorum collatio alia ratione institui, & quidem gemina. 1. *D. Paulus cap.11. hujus Epistolæ loquitur de facto, quòd nimirum Deus misertus sit totius generis humani in peccatum prolapsi; hic verò adserit D E I jus, quòd nimirum pro liberrimâ suâ potentia, nemine contradicente misereri possit, quorumcunq; velit, sive omnium, sive aliquorum; quam eandem potestatem etiam habet indurandi eos, prout vult, sive omnes, sive aliquos: omnes enim invenit æquales, hoc est, peccatores. 2. Altera conciliatio petitur ex distinctione inter voluntatem Dei antecedentem & consequentem. Voluntas Dei antecedens universalis est, attingens omnes ex æquo homines, & tàm latè patet, quàm latè patet miseria. Sic Deus utiq; omnium miseretur,*

omnium eſt ſalvator, omnes vult ſalvari omnibus dedit filium &c. Voluntas conſequens reſtricta eſt ad fideles vel infideles, & ſic vult ac decernit miſereri fidelium, qui & miſericordiæ divinæ actu fruuntur, & ſalutaris ejus effectus, æternæ nimirum ſalutis ſoli fiunt participes: indurare verò vult impios & impœnitentes, qui oblatam miſericordiam adſpernantur, quibus hanc impœnitentiæ ſuæ pœnam in verbo ſuo interminatus eſt Eſa. 6. &c. In hoc ergo loco loquitur Apoſtolus de voluntate conſequente; in cap. 11. de antecedente.

QUÆSTIO VII.

Quo ſenſu Deo tribuitur induratio, ut ipſe autor peccati non ſit, cùm tamen Induratio peccatum ſit?

Reſp. Juduratio tripliciter conſiderari poteſt. 1. ut peccatum. 2. ut cauſſa peccati. 3. ut pœna peccati. Prioribus duobus modis non tribuitur Deo, ſed Diabolo, & malæ hominis voluntati: poſtremo autem modo Deo tribuitur. Is enim indurare hominem dicitur. 1. ſubtrahendo ei gratiam, ubi cor natura durum invenit, ſed non corrigit aut emollit, verùm ita relinquit, quia homo corrigi & emolliri noluit. Sed ais; cur illos emendari aut emolliri nolentes, non facit volentes, cùm poßit? Illud vel impotentiæ vel negligentiæ, vel invidiæ culpa eſt, ait Paræus dub. 16. in hoc cap. Sed abſit, ut Deo ullam culpam impingamus. Tunc demum illud obÿciatur, ſi evictum fuerit, Deum ad hoc TENERI, ut emolliat nolentes: hoc verò Deus, licèt poßit, tamen nemini debet; ideò excuſatus eſt, licèt non faciat. Facit autem ea in re ſat multa, dum

Deus quomodo indurare dicatur.

dum neminem suâ gratiâ deserit, nisi ab eo priùs aliquoties fuerit desertus, in cujus contumaciæ pœnam duritiem illam hominis indurati relinquit. 2. Deus indurare dicitur tradendo hominem Satanæ, tanquam executori justitiæ divinæ: nam cùm deserimur à DEO, tradimur Diabolo, inquit Chrysostomus homil. 68. in cap. 12. Iohan: id quod exemplum Saulis & Iudæ testatur 1. Sam: 16. Job. 13, 27. 3. indurat etjam Deus permittendo hominem naturâ malum, & vitio suo contumacem cupiditatibus suis, quam interpretationem agnoscit scriptura Psal. 81, 13. Act. 14, 15. & ex scripturâ B. Lutherus tom. 3. lat. Ien. pag. 206. Deus Pharaonem induravit, dum illum per verbum Mosis velut regnum oblaturi, invasit, & intus Spiritum non dedit, sed ipsius impiam corruptionem permisit Satanæ regnanti succensere, intumescere & procedere cum securitate quadam & contemtu. Non autem intelligimus permissionem nudam, quæ Deum faciat otiosum scelerum spectatorem, sed ut sæpè declaratum fuit, talem permissionem, quæ scelera ipsa detestatur, prohibet, impedit, & furenter ruentes ad suam ipsorum perniciem, ab interitu revocat, & tandem redire nolentibus limites ponit, ultra quos non grassentur; deniq; etiam fines salutares constituit, sine quibus Deus ullum delictum nunquam permitteret. Plura ad hanc quæstionem pertinentia vide suprà cap. 1. part. 3. quæst. 8.

QUÆSTIO IIX.

Licetne dicere, Deum apparasse vasa iræ ad interitum, quemadmodum vasa misericordiæ præparavit ad gloriam?

Resp. Ita quidem totis viribus contendit Paræus in comment.

comment. super hunc locum pag. 854. & 977. 978. ubi aliquoties repetit, Deum omnes tyrannos justissimè excitare, hoc est, creare ad hoc ipsum, ut in eis potentiam suam ostendat, & gloriam suam in eorum justissima perditione illustret. Item: Deum quosdam homines reprobare à gratia, ut essent vasa iræ coagmentata ad interitum: item, Deum vasa iræ præparasse, condidisse, ordinasse ad interitum. Et hoc communis Calvinianorum doctrina est: sed oppidò impia ac blasphema, Apostolo nostro penitùs ignota: qui quidem vasa misericordiæ à Deo apparata dicit in gloriam, de vasis iræ autem indefinitè ait, quòd sint apparata, haud dubiè non reticuisset, si quoquo modo illam κατάρτισιν ad Deum autorem atque conditorem referendam esse censuisset: quod unum est. 2. Deus hunc finem in creatione nunquam intendit, ut aliquos saltem conderet ad vitam, aliquos ad interitum, sed vidit Deus omnia, quæ fecerat, & erant valdè bona Genes. 1. ad imaginem suam condidit hominem, non ad interitum: invidiâ autem Diaboli mors & interitus introivit in mundum Sap. 2, 24. 3. Paulus hoc loco non de fine creationis loquitur, quasi quidam ad iram, quidam ad gloriam fuerint conditi: sed de diversis finibus hominum sub Christo, quòd nimirum, quia homines Christo non æqualiter utuntur, quidam recipiunt eum, quidam rejiciunt, inæqualis etiam est ipsorum exitus, quorundam vita atque gloria, quorundam interitus ac ignominia: vitæ atque gloriæ autorem habent Deum, is enim præparavit vasa misericordiæ ad gloriam: interitus ac ignominiæ autorem habent Satanam ac propriam suam voluntatem à Satanâ corruptam, juxta illud, Perditio tua ex te Israel, ex me autem salus Ose. 13. 4. falsissimum est, quod scribit Paræus, aliquos reprobatos esse à gratia, VT ESSENT vasa iræ, coagmentata ad interitum. Hoc enim

dogma

dogma nihil aliud infert, quàm malitiam hominum non esse caussam, sed effectum reprobationis, veramq; caussam non in homine, sed in Deo quærendam, absolutam nimirum Dei voluntatem atq; beneplacitum, quod pugnat cum universalibus illis promißionibus gratiæ. Nolo mortem peccatoris Ezech. 33. non vult Deus quenquam, perire 2. Petr. 3. neq; Deum justißimum ab injustitia vindicat, qui si quenquam immerentem puniret, immunis ab iniquitate non crederetur, ut Augustinus loquitur epist. 106. & deniq; fatalem peccandi neceßitatem reprobis importat: si enim ideò reprobati sunt à gratia, ut essent vasa iræ, non possunt non esse, quales sunt, tales enim à Deo facti, & ad hoc sunt reprobati; quas blasphemias ex dogmate Calvinianorum sequi, quilibet videt, qui non cæcus est: eas verò ab Ecclesiis nostris prohibeat Altißimus. Concludimus itaq; Deum nequaquam ad interitum condidisse hominem; multò minus ideò reprobavit, ut esset vas iræ: sed condidit eum inexterminabilem Sap. 2. & cùm ipsi omniscio etiam futura sint præsentißima, in prædestinatione impium vas iræ non fecit, sed invenit: proinde decrevit, ut ob finalem istam suam malitiam à gratia filiorum Dei excluderetur, quem, si ad frugem rediret, in numerum electorum libentißimè recipere voluisset. Et hac ratione dicitur impiũ fecisse ad diẽ malũ Prov. 16. quod non ad absolutam Dei voluntatem pertinet, sed ad eam, quam judiciariam & consequentem in scholis nominant: ex quo judiciario actu tres illi fines emergunt, quos Apostolus attingit in textu, nimirum 1. iræ Dei declaratio, hoc est, ut appareat displicere Deo impietatem & contumaciam hominum. 2. manifestatio potentiæ suæ, quòd nimirum major sit omnibus impijs & refractarijs, quos facilè in ordinem cogere poßit. 3. gloriæ suæ illustratio erga vasa misericordiæ, quæ in ista re-

Deus quomodo dicatur impium facere ad diem malum.

 proborum

proborum colluvie illibata conservare possit. Interitus verò reproborum non est propriè finis judicij divini, sed executio decreti.

QVAESTIO IX.

Si Deus in medio Ecclesiæ lapidem offensionis posuit, ut ex Esaia allegat Apostolus v. 33. an non ipse offendiculorum atq; lapsuum in Ecclesia autor erit?

Resp. Absit. Nulla hic in Deo culpa est. Lapis ille est Christus, ut in analysi textus explicatum est, de quo Simeon Luc. 2. v. 34. Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel. Hunc equidem Pater æternus posuit in Ecclesiam, non in hunc finem, ut offenderentur ruerentq; homines, sed ut erigerentur lapsi, & sustentarentur stantes: per accidens autem fit, & præter intentionem Dei, ut multi offendantur, secuti humanæ rationis consilium, cui omnia in Christo spreta sunt & abjecta. Duos igitur usus habet hic lapis: Vnus est primarius & à Deo intentus, salus hominum, de quo D. Paulus v. ult. omnis qui credit in eum, non pudefiet: alter est per accidens ex hominum vitio, lapsus nimirum & offendiculum multorum, eorum nimirum qui non credunt: Primus ex Deo, alter ex hominibus est.



Aphori-

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Promissiones Dei sunt æterna & immota veritas, proinde nunquam fieri possunt irritæ, juxta quam plurima scripturæ testimonia Psal. 33. Num. 23. Deut. 32. &c. modò rectè intelligantur. Quædam enim sunt de rebus temporalibus: & hæ semper fiunt cum inclusione crucis, quæ promissiones Dei non aufert, sed suspendit: quædam sunt de rebus æternis, & hæ semper fiunt cum conditione fidei & obedientiæ. Deficiente conditione, mirum non est, & ipsam deficere promissionem.*

2. *Promissio Seminis benedicti facta Judæis, erat mixta, includens etiam propagationem carnalem seminis Abrahamai. Quòd ad hanc, omnes Abrahami posteri promissionis ejus facti sunt participes, quia omnes secundùm carnem ejus erant filij; quo ad principalem verò partem, non omnes, quia non erant omnes filij promissionis, hoc est, fideles.*

3. *Quemadmodum filij Abrahami distinguuntur, ut alij sint secundùm carnem, alij secundùm promissionem: ita Christiani distingui possunt, quòd nonnulli sint filij carnis, hoc est, ex Christianis quidem parentibus nati, nihil autem habentes de fide Christiana, quales multi sunt in visibili Ecclesia: nonnulli verò filij promissionis, hoc est, qui credunt promissioni divinæ de Messia, & omnibus ijs, quæ in scriptura credenda proponuntur. Eodem pacto verus Israelita à vulgo sic dicto discernitur Ioh. 1,47. & Iudæus in aperto & occulto Rom. 2, 28.*

4. *Christiani non nascuntur, sed fiunt: fiunt autem*

per fidem: & hi sunt veri filij Abrahami, interprete Apostolo Paulo Gal. 3, 7. cognoscite, quòd qui ex fide sunt, filij sunt Abrahæ. Falsum itaq; est dogma Calvinianorum, quasi liberi Christianorum sancti nascantur & in fœdere: cui opponatur inter alia hoc etiam: Non qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui Filij promissionis, æstimantur in semine.

5. *Scriptura Mosaica est authentica, aliquoties à Paulo in hoc capite citata; cui fidei nostræ fundamentum committere tutò possumus: quod contra Ptolomaitas & Manichæos, & alios Mosaicæ scripturæ hostes observandum est, quorum meminit Epiphanius lib. 1. hær. 33. & Augustin. lib. 23. contr. Faustum cap. 2. Valeat enim hic illud Petrinum. Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, &c. 1 Petr. 2, 19.*

6. *Concubitus conjugalis in se non est vitiosus, sed ordinatio Dei: ideò Spiritus Sanctus hic honestam ejus mentionem facit v. 10. modò distinguatur à vitiosa concupiscentia, quæ per peccatum accessit. Notandus igitur hic locus est contra impuros Pontificios, qui matrimonium opus carnis appellare non verentur. Hic enim sanctus Patriarcha Iacob ut maritus in ipso maritali actu introducitur, cum quo cæterorum Patriarcharum exempla conferantur Genes. 5. &c.*

7. *Superstitiones genethliacorum, qui in astris hominum mores & humanarum actionum eventus quærunt, ex hoc loco Apostolico reprehenduntur ab Augustino lib. 2. de doctrina Christiana cap. 22. Horum certè dies*

atq;

atq; hora nascentium, inquit, aliter notari non posset, nisi ut amborum constellatio esset una. Quantum autem intersit inter amborum mores, facta, labores atq; successus, scriptura testis est.

8. *Inanis est gloria generis & stemmatis, nisi veritus accedat & favor inprimis divinus. Frustra enim Ismael jactat parentem Abrahamum, cùm & à gratia Dei & ab hereditate parentis exclusus sit: Videant itaq; qui nobili genere nati sunt, ne nudos duntaxat titulos jactent atq; stemmata: sed ipsi à Deo petant veram nobilitatem, & virtute inclarescere studeant. Nam, ut Poeta canit:*

Non velut in ramos ex imo stipite succus
Influit, in liberos sic orta parentibus ipsis
Descendit virtus.

9. *Propositum Dei de hominum salute non est ex hominum meritis, quemadmodum Pelagiani volebant: hoc enim D. Paulus ex professo refutat v. 11. sed si primam caussam respexeris, ex sola Dei gratia & misericordia, qui vocat ea etjam quæ non sunt: quiq; ex peccatore facere potest justum, & justificare impium, sicut in superioribus capitibus dixerat Apostolus noster.*

10. *Dissimilia liberorum ingenia sunt à Deo, à quo & petere debent parentes bonam liberorum indolem, animi pietatem, & morum elegantiam, quam per educationem honestam dare vult Dominus: proinde ea quoq; in genere nihil in se desiderare patiantur parentes, juxta admonitionem Apostolicam Eph. 6, 4.*

11. *Non est injustitiæ, quòd Deus hominum aliquos ad salutem destinat, aliquos damnationi adjudicat, omnes enim æquales invenit, damnandos omnes, si strictum ius persequi voluisset. Prædicamus itaq; Dei misericordiam, qua prævenit-*

nit cadentes, non scrutemur extra verbum judicium, quo deserit lapsos.

12. *In negotio salutis non inhaerendum est in sola voluntate & decreto Dei, nihil enim facit absque caussa, ita neque decretum ullum absque caussa est: sed decretum salutis propter Christum fide apprehensum, decretum damnationis propter infidelitatem ac impoenitentiam; ita enim voluntatem suam in verbo nobis revelavit.*

13. *Nemo succenseat alteri, quòd inter eos, qui pares esse videntur, aliqui extolluntur, aliqui deprimuntur. Hoc enim à Deo est, qui liberrimam habet potestatem faciendi cum creaturis suis quid libet: is est, qui respexit Iacobum, neglexit Esavum; ipse etiam est, qui hunc humiliat, & hunc exaltat Psal. 75, 5. Quisquis igitur sorte sua contentus non est, cum Deo frustrà litigat.*

14. *Scriptura Prophetica est norma fidei: ex ea enim D. Paulus, licet ipse in tertio coelo audierit magnalia Dei, non dubitat probare gravissimum articulum de privilegijs Iudaeorum, quae habebant prae gentilibus: & passim in hoc capite ex scripturis Prophetarum os obturat ijs, qui in rejectione Iudaeorum, & receptione gentilium Deo obloquebantur. Facessat igitur impia vox Papicolarum, quasi nulla haeresis ex scriptura sufficienter refutari queat.*

15. *Scriptura est vox judicis: ideò Paulus ei sermonem tribuit;* dicit *scriptura, inquit v. 17. Blasphemant itaq; qui scripturam literam mortuam nominant, & propterea pro judice non agnoscunt, quia loqui non possit. Paulus enim loquelam ei tribuit, & qui conscientiam habet, audit omninò scripturae vocem arguentis peccata & comminantis iram Dei: idcirco sermo vivus appellatur Hebr. 4, 12.*

16. *Tyranni non quidem à Deo creantur, quatenus tyranni*

ranni sunt: Deus enim tyrannidem odit; quod autem odit, non creavit Sap. 11. interim tamen à Deo excitantur interdum tanquam flagella Dei, quibus filios suos castigat: quam ob caussam tyrannus Assyriorum vocatur novacula à Domino conducta Esa. 7, 20. Excitantur autem non priùs, quàm cùm videt Deus nihilominus ipsos malitia plenos, & tunc demum deserit eos suâ gratiâ, quando ab ipsis aliquoties desertus est, ut Augustinus loquitur.

17. *Multa concedit Deus tyrannis iratus, quæ negaret ipsis propitius. Concedit eis successum in malitia, & tam diu eos tolerat, donec mensuram impietatis impleverint, ibi tum gravior sequitur ruina, ut agnoscatur passim ubiq; in orbe terrarum, DEUM non esse otiosum spectatorem malitiæ, & longè potentiorem omnibus tyrannis in mundo, quorum malitiæ terminos ponit, quos cùm attigerunt, tarditatem pœnæ gravitate compensat.*

18. *Indurationis pœna est omnium gravissima: illa enim aufert omnem sensum peccati aut iræ divinæ. Non est autem gravior ira Dei, quàm non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia, inquit Cyprianus. Quotidiè itaque orandum est, ut Deus auferat cor lapideum, & det cor carneum: vicissim, ne auferat Spiritum sanctum à nobis, nec à facie sua nos proijciat. Cavendum etiam est, ne propria contumacia nos ipsos induremus. Nam certissimè credendum est, inquit Augustinus serm. 88. de temp. quòd Pharaonem non Dei violentia, sed propria iniquitas & indomabilis superbia contra Dei præcepta toties fecerit indurari.*

19. *Ratio compescenda est in mysterijs divinis: in quibus si quid non intelligimus, miremur, non rimemur,*

& creda

& credamus ut intelligamus, cogitantes exuendos esse calceos nostros, quoties cum Deo agere volumus, siquidem cogitationes Dei non sunt nostræ Exod 3. Esa. 55. Væ igitur, qui contradicit factori suo Esa. 45, 9.

20. *Figmentum Dei sumus v. 20. quæ vox admoneat nos fragilitatis nostræ: & in omnibus Deo nos subjiciat, in cujus arbitrio sumus cum omnibus quæ possidemus, sicut lutum in manu figuli Ier. 18, 6. Superbiæ cristas etiam deprimat: nam unde superbimus, cùm nil simus, nisi limus? Sir. 10, 10.*

21. *Ordo dignitatis inter homines non est inventum humanum, sed à Deo est, qui potestatem habet ex homine faciendi vas in honorem vel in ignominiam. Ipse enim varios inter homines posuit ordines, ex terra sunt omnes, unde & creatus est Adam, sed in multitudine disciplinæ separavit eos Sir. 33, 11. Orandus itaq; Deus est, ut faciat nos vasa gratiæ, in quæ effundat divitias donorum Spiritualium ad gloriam nominis divini & proximi utilitatem.*

22. *Vasa misericordiæ à vasis iræ differunt, quòd illa à Deo sunt præparata in gloriã v. 23. illa non à Deo, sed à Satana, à quo agitantur juxta lubitum suum, donec Deus feces iræ suæ in ea effundat, & tandem ipsa vasa in furore suo comminuat. Vasa misericordiæ sunt electi, vasa iræ sunt reprobi.*

23. *Ostensio iræ divinæ in vasa iræ præsupponit, quòd vasa illa à se mala sint & corrupta. Notum namq; est, iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse inquit Fulgentius lib. 1. ad Monimum.*

24. *Propria Dei virtus est μακροθυμία, quâ tolerat vasa iræ: & hoc medio ostendit, quod nolit mortem peccatoris, sed dat ei spatium pœnitentiæ, ut convertatur; quam Dei longanimitatem passim prædicat scriptura Esa. 30, 18. Luc. 13, 6, 7. Rom. 2, 4. 2. Petri 3. v. 9. Sap. 11, 24. 12, 10, 20. &c.*

25. Tole-

25. *Tolerantia malorum excusat Deum ab omni complacentia, & stabilit illud Psalmi 5, 7. odisti omnes qui operantur iniquitatē. Nemo enim, quod tolerat, amat, etsi tolerare amat: quāvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamē non esse, quod toleret, inquit Augustin. lib. 2. dulciloqv. cap. 19.*

26. *Ecclesia Novi Testamenti constat ex Judæis & gentibus: vocatio enim universalis est omnium, quod passim in Prophetis prædictum Esa, 40. & 49. item 60. & 65. &c. in Apostolis autem impletum, hic verò & passim alibi celebratum fuit, inprimis Eph. 2 2. Tim. 1.*

27. *Miserrima gentilium conditio fuit, cùm essent adhuc non populus: tunc enim erant sine Christo, alienati à conversatione Israel, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, sine Deo in mundo, Eph. 2, 13. convertebantur ad simulacra muta, prout ducebantur, 1. Cor, 12, 3. Quam miserrimam nostram sortem sæpè recordari debemus, ut excitemur ad seriam gratitudinem erga Deum, qui fecit ex non populo populum, & dignos nos fecit sorte sanctorum in lumine, & eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sui dilecti Col, 1, 13.*

28. *Electio filiorum Dei ad vitam non est universalis omnium simpliciter hominum, sive credant sive non credant: sed reliquiæ saltem salvæ fiunt ex Judæis & gentibus, ij nimirum qui apprehendunt Iustitiam fidei, cum quo alia scripturæ loca concordant Eph. 1. Iacob. 2. &c.*

29. *Iudæi licèt ab Ecclesia Christi sint rejecti, non tamen aditus ipsis omninò præclusus est, sed habet Deus suas reliquias inter ipsos, seu semen aliquod exiguum, de quo Zacharias præ reliquis vaticinatus est, cap. 8, 23: 2, 12. & Esaias cap. 65, 8. Proinde non impediendi sunt in suâ conversione, sed juvandi potius pro virili: quod quomodo fieri debeat, B.*

 Lutherus

Lutherus pulcrè docuit tom.8. german. Ienensi fol. 93.

30. Cœtus Electorum semper exiguus est in mundo, in collatione ad reprobos. Non igitur offendamur illa contemtibili Ecclesiæ facie, sed Deo gratias agamus, quòd inter tot furores Satanæ & mundi sibi reservat adhuc aliquos, qui nomen & verbum ejus honorant. Nisi enim ipse nobis reliquisset semen, verè facti fuissemus jam pridem sicut Sodoma & Gomorrha Esa. 1, 9.

31. Judæorum rejectio inprimis ipsorum incredulitati adscribitur, quòd operum Iustitiæ studuerunt, relicto Christo: gentilium autem receptio justitiæ fidei expressè fertur accepta. Iterum igitur habemus hic testimonium, non opera sed fidem justificare coram Deo; populumq; Dei à filiis alienis, electos à reprobis discernere.

32. Rei etiam optimæ abusus esse potest pessimus. Christum dedit Deus lapidem angularem, quo erigantur lapsi: ecce verò ex hominum malitia & Diaboli invidia fit Petra scandali & lapis offendiculi. Ita verbum in se est odor vitæ ad vitam, per accidens autem fit odor mortis ad mortem in reprobis, qui pereunt 2. Cor. 2, 16. Caussam illam per se intendit Deus, qui posuit hunc lapidem in erectionem lapsorum Esa. 28. Actor. 4. accidens illud est à Diabolo, qui mentes infidelium excœcat, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelij gloriæ Christi 2. Cor. 4, 4. Orandus igitur Deus est, ut destruat molitiones atq; opera Satanæ, ne finis ille salutaris, quem Christus per verbum suum quotidiè apud nos intendit, apud nos malitiosè intercipiatur.



CAPVT

CAPUT X,

Argumentum & Partitio Capitis.

DEPENDET hoc caput à precedente. Nam cùm Apostolus sub finem capitis superioris nonnulla attigisset de caussa, cur Judæi rejecti fuerint, nimirum non ex absoluto quodam Dei beneplacito, sed quia justitiam operum sectati sunt; & cur gentiles in peculium Dei recepti, nimirum, quia justitiam fidei quæsiverunt: jam plenius caussas illas exponit, addito ordine, quem Deus in procuranda justitia ac salute nostra observare solet; unde tandem infert, & scripturæ testimoniis probat, gentilium receptionem & Iudæorum rejectionem jure factam esse. Partes capitis constituimus duas.

1. Discrimen indicat justitiæ legis & fidei, quarum illam impoßibilem esse ad salutem ostendit: hujus verò facilitatem ex scriptura monstrat, omnia in hunc finem, ut Iudæos suâ culpâ gratiâ Dei excidisse doceat; quia non justitiam fidei, sed legis secuti sunt, usq; ad vers. 14.

2. Exponit ordinem, quem Deus in procurandâ gentium & Iudæorum salute observat; unde iterum patet justa Iudæorum rejectio, quia hunc ordinem non sequuntur: usque ad finem capitis.

PARS PRIMA
TEXTUS.

Ἀδελφοί, ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας, καὶ ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν Θεὸν, ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ ἐστιν εἰς σωτηρίαν.

1. FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.

Μαρτυρῶ γὰρ αὐτοῖς ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν.

Ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην, καὶ τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητοῦντες στῆσαι, τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν.

Τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς, εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι.

Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς.

Ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη οὕτω λέγει, μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν.

Ἤ, τίς καταβήσεται εἰς τὸν ἄβυσσον; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν.

Ἀλλὰ τί λέγει; ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματί σου, καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου· τοῦτ' ἔστι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν.

Ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου κύριον Ἰησοῦν, καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ.

Καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν.

2. Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem quidem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.

3. Ignorantes enim Iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.

4. Finis enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.

5. Moyſes enim ſcripſit, Quoniam juſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in ea.

6. Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum? id eſt Chriſtum deducere.

7. Aut quis deſcendet in Abyſſum? hoc eſt Chriſtum à mortuis revocare.

8. Sed quid dicit ſcriprura? Propè eſt verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.

9. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.

10. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.

12. Dicit

Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ, πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ καταισχυνθήσεται.

11 Dicit enim ſcriptura: O-
mnis qui credit in illum, non con-
fundetur.

Οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος· ὁ γὰρ αὐτὸς κύριος πάντων, πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν.

12. Non enim eſt diſtinctio Ju-
dæi & Græci: nam idem Dominus
omnium, dives in omnes qui in-
vocant illum.

Πᾶς γὰρ ὃς ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται.

13. Omnis enim qui invocaverit
nomen Domini, ſalvus erit.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

A*Poſtolus querelam de Iudæis inſtitutam continuaturus præmittit captationem benevolentiæ per novam quandam inſinuationem, ne videatur ex affectu aliquo minùs laudabili de ipſis conqueri. Dupliciter autem ſe inſinuat 1. pro ipſis intercedendo. 2. de ipſis teſtificando. De interceſſione ita loquitur, v. 1.* Fratres, *inquit; ita vocat Romanos, quos ad unitatem fidei converterat;* voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem. *Proteſtatur, ſe omnia ſincero animi adfectu de Iudæis ſcribere, quorum converſionem & ſalutem ſeriò exoptet, & pro ea ſolicitè oret. Facit itaque, quod ſincerum decet amicum; paulò antè propter interitum ipſorum contriſtabatur, jam ſalutem ipſorum precibus à DEO impetrare conatur. Teſtificatio eſt de zelo Iudæorum, quem habent in re ſalùtis,* Teſtimonium enim perhibeo illis, *inquit,* quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam, v. 2. *Removet ab ipſis profanitatem, quòd non ſint ex Epicureorum numero, qui in corde ſuo dicunt, Non eſt Deus, & tribuit eis ardentiſſimum ſtudium inquirendi Deum, & quo-*

modo placere possint ei: studium illud vocat ζῆλον Θεῦ. ζῆλος *vocabulum* μέσον *est, tam in bonam quàm in malam accipitur partem, pro zelo laudabili & vitioso: significat igitur in genere adfectum amoris ardentissimum in rem aut personam aliquam, cum proposito vindictæ erga adversantem. Hic in specie de Zelo Dei agitur, hoc est, de tali affectu, qui pro cultu divino pugnat. Interdum suis nititur caussis atque fundamentis legitimis, interdum caussam quidem habet, seu potius prætextum quendam, sed non fundamentum certum & talis Zelus præposterus est, qualis hic Judæorum erat, quem vocat Apostolus* ζῆλον ὀ κατ' ἐπίγνωσιν, *& rationem nominis addit versiculo mox sequente:* Ignorantes enim Justitiam DEI, & suam quærentes statuere, justitiæ DEI non sunt subjecti, v. 3. *Iustitiam DEI vocat justitiam fidei, quæ & justitia CHRISTI vocatur, quia justitia & perfectio Christi à DEO per fidem nobis imputatur. Iustitia Iudæorum huic est opposita, & significat meritum operum humanorum, quam vulgò justitiam operum vocant. Iustitiam fidei ignorarunt Iudæi, noluerunt enim per Christum, quem rejecerunt, justificari & suam operum justitiam voluerunt in judicio Dei accusationi legis opponere; (hoc enim est* ςῆσαι *constituere, quod verbum forense est, quia actus justificationis nostræ merè forensis est) ideo justitiam Dei seu coram Deo valentem impetrare non potuerunt: & sic* ζῆλος *Iudæorum, quem habuerunt in quærenda justitia, prorsus fuit* ἄζηλος. *Existimarunt enim Christum adversari justitiæ Dei, quem tantopere persequebantur, ex præpostero Zelo pro gloria Dei; cùm tamen extra Christum justitiam illam nuspiam invenire possent. Probat hoc v. 4.* finis enim legis est CHRISTVS, ad justitiam omni credenti. *CHRISTVM vocat finem legis,* Τέλος νόμε, *quæ vox quadrifariam exponitur ab inter-*

Zelus.

Iustitia Dei & justitia Iudæorum opponuntur.

Τέλος νόμε, finis legis, quid sit?

interpretibus. 1. de ultimo legis termino, quia Christus finem legi imposuerit, quod quidem de lege ceremoniali, quæ Christum repræsentabat, & de forensi verum est: nam lex & Prophetæ usq; ad Iohannem Matth. 11, sed de eo non agit hoc loco Apostolus. 2. de caussa non postrema latæ legis, nam in hunc finem exigit, urget, terret & accusat lex, ut necessariò confugiamus ad Christum, qua ratione lex pædagogus ad Christum vocatur Galat. 3. & ita quidem hic exponi potest, τέλος τοῦ νόμου: sed eam interpretationem non principaliter respexit hic Apostolus. 3. quidam de perfectione legis interpretantur, quâ Christus novas vires nobis largitur faciendi ea, quæ legis sunt: sed hoc ad sanctificationem pertinet, hic verò de justificatione agitur. 4. Restat itaq; ut τέλος de ea perfectione legis intelligamus, qua Christus præstitit omnia, quæ lex à nobis requirebat, nobis autem erant præstitu impossibilia: quo sensu Christus ipse dicit, se non venisse solvere legem, sed implere. Christus igitur est perfectio, consummatio, complementum, & impletio legis ad justitiam, vitam & salutem, quæ ex lege obtineri non poterat, & quidem omni credenti; fides enim est, quæ hanc Christi justitiam nostram facit, & quidem fides catholica, extendens se ad omnes, qui uspiam vel unquam salvati sunt. Hoc igitur concludere voluit Apostolus: Si nemo extra Christum legem implere, justitiam, vitam ac salutem æternam habere potest, Iudæi frustraneo & irrito præpostero q; zelo persequuntur Christum salutis autorem. Sed prius verum. Ergò & posterius. Hoc itaque fuit exordium capitis.

Jam principalem ejus partem aggreditur. Nam quòd extra Christum & ejus perfectam obedientiam

legi

legi præstitam nulla sit expectanda justitia, ulterius probat collatione justitiæ legalis & Evangelicæ, quarum illa nostram, hæc Christi *obedientiam fide apprehensam complectitur. Ex lege justitiam adquirere impossibile est: ex Evangelio verò non modò non impossibile, verùm etiam facile. Legalis justitia consistit in faciendo;* Moses enim scripsit, *ait Paulus noster v.5.* justitiam, quæ ex lege est, hanc esse, qui fecerit hæc, vivet in eis. *Adducit locum ex Levit.* 18, 5 *ubi de exquisitissima & absolutissima legis observatione agitur, quæ si in minimo deficiat, æternam maledictionem incurrit Deut 27, 26. quæq; non ab alio, sed ab homine ipso exigitur qui justitiam ex lege petit: talis verò observantia legis excedit omnium hominum vires. Evangelica verò justitia consistit in credendo: ubi jam impletum est, à Christo, nostro loco perfectissimè, quod lex à nobis requirebat, per fidem autem nostra fit impletio, nostra justitia. Talem igitur justitiam facilem facit Apostolus, non quòd fides in Christum res adeò facilis sit, sed quia homini non est impossibilis, & quia non magno sudore aut labore nostro est acquirenda, non vanis curis & speculationibus inutilibus investiganda. De quibus omnibus ita docet Apostolus v. 6.* Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit scriptura? propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus. *Mutuatur hæc verba ex Mose Deut. 30, 12. eaq; de doctrina Evangelij interpretatur. Docet enim ex illis duo: primùm, ubi quærenda sit justitia fidei? non supra vel infra nos, non in abscondita quadam voluntate Dei, hoc enim esset Christum quasi novum voluntatis di-*

vinæ

vinæ interpretem de cœlo detrahere, vel è mortuis revocare, ac si non jam antè nobis omnia sufficienter revelasset: sed juxta nos in verbo revelato, quod inter nos prædicatur & à nobis auditur, & propterea verbum fidei vocatur, quia in eo fides in CHRISTVM nobis annunciatur, & per illud fides confertur, & non nisi fide intelligitur. Deinde docet, quidnam justitia fidei complectatur, nimirum, fiduciam cordis & confessionem oris: Quia si confitearis in ore tuo DOMINUM JESVM, & in corde tuo credideris, quòd DEVS illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Vbi 1. *notetur objectum fidei, nimirum Dominus JESVS & resurrectio ejus: Respicit Apostolus haud dubiè ad ea, quæ jam modò dixerat, non esse opus, ut justitiam nostram coram DEO valentem quærentes, ascendamus in cœlum, ad deducendum justificatorem nostrum; jam enim CHRISTVS IESVS propter salutem nostram descendit: neq; ut descendamus in profundum, ad revocandum eum; jam enim resurrexit à mortuis, & nos molestijs illis omnibus sublevavit. Idcircò adventum ejus in carnem, & resurrectionem à mortuis, ut objecta fidei in CHRISTVM hic ponit, tanquam duo extrema, quæ intermedia omnia ad meritum Christi pertinentia includunt. 2. notetur finis fidei, quem D. Petrus nominat salutem animarum 1. Petr. 1. Finis iste in hoc loco & fidei cordis & confessioni oris tribuitur; Fidei, ut instrumento unico apprehendenti justitiam Christi salvificam; Confessioni verò, tanquam externo signo fidem & salutem nostram coram hominibus publicè declaranti. Quòd autem in v. seq. 10. justitiam tribuit fidei cordis, & salutem confessioni oris:* Corde credimur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem: *non idcò fit, quòd justitiam &*

ſalutem dirimere, & ut diverſum effectum, diverſæ virtuti attribuere voluerit, ſed cauſſam & ſignum, item gradus ſalutis noſtræ diſtinguere voluit. Fides cauſſa; confeſſio ſignum eſt: juſtitia gradus ſalutis ſeu incoata ſalus eſt, quæ propriè fidei tribuitur, quia fides cauſſa inſtrumentalis eſt, apprehendens juſtitiam & ſalutem. Salus conſummata juſtitia eſt, & confeſſioni tribuitur, quia illa publicè profitetur verum æternæ ſalutis candidatum. 3. notetur ſubjectum fidei & ſalutis, nimirum univerſus credentium chorus, ex quocunq; ordine hominum. Dicit enim ſcriptura, (*inquit Paulus v.11.*) omnis qui credit in eum, non confundetur: *qui locus ex Eſa.28, 16. juxta verſionem LXX. interpretum, magis quo ad ſenſum, quam, quoad verba citatur, & expreſſè docet, fidem, de qua agit Apoſtolus, non eſſe ſimplicem notitiam aut adſenſum, ſed certam fiduciam in Chriſtum. Quod autem univerſaliter jam dixerat de omnibus, jam in partes illas duas diſſeſcit, in quas ſcriptura paſſim totum mundum diſtribuit, nimirum in Judæos & gentes:* Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in eos, qui invocant eum. *Invocationis voce confeſſionem exprimit: eſt enim invocatio numinis divini, ſpecies confeſſionis alicujus. Et hanc quoq; omnibus tribuit autoritate loci Prophetici ex Ioele cap. 2, 32. Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit,*

Paraphraſis hujus partis.

VTut autem Iudæos graviſsimè lapſos ſcio, cariſsimi, meum tamen erga ipſos adfectum nondum depoſui, ſed ex animi ſententia pro ipſorum ſalute apud Deum meum intercedo. Fateor enim, quòd non

non ſint ex illis Epicuri de grege proci, qui neque Numinis divini, neque propriæ ſalutis curam ullam habeant: ſed magno cum zelo pugnant pro juſtitia legis, quam tantoperè jactitant, ita ut & propterea Chriſtum perſequantur, quia legi adverſari videatur. Atqui præpoſterus hic planè zelus eſt, qui ipſos à ſpe juſtitiæ coram Deo valentis dejicit. Neſciunt enim, quæ ſit illa juſtitia, quam Deus acceptare vult: ideò interim ſuam, quam ex legis qualicunque obedientia habent, coram judicio Dei ſiſtere, & Deo obtrudere ſatagunt: cùm tamen certum ſit extra Chriſtum illam, quæ coram Deo conſiſtere poſsit, juſtitiam inveniri non poſſe. Chriſtus enim perfectè præſtitit ea, quæ legis ſunt, ut omnes qui hanc ſuam obedientiam fide ſibi applicant, juſtitiam veram conſequantur. In lege verò Moſaica juſtitia nulla reperitur. Ea enim vitam quidem promittit, ſed perfectiſsimè præſtantibus ea, quæ legis ſunt, quod nulli hominum poſsibile eſt. Sed juſtitia Chriſti vitam & promittere & dare poteſt, promittit enim credentibus in ipſum. Idcircò juſtitia legis non ſaltem difficilis, ſed & impoſsibilis eſt: juſtitia autem fidei non modò non impoſsibilis, ſed & facillima eſt, quia Dei beneficio nobis non eſt incognitum, ubi ea quærenda, & quomodo impetranda ſit. Teſtatur namque ſcriptura, ad conſequendam juſtitiam & ſalutem non opus eſſe, ut Chriſtum Iuſtificatorē noſtrum vel è ſedibus ſupernis, unde jam pridem ad nos deſcēdit, vel ex ſedibus infernis, unde jam pridē ad nos redijt, quaſi aliunde accerſamus: non enim abſcondita nobis eſt juſtitia Evangelij, ſed patefacta in Chriſto

per verbum Evangelij, quod inter nos prædicatur & auditur. Ex eo fidem in Christum accipere possumus, quam cùm non tantum in corde latere patimur, sed & externa confessione testamur, nihil de justitia ac salute nostra nobis dubitandum est. Neque hic quispiam exclusus est, ex quocunque sit populo, Iudæus sit sive gentilis: scriptura enim omnibus in Christum credentibus, & nomen ejus fideli pectore ac ore invocantibus salutem promittit æternam.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Si verum est, quod Paulus ex Mose citavit: Qui fecerit legem, vivet in ea; quomodo alibi scribere potuit, non esse datam legem, quæ posset vivificare, Gal. 3. 21?

Resp. Pererius ut hæc Pauli loca conciliaret, existimavit disp. 1. in cap. 10. Rom. num. 4. verba illa; Vivet in ea, *non intelligenda esse de vita æterna, sed temporali, jucunda ac tranquilla, ut hic sensus verborum sit; qui legem impleverit, vitam suam servabit, quæ aliàs multorum præceptorum transgressione amitti potest; vitam insuper aget quietam & jucundam, & abundantem bonis temporalibus, quæ Deus observatoribus suæ legis plurima & amplissima promisit. Verùm plus quàm bona temporalia complectitur vita, observantibus legem promissa, quemadmodum mors, prævaricantibus indicta, omnis generis maledictionem in hoc & futuro seculo compre-*

prehendit Deut. 27. Hæc igitur in parte conciliatio istorum locorum quærenda non est: sed certum est, hujus & futuræ vitæ bona promitti perfectè legem observantibus. Et hæc est naturalis illa vis legis, homini promittere vitam ac salutem, cum conditione perfectæ obedientiæ, quam & dare potuisset lex, si homo in statu integritatis perstitisset: jam autem postquam infirmata est per carnem, nihil aliud quàm damnare potest. Quòd si enim homo perfectam & omnibus numeris absolutam præstaret legi obedientiam, dubium non est, quin Deus vitam verbis promissam, reipsa fruendam traderet, juxta promissionem expressam in lege comprehensam Levit. 18. Custodite leges meas atq; judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Ezech. 20. judicia mea projecerunt, quæ faciens homo, vivet in eis. Luc. 10. hoc fac, & vives. Matth. 19. si vis in vitam ingredi, serva mandata. Non tamen vitã obtineret, ut meritum aut debitum; Deus enim nemini quidquam debet, sed ut gratuitum promissum: nam si omnia fecerimus, nihilominus servi inutiles essemus, facientes quæ debuimus Luc. 17. Quemadmodum igitur Adamus, si in statu innocentiæ permansisset, vitam æternam habuisset, non propter perfectam impletionem legis divinæ, sed propter gratuitam Dei donationem in creatione factam: ita &, si fieri posset, ut quis legem perfectè impleret, vitam utiq; consequeretur æternam, non quia ipse legem implevit, sed quia Deus vitam implentibus promisit: atq; sic legis impletio non esset meritum vitæ, sed præservatio quædam, ne vita, quam ex alio principio, gratuita nimirum promissione Dei habuit, peccando amitteretur. Hinc apparet conciliatio istorũ duorum locorum, & quidem gemina. 1. Data est lex, quæ vivificare posset, si homo adhuc in statu integritatis esset, siq; illas vires implendi legem adhuc haberet, quas

per lapſum amiſit, Deus autem jure ſuo in lege ab ipſo exigit. Viciſsim, non eſt data lex, quæ vivificare poſſet, poſtquam homo vires illas perdidit, & lex per carnem infirmata fuit Rom. 8. 2. Lex perfectè impleta vivificare poſſet ex gratuita Dei promiſsione, quæ præceptis legis annexa eſt. Viciſſim, lex etiam perfectè impleta vivificare non poſſet, ex merito hominum: nam meritum & gratuitum promiſſum opponuntur Gal. 3, 18.

QUÆSTIO II.

Annon Apoſtolus Paulus v. 5. & 6. opponens juſtitiam ex fide, ei quæ ex lege eſt, in actu juſtificationis, deſtruit omnem operum juſtitiam? hoc enim negat Pererius diſp. 2. in hoc caput.

Pererij ſomnium de triplici juſtitia.

Reſp. Pererius pugnans pro operum meritis, toties ab Apoſtolo noſtro in hac Epiſtola rejectis, diſcrimen facit inter triplicem juſtitiam: unam vocat juſtitiam legis, quam ait ab Apoſtolo legem juſtitiæ nominari cap 9, 31. ſecundam juſtitiam ex lege, tertiam juſtitiam ex fide, de quibus duabus ſpeciebus cap. 10, 3. Juſtitiam legis ſeu legem juſtitiæ vocat Eſſe vitam, quam lex homini præſcribit & præcipit, & ab eo exigit, & quam faciens homo ſicut oportet, verè juſtus eſt, & ut facere poſsimus ut oportet, gratiam nos habere dicit per CHRISTUM: Juſtitiam, quæ eſt ex lege, quæ nititur ſolo ductu & magiſterio legis, virtute liberi arbitrij hominis abſq; gratiâ; juſtitiam ex fide, quam dat DEUS credentibus

tibus in Christum. Quando igitur Apostolus opponit justitiam, quæ ex lege est, & justitiam quæ ex fide v. 5. tunc ait Pererius, non opponit justitiam ex fide & justitiam operum sive legis, sed tantùm eam, quæ ex lege est, hoc est, quæ ex viribus liberi arbitrij proficiscitur. Et hujus suæ interpretationis duo habet fundamenta. 1. nam si justitia operum & justitia ex fide verè inter se pugnarent, una profectò destrueret alteram. Paulus autem ait, legem non destrui per fidem Roman. 3. 2. non amplius verum esset illud Christi: Non veni solvere legem, sed implere: quod non solùm de se dixit CHRISTVS, sed etiam de omnibus in ipsum credentibus: Et si justitia Christi est contraria legi, ergò per eam lex solveretur & destrueretur. Hæc Pererius. Ad quæ paucis respondeo 1. justitia operum sive legis, & justitia ex lege nihil differunt: utrobique enim justitia quæritur ex operibus legis: quod quivis sanæ mentis fatebitur. Vtrobique etiam eadem est conditio: qui fecerit ea, vivet in eis. Et Paulus ipse Rom. 9, 31. quod paulò antè legem justitiæ vocaverat, deinde opera legis nominat: Israel, *inquit,* qui sectabatur legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenit: propter quid? quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis. *Vides igitur, legem justitiæ & opera legis ἰσοδυναμοῦντα esse. Deinde justitiam operum gratiam includere, justitiam ex lege eandem excludere μέγα λίαν αἴτημα est, & ne γρῦ quidem hoc probare potest. Similiter opponit Paulus legem & Evangelium, meritum & gratiam, ut supra cap. 2. 3. & 4. aliquoties fuit demonstratum, & in hoc præsente loco manifestum est, ubi opera legis fidei expressè sunt opposita v. 5. Præterea, sicuti συνώνυμα sunt justitia fidei, & justitia ex fide Rom. 2, 122. Phil. 3. 9.* *Responsio.*

item

item lex fidei Rom. 3, 28. ita etiam συνώνυμα sunt justitia operum, justitia ex lege, lex operum, lex justitiæ &c. Certum enim est in negotio justificationis nostræ semper opponi fidem & opera, legem & gratiam. His ita stantibus, sequitur, quidquid de justitia ex lege prædicatur, idem etiam de justitia legis seu operum prædicandum esse. Atqui de justitia ex lege fatetur Pererius, quòd sit opposita justitiæ fidei: ergò idem de justitia operum fateatur necesse est. 2. Rationes Pererianæ nullius sunt momenti. Nam ad primam dico: In ipso actu justificationis, justitia fidei omninò destruit justitiam operum, juxta illud: si ex gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non esset gratia Rom. 11, 6. unde colligimus, gratiam & opera in justificatione cohærere non posse, sed unum alterum tollere: ac proinde frivolum, imò absurdum est, quòd Pererius ante justificationem opera gratiæ, & opera legis in unum chaos commiscet. Quod autem Paulus ait, legem non destrui per fidem, eo ad diversos usus legis respicit: Nam quoad justificationem, omninò jam destructa lex est per fidem: si enim data esset lex, quæ vivificare posset, esset profectò ex lege justitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promißio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus Gal. 3, 21, 22. Sed quoad obedientiam, nondum destructa est: eam enim etiam renati legi debent, juxta illud Ezech. 20. In præceptis meis ambulate: & hic usus legis non nisi in justificatis locum habet. In justificandis etiam nondum destructa lex est, licèt non justificet; illis enim est index peccati & pædagogus ad Christum Roman. 3. Galat. 3. qua de re jam sæpè egimus.

Solutio argumentorum Pererij.

Lex quatenus sit distructa.

Altera ratio Pererij prorsus impia est: Non solum Christum implevisse legem, sed & Christianos cæteros. Christus enim solus est perfectio legis, & quemadmodum

dum solus calcando torcular, satisfecit pro peccatis nostris, ita solus etiam est, qui obediendo legi vicem præstitit omnium nostrûm. Ipsi ergò soli manet gloria, quòd omnia benè fecerit, de nobis autem omnibus tota clamat scriptura, quàm sæpè in multis labamur omnes, neq; esse qui faciat bonum, ne unum quidem, & optimum quemq; dari non posse, qui boni aliquid faciat, & non peccet. Concludimus igitur, impletionem legis omnibus numeris absolutam nemini hominum deberi, præter solum & unicum illum hominem sanctissimum JESVM CHRISTVM. Quomodo autem justitia Christi legi sit opposita, jam antè dictum est, nimirum non obeditione, sed satisfactione: nam obedire debemus legi, & sic lex destructa non est: satis facere autem non possumus, sed hanc laudem Redemtori nostro lubentes meritoq; relinquimus. Vnde sequitur, duas illas justitias non esse propriè contrarias, sed disparatè oppositas, tanquam antecedens & consequens.

QUÆSTIO III.

Paulus agens de justitia fidei, allegat Mosen ex Deut. 30, 12. de justitia legis docentem, v. 6. annon hæc impertinens est allegatio?

Resp. Variant interpretes de scopo allegationis Apostolicæ. Nonnulli existimant, Paulum non allegasse, sed allusisse tantùm ad illum locum Mosis. Nam quod Moses dixerit de lege, id Paulum accommodasse ad Christum, propter magnam convenientiam; & esse allusionem, inde colligunt, quòd non omnia à Paulo ita referuntur, quemadmodum in Mose habentur, sed quædam omissa, quædam etiam abjecta sunt. Alij interpretantur locum Mosis Evangelicè, de nova

obedientia, quæ ex gratia Dei sequi solet in renatis, & certissima nota est justitiæ fidei jam antegressæ. Sunt præterea, qui locum illum Mosaicum de tota doctrina legis accipiunt, quæ non modò legem propriè sic dictam, sed & Evangelium seu concionem de gratuita misericordia Dei complectitur. Et hæc interpretatio omnium optima est. Constat enim Mosen non tantùm mandata operum ursisse, sed & conciones Evangelij complecti partim in apertis promissionibus, partim in typis & sacrificijs, lege ceremoniali comprehensis. Ita & hic locus Deuteron. partim legalis est, partim Evangelicus. Legalis est, quatenus complectitur concionem pœnitentiæ, ut patet ex contextu: Evangelicus, quatenus complectitur verbum fidei, quod Moses vocat mandatum Dei, & ex Mose Christus Joh. 6,40. vocat voluntatem Dei. Non igitur alludit duntaxat Apostolus ad hunc locum, sed allegat & interpretatur eum, quatenus principaliter complectitur conciones Evangelicas, in quibus præcipuè justitia fidei consistit, & quatenus subsequitur nova obedientia, tanquam fructus fidei; quorum utrumq; Moses comprehendit, & verbum in ore ac corde nominat: in ore, quatenus per externam confessionem tanquam opus bonum egreditur; in corde, quatenus fidem in promissum mundi Messiam complectitur.

QUÆSTIO IV.

Numquid dictum Mosaicum patrocinatur Pontificijs docentibus, legem à renatis impleri posse: hoc enim Moses dicere videtur: Mandatum, quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neq; procul positum, sed

juxta

juxta te, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud Deut. 30, 11, 14.

Resp. *Nihil omninò. Primùm enim error Pontificiorum oritur ex vitiosa versione. Nam Hebræus textus non hoc habet, quasi mandata Domini non sint supra nos, & vires nostras: quòd enim vires nostras excedant, scriptura alibi testatur Iob. 7. Act. 7. sed, quòd non sint occulta aut abscondita. (נִפְלֵאת Test in Hebræo) satis enim ea nobis revelata sunt in verbo, quod inter nos quotidiè prædicatur & auditur. Deinde Bellarminus ipse fatetur lib. 5. de grat. & libero arbitr. cap. 6. Mosen loqui non de facilitate observandæ legis, sed de facilitate cognoscendæ, quam vocat interpretationem maximè literalem & propriam: quod nos interpretabimur de facilitate discendi doctrinam Evangelij, quæ quotidiè aures nostras circumsonat. Constat enim tertio ex allegatione Apostolica, locum illum Mosaicum principaliter de verbo fidei, seu doctrina Evangelij intelligendum esse, quæ justitiam fidei profitetur, qua de re in quæstione præcedente.*

(*Probari potest hæc assertio ulterius: 1 quia Moses tranquillas reddere voluit conscientias hac sententia: id verò non fit ex lege, sed ex Evangelio. 2. quia nulla facilitas est in lege, hic autem de mandato facili agitur. 3. corda hominum sunt lapidea, non intelligunt legem; sed doctrinam Evangelij facilè intelligunt &c.*)

Bellarminus Mosen clariorem dicit quam Paulum.

Frivolum autem est & impium, quod contra hanc postremam interpretationem Bellarminus excipit, Apostolum hoc loco non posse interpretem esse Mosis; non enim oportere scripturam claram exponi per obscuram; certum autem esse, locum Mosaicum *multò*

clariorem esse quàm Pauli, lib. 5. de grat. & lib. arbitr. cap. 20. Sed hoc cardinale commentum est. Notum enim est in genere, quid de Mosaicis scriptis testatur Apostolus 2. Cor. 3, 15. in lectione Mosis velamen esse positum super cor Israelitarum. Unde verò velamen illud, nisi quòd ignorant Christi & Apostolorum doctrinam, ex qua scripturæ Mosaicæ lumen accedit non obscurum? Et quorsum nominarent Sancti Patres Apostolum Paulum hoc loco Mosis interpretem, si Moses ex Paulo explicandus non esset? ut nihil dicam, quod aliàs absurdum est, scripturam Propheticam clariorem dicere Apostolicâ, ijs præsertim in locis, in quibus eadem de re ijsdem propemodum verbis loquuntur, ubi in interpretatione scripturæ hæc regula non immeritò observanda est: Apostoli sunt Prophetarum interpretes & scholiastæ, qui involucra scripturæ Propheticæ evolvunt. Sunt enim testes Christi Act. 1, 8. confirmantes, id in Christo fuisse impletum, quod à Prophetis de ipso prædictum. Idcirco ubi Moses Evangelistam agit, non ex ipso Mose, sed ex scriptura Apostolica petenda est interpretatio: quia lex propriè, Mosis Evangelium Christi & Apostolorum est.

Regula de scriptis Apostolicis.

QUÆSTIO V.

Ore fit confeßio ad salutem, ait Paulus v. 10. rectene hinc infertur: Ergo, Bona opera sunt necessaria ad salutem?

Resp. Primùm omnium sciendum est, phrasin istam, Bona opera sunt necessaria ad salutem, non habere τύπον ὑγιαινόντων λόγων. Et si enim scriptura agnoscit operum bonorum necessitatem in justificatis, quorum fides absque operibus mortua est:

tamen

tamen προσδιορισμὸν *illum*, ad SALVTEM, *non agnoscit. Non enim propter salutem, sed propter alias caussas sunt necessaria, de quibus alibi. Deinde Apostolus noster non dicit, Confessio est necessaria ad salutem: ergo illa phrasis non potest confirmari ex hoc textu. Deniq; notanda est triplex loci Apostolici interpretatio. 1. quidam agnoscunt hic Hebraismum, ut confessio ad salutem idem sit, ac confessio salutis, quo sensu ista particula ad præcedentem, (corde creditur ad justitiam,) pertineret, tanquam descriptio fidei ab effectis: fides enim cordis, per quam justitia ac salus adquiritur, exerit se per confessionem salutis & justitiæ. 2. alij agnoscunt hic ellipsin, confessio fit ad salutem, scilicet contestandam, sive declarandam. 3. sunt deniq; qui confessionis vocabulum hic accipiunt non de externa confessione, quæ est fructus fidei, sed de interiore adsensu doctrinæ Evangelicæ, quæ alibi confessio vocatur 1. Joh. 4, 2. 2. Ioh. v. 7. Hebr. 3. 1. ubi Christus dicitur Pontifex & Apostolus nostræ confessionis. Iuxta quam interpretationem sensus hujus loci hic esset: si assensus fueris verbo Dei adfirmanti, Iesum esse Dominum, & firmiter atq; fiducialiter credideris, quod Deus illum excitavit à mortuis, salvaberis. Quamcunq; harum interpretationum hic acceperis, non errabis: vides autem de operum necessitate ad salutem nihil hic doceri.*

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. S*Alus animarum cuiq; curæ esse debet ex animi sententia; non saltem cuiusq; propria, verùm etiam proximi, quemadmodum hic D. Paulus pro salute Iudæorum solicitus est, &*

Christus Petrum hortatur: Tu conversus, converte fratres Luc. 22, 23. & generalis admonitio Chrysostomi est: Vnusquisq; nostrum videat, quomodo proximum è faucibus Diaboli eripiat, homil 41. in Genes.

2. *Zelus est ardentissimus animi affectus erga alium, cum desiderio vindictæ adversus lædentem. Est autem duplex, quidam cum vera scientia conjunctus & ex fide proficiscens, qualis erat zelus Eliæ, zelantis pro domo Domini 1. Reg. 19. quidam absq; fide & scientia vera: & hic est ζῆλος ἄζηλος quem Apostolus noster zelum οὐ κατ' ἐπίγνωσιν vocat, quiq; furor potius ac cœcus quidam impetus, quàm zelus dicendus est, quales multi sunt in papatu, qui pro religione Pontificia vehementer pugnant, non ex malitia aliqua, sed ex inconsiderato zelo, qui tamen est absq; fide & scientia vera: siquidem non ex solida rerum notitia, sed tantùm ex introducto consuetudine & inveterata autoritate Romanensis Ecclesiæ, quasi ex præscriptione quadam æmulantur, pro mendacio, quod veritatem esse putaverunt,*

3. *Justitia Dei & justitia hominum licèt cohæreant, tanquam antecedens & consequens necessarium: tamen simul stare nan possunt in judicio Dei: illa enim est ex imputatione fidei, hæc ex meritis operum. Quam ob caussam apud Paulum nostrum fides & opera perpetuò opponuntur, in hac præsertim epistola.*

4. *Activa Christi obedientia, qua nimirum legem implevit, pertinet etiam ad meritum Redemtionis nostræ: CHRISTVS enim perfectio legis dicitur ad justitiam credentium; hoc est, ideò perfectè implevit legem, non ut sibi aliquid mereretur, sed ut nobis justitiam compararet, quâ soli creden-*

credentes ipso actu fruuntur: id quod contra Piscatoris Calviniani φλυαρίας observandum est.

5. *Evangelium de Christo non tollit prædicationem legis: quia lex est pædagogus ad Christum, quando homini ex lege ἀδυναμία & imperfectio sua ostenditur, & ipse ad alium remittitur, qui legem implevit, quem extra Christum non inveniet: is enim propterea venit, non ut solveret, sed impleret legem Matth. 5. Non igitur sunt contrariæ doctrinæ, sed in conversione hominis mutuam præstant operam: Lex abiegat hominem ad Christum, quamvis per accidens hoc fiat: Evangelium autem peccatorem à maledictione legis absolvit.*

6. *Misericordia & justitia Dei optimè simul stare possunt in opere redemtionis nostræ, sed ratione diversorum objectorum. Iustitia quidem respectu Christi, cujus satisfactionem pro peccatis hominum Deus acceptavit: Misericordia autem respectu hominum, quibus illam Christi satisfactionem per fidem applicavit. Idcircò Christus perfectio quidem legis dicitur, sed non sibi, verùm credenti: id quod contra blasphemias Socini hæretici notandum est.*

7. *Meritum Christi universale est in applicatione, respectu credentium duntaxat. Nam omni credenti prodest Christi obedientia ad justitiam: licèt aliàs ejus sit amplitudinis, ut pro universo mundo sit præstitum. Hinc duplices oriuntur promissiones gratiæ: quædam sunt merè universales, pertinentes ad omnes homines sine discrimine, quales sunt 1. Tim. 2. DEUS vult omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire, & 2. Petr. 3. Deus non vult ullos perire &c. quædam sunt ad solos credentes restrictæ, ut Joh 3. Omnis qui credit in filium, habebit vitam æternam, & hæc nostra: Christus est legis perfectio omni credenti ad justitiam.*

8. Discri-

8. Discrimen est inter promissiones legales & Evangelicas. Legales fiunt cum conditione perfectæ obedientiæ. Qui fecerit hæc, vivet in eis: Evangelicæ fiunt absq; conditione obedientiæ, tantùm cum inclusione fidei: qui crediderit, salvus erit. Quæ fides propriè loquendo non conditio est, sed medium seu instrumentum apprehendens meritum Christi gratuitum.

9. Ratio consequendi vitam ex lege difficilis est, quia impletio legis homini impossibilis: sed ex Evangelio consecutio salutis est facilis, quia non jam demum operosis laboribus impetranda, sed à Christo jam impetrata est. Quisquis ergò Christi obedientia contentus non est, sed suis quoq; oppellis aliquid ad consequendam salutem addere conatur, is quidem ingressum ad vitam laboriosum facit, & tamen hac ratione nunquam ingredietur: id quod contra Pontificios notandum est: qui quidem primam justificationem faciunt facilem, sed secundam, quam ipsi fingunt, difficiliorem, ad quam non nisi multis laboribus & sudoribus nostris sit contendendum.

10. Voluntas Dei de salute generis humani non est quærenda in arcanis & occultis Dei decretis: hoc enim esset in cœlum ascendere, & Christum deducere, inquit Paulus, quod omnes ij faciunt, qui de abscondita Dei voluntate in negotio salutis multa disputant, quasi non omne Dei consilium nobis revelatum sit in verbo suo Act. cap. 20.

11. Observetur iterum scripturam non esse literam mutam. Nam scriptura dicit, *inquit Apostolus v. 8. Et hoc dicere longè efficacius est, quàm omnis dictio vel scriptura hominum. Est enim sacra scriptura viva vox cordium, non aurium, seu, ut Apostolus loquitur, verbum vivum & efficax, penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens usq; ad divis*

divisionem animæ ac Spiritus Hebr. 4, 12. Impium itaq; est, scripturam tantùm aspicere, ut picturam literarum, quarum in se nulla est efficacia: sed scriptura dicit, quia Deus per eam nobiscum loquitur, ita ut scriptura vox sit vox Dei, ac proinde authentica, & omni humanâ voce vel judicio superior.

12. *Singulare Dei beneficium est, quod verbum ejus quotidiè inter nos prædicatur: hoc enim facit, ut dubitandum nobis non sit de voluntate Dei erga nos: ideò dicitur verbum fidei, hoc est, prædicatio de gratuita remißione peccatorum, nobis propè esse, quia quotidiè inter nos sonat; quod contra Epicureos, ministerij contemtores notandum est, qui libentiùs decem missas, quàm unam concionem audiunt. Vice versa magna laude digni sunt, quorum ministerio Deus primùm verbum fidei inter nos annunciari voluit, inter quos nostro seculo Beatus Lutherus & fideles ejus παραστάται facilè primas tenent.*

13. *Non sufficit prædicatio verbi, nisi & accedat fidelis auscultatio: ideò utrumq; hic commendatur, verbum in ore prædicantis, & verbum in corde audientis. Oportet enim fieri sermonem verbi divini de corde in cor, ita ut Spiritus Sanctus priùs suggerat docenti, quæ sana sunt, antequam ea proponantur auscultantibus. Idcircò hæc existimatur vera veræ Ecclesiæ nota, non modò quando verbum purè prædicatur, sed & quando libenter auditur: quod semper expectandum est, ubicunq; sonat verbum Dei purum, juxta promißionem Dei Esa. 55, 11. non redibit verbum meum ad me vacuum, &c.*

14. *Adventus Christi in mundum, & discessus ejus ex mundo, uno quasi complexu continent fidem Christianam. Vtrumq; conjungit Apostolus, quando scribit, credendum*

esse, quòd Iesus sit Dominus, hoc est ἔξαρχος & Imperator noster, qui propterea venit in mundum, ut nos regeret, & ab omni malo liberaret: item quòd Deus eum suscitavit à mortuis, hoc enim præsupponit ejus passionem & mortem, & includit subsequentem adscensionem in cœlos. In uno horum qui errat, fidem verè Christianam non habet.

15. *Fides cordis & confeßio oris cohærent. Deus enim totum sibi vendicat hominem, hoc est, plenißimum cordis & oris consensum in rebus fidei. Hypocritæ igitur sunt, qui veram fidem in corde se habere posse simulant, & ore se accommodant ad aliorum placitum, quod Priscillianistæ olim facere consueverant. Hoc est abnegare Christum, cui peccato pœnam talionis minatur Dominus Matth. 10. Ideo D. Paulus hortatur, ne quovis doctrinæ vento circumferamur Ephe. 4. & ut præcipuus veræ fidei effectus, laudatur confeßio sincera oris Psal. 116. Petrus etiam hortatur, ut parati simus ad reddendam rationem spei, quæ in nobis est, cuilibet roganti, 1. Petr. 3.*

16. *Omnis qui credit in Christum, non confundetur, inquit Paulus v. 11. qui Aphorismus cordibus nostris, aureis inscribendus est literis. Facit enim fidelium animos certos de Dei favore atq; gratia in omnium periculis. Vt enim non confundantur, facit. 1. promißio Dei, quæ non fit irrita. 2. meritum & intercesßio Christi, qui, quæ salutaria sunt, impetravit ijs, quos ipsi Pater dedit. Beati ergò omnes, qui confidunt in eo, Psal. 2.*

17. *In negotio salutis nulla est distinctio populorum, sed ibi universalis communio fidelium locum habet, cujus partem hic attingit Apostolus v. 12. quando ait, eundem esse Dominum*

num omnium: alibi cætera conjungit Eph.4.4. Unum corpus, & unus Spiritus, sicuti vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, &c.

18. Quisquis invocaverit nomen Domini, salvus erit, inquit Apostolus ex Joele, hoc est, liberabitur è periculis temporalibus & æternis, quæ promissio nos in precibus animare potest; sed ut B. Lutherus scribit super Psal. 130. quemadmodum exiliter credimus, ita etiam petimus exiliter. Ipse tamen Pater in cœlis pluit uberrimè super scintillas orationis nostræ, & guttulas fidei nostræ, & compensat moram liberali copia. Nam etsi expectandum est, tamen tantò postea est liberatio uberior. Est autem nomen Domini invocare, unum verum Deum invocare sicuti se patefecit, in nomine, hoc est, juxta mandatum, meritum ac promissionem Filij sui: qualis invocatio non nisi ab ijs fieri potest, qui sunt in Ecclesia: unde sequitur, eos qui sunt extra Ecclesiam, rectè orare non posse.

PARS ALTERA
TEXTVS.

Πῶς οὖν ἐπικαλέσονται, εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; πῶς δὲ πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος.

14. QVomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?

 15. Quomodo

Πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; καθὼς γέγραπται, ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά;

15. Quomodo verò prædicabunt, nifi mittantur? ficut fcriptum eft: quàm fpeciofi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?

Ἀλλ' οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ. Ἡσαΐας γὰρ λέγει, Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;

16. Sed non omnes obedierunt Evangelio. Efaias enim dicit, Domine quis credidit auditui noftro?

Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ ἀπὸ ῥήματος τοῦ θεοῦ.

17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

Ἀλλὰ λέγω, μὴ οὐκ ἤκουσαν; μενοῦνγε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν.

18. Sed dico; numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit fonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Ἀλλὰ λέγω, μὴ οὐκ ἔγνω Ἰσραήλ; πρῶτος Μωσῆς λέγει, ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς.

19. Sed dico, numquid Ifrael non agnovit? *Primus* Moyfes dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem infipientem, in iram vos mittam.

Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ, καὶ λέγει, Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι.

20. Efaias autem audet & dicit, Inventus fum à non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me non interrogabant.

Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγω, ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα.

21. Ad Ifrael autem dicit; Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.

ANA-

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

IN hac secunda parte diximus ordinem exponi, quem Deus in procuranda hominum salute servat. Vtitur autem Apostolus gradatione Rethorica, in qua ostendit ordine quinq; organa salutis nostræ. Primum salutis organum est Missio prædicatorum verbi: Secundum, Prædicatio verbi: tertium, auditus verbi; quartum, fides ex auditu: quintum, invocatio ejus, in quem creditur. Posteriora membra semper fundamenti loco ponunt priora, ideò in gradatione Apostolica priore loco ponuntur, hoc pacto: salus impetratur vera invocatione nominis divini: invocatio ex fide est; fides ex auditu; auditus ex prædicatione verbi, prædicatio verbi à missione ministrorum verbi dependet. Membra gradationis singula proponit Apostolus schemate interrogationis, ob majorem emphasin, & ut ostendat, ea à se invicem divelli non posse, sed rupto uno concidere & alterum. Pertinent autem hi gradus omnes ad sacro sanctum ministerium, cujus dignitas hinc elucescit: idcircò ex scriptura Prophetica eximiam ejus commendationem adducit, & gravissimam querelam de hominum ingratitudine & contemtu. Commendatio petita est ex Esaia cap. 52, 7. Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bonum? *Loquitur Esaias non modò de Prophetis Domini, sed vel inprimis de Apostolis & doctoribus novi testamenti: vaticinatur enim de regno, passione ac morte Christi in isto & sequente capite. Eos nominat pedes Evangelizantium, respiciens ad emissionem Apostolorum in universum mundum: non enim uno in loco consistebant, sed ut nuncij Dei, missi in orbem terrarum, passim ubiq; auditi, & magna cum celeritate terram mariaq; pervagati sunt, quod & paulò infrà attingit Apostolus,*

Quinque organa salutis nostræ.

stolus noster. Doctrina ipsorum non fuit Lex Mosaica propriè, ea enim jam antè satis nota erat, sed Evangelium pacis. Erant boni nuncij, prædicantes pacem non corporis, sed animæ, pacem cum Deo & conscientia, quam Christus morte sua nobis peperit: prædicarunt bona, non caduca & temporalia, sed cœlestia ac æterna, remissionem peccatorum, vitam ac salutem æternam. Querelam suam petit Apostolus ex cap. 53. Esaiæ v. 1. Non omnes obediunt Evangelio, *inquit*; Esaias enim dicit, Domine quis credit auditui nostro? *Auditus per Hebraismum ponitur pro prædicatione, quia prædicatio & auditus sunt correlata. Non itaq; queritur de auditione, sed de auscultatione verbi, hoc est, quòd multi segniter audiunt verbum, dicis duntaxat gratia, neque fidem habentes verbo, neque fidem ex verbo percipientes. Ex qua querela infert conclusionem hujus tractationis: Ergo fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei. In hunc enim finem ist hæc instituta erat gradatio, ut ostenderetur, quodnam sit proximum medium consequendi fidem illam justificantem, de qua suprà dixerat, nimirum auditum verbi divini, per quem Deus in hominum cordibus fidem accendit. Sed ne contemtores verbi per ignorantiæ prætextum querelam istam declinare possent, occurrit Apostolus duabus objectionibus, quarum una omnes indefinitè; altera Iudæos in specie attingit. Prima ita habet v. 18.* Sed dico: Numquid non audiverunt? Equidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verbum eorũ; *quasi dicat, ne quisquam habeat, quòd ignorantiam prætexat, quasi verbũ non habuerit, neq; audire potuerit, ecce Deus tam fidelis fuit, ut nõ ad unã aliquã gentẽ, sed in universum orbem terrarũ emiserit præcones Evangelij, Apostolos suos, qui ubiq; locorum præclaram de Christo famã sparserunt. Adducit hanc respon-*

responsionem ex scriptura Prophetica Davidis, cujus ea verba sunt in Psal. 19,5. ubi tamē Apostolꝰ noster istius scripturæ Propheticæ non tàm recitatorem, quàm interpretem egit. Nam quod David appellat regulam seu canonem, eine Schnur / *hoc Paulus noster vocat sonum, secutus LXX. interpretes, qui Hebræum* קַוָּם *per φθόγγον reddiderunt. Est enim verbum ab Apostolis prædicatum, & postea in literas relatum, unica illa norma ac regula fidei & vitæ: ad quam appellationem D. Paulus alibi alludit, quādo doctrinā suam Regulam seu κανόνα appellat. Gal. 6,16. Phil. 3,16. Altera objectio concernit in specie Iudæos.* Numquid Jsrael nō cognovit, *ait v. 19. sc. quòd ipse sit electus Dei populus, an hoc privilegium Dei ipsis non fuit revelatum, an fortè nunquam innotuit ipsis? Respondet iterum Apostolus ex scriptura Prophetica, ostendens ipsis satis superq; annunciatam fuisse abdicationem suam, & receptionē gentilium in locum ipsorum: quod cùm ipsi credere noluerint, sed securitate quasi ebrij, illas Dei minas contempserint, jam nihil habent, quod prætexant. Allegat a. tria Prophetarū vaticinia, in quibus hoc ipsis luculenter fuit præsignificatū. Primum est Mosis, qui in cantico suo Deut. 32,21. Deum introducit ita loquentem:* Ipsi me provocarunt in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis: & ego provocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. *Quibus verbis pœnam talionis minatur Iudæis, quòd, quemadmodum ipsi, relicto vero Deo, alienis Dijs servierunt, & hoc pacto Deum quasi provocarunt ad vindictam: ita ipse vicissim relicto populo suo aliam sibi electurus sit gentem, quam stultam vocat, quia stolido judicio colebant simulacra muta, prout ducebantur 1. Cor. 12,2. stolidi etiam aliàs erant in rebus divinis, ita ut prædicatio de Christo ipsis merè fuerit stultitia 1. Cor. 1. Quemadmodum autem DEO acerbum*

Verbum Apostolorum est canon fidei.

acerbum attulit dolorem illa gentis Iudaicæ apostasia, ita vicissim Iudæi ægerrimè ferent istam sui abdicationem & gentilium receptionem. Secundum testimonium suppeditat Esaias cap. 65, 1. Inventus sum à non quærentibus me: palam apparui ijs, qui me non interrogabant. *Sunt verba Iehovæ ejusdem sententiæ cum priore vaticinio: gentiles enim veri Dei ignari, neq; de inquirendo eo solliciti, à Deo sunt in gratiam recepti, rejectis Iudæis, in quorum medio habitabat Dominus. Tertium addit ex eodem Propheta cap. 65, 2.* Ad Jsrael autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. *Cohærent hæc verba cum præcedentibus, in quibus Deus desiderium suum exponit, quod habuit pro salute Iudæorum, quos manibus expansis ad se colligere voluit, sed ipsi præfracto & rebellante animo contranitentes, ad suam ipsorũ perniciem ruerunt. His testimonijs probat Apostolus satis luculenter, non tantùm Judæis prædicatum esse verbum, sed & ita prædicatum, ut stimulum reliquerit in animis ipsorum, qui ipsos adversus gentiles, quibus salutem magnopere invidebant, gravissimè irritavit. Nihil igitur habent quod prætendant, quasi organum illud ordinarium consequendæ justitiæ ipsis defuerit; culpa omnis in ipsis est, qui illud temerariè neglexerunt.*

Paraphrasis hujus partis.

INvocatio autem veri Dei præsupponit fidem. Quid enim invoces eum, in quem fiduciam tuam nõ ponis, quòd exaudire velit vel possit? Fiduciam autem accipis ex auditu verbi de DEI voluntate ac potentia; auditum ex prædicatione verbi: prædicatio verò verbi esse non potest, nisi fuerint, qui ad hoc à Deo missi sint,

ut sint

ut sint præcones Evangelij, annunciantes pacem cum Deo, & æternæ vitæ felicitatem. Volendum autem est, quòd non omnes accipiunt verbum, quod prædicatur ipsis: id quod jam pridem conquestus est Esaias *Propheta*, cùm de salutari merito Mesiæ nostri prædicaret, nimirum paucos esse, qui huic suo Evangelio fidem haberent. Sed forsan inquies, non omnes habuerunt verbum? Habuerunt utique: quia missio Apostolorum facta est in universum mundum, ita ut nulla prorsus gens ignorantiam aliquam prætendere possit. In primis autem Iudæi non habent quod prætendant, quasi ignoraverint, vel annunciatam gratiam, vel prædictam reprobationem. Satis superque hoc ipsis indicatum fuit per *Prophetas*, quòd Deus par pari referre, & quemadmodum ipsi, vero Deo neglecto, dijs alienis servierunt, ita rejectis ipsis, licet peculio suo, populum alium & peregrinum è gentilitate in gratiam recipere velit: quam concionem ad se, etiam cum stimulo aliquo & rancore cordium suorum, sæpè repetitam, probè sciũt.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Si ministerium verbi adeò necessarium est, ut absq; prædicante neq; audire, neq; fidem accipere queamus: cur ergo Dominus apud Ieremiam de temporibus Novi Testa

menti vaticinatur: Non docebit ultrà vir proximum suum &c. Ier. 31, 34. & Sanctus Iohannes scribit suis fidelibus: Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus (hoc est, Spiritus sanctus) docet vos de omnibus 1. Ioh. 2, 27?

Resp. Non pugnant hæc cum Apostolo nostro: alioquin neque Christus ipse prædicasset, neq; Apostolus ad prædicandum in universum mundum emisisset. Sed loquitur Dominus apud Ieremiam de felicitate Novi Testamenti respectu Veteris, quasi diceret: Non tantùm docebunt se invicem, sed tanta erit doctrinæ claritas, ut capita doctrinæ facilè à minimis intelligantur. Nam quæ in Veteri Testamento sub obscuris typorum involucris proponebantur, jam omnia evoluta sunt, & tàm perspicuè proponuntur, ut & puer septennis de Christi persona atque merito ex sua Catechesi fidei suæ rationem feliciùs reddere possit, quàm multi olim Prophetæ, qui Christum equidem viderunt, sed non præsentem, intuiti sunt eum, sed non propè, Num. 24, 17. Proinde non de defectu sed de felici successu ministerij in Novo Testamento Ieremias loquitur. Et hoc sensu allegat ex hoc capite verba hæc Salvator Ioh. 6, 45. & erunt omnes docti à Deo; non quasi Deus absq; ministerio cum ipsis agat per enthusiasmos aliquos, sed qui per rete verbi divini trahi sepatiuntur & erudiri, ijs omnia mysteria Dei fient facilia. S. Iohannes quando scribit, non opus habetis, ut quis doceat vos; non agit de ordinarijs verbi ministris, sed de seductoribus & hæreticis, qui populum Dei docere præsumebant meliora, quàm ab Apo-

ab Apostolis audiverant. Ita enim cohærent verba: Hæc scripsi vobis, de his, qui seducunt vos: & vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis: non enim opus habetis, ut aliquis doceat vos &c. quasi dicat, non est necesse, ut hæretici & seductores illi doceant Christianos viam Domini: ipsa enim unctio, hoc est, Spiritus Sanctus, quo in Baptismo uncti sunt, per prædicatum sermonem Evangelij docet illos, quantum satis est. Atque sic ministerium verbi extollitur potius quàm tollitur, & ab hæresi seductorum distinguitur.

QUÆSTIO II.

Cùm absque mißione prædicatio verbi non poßit esse fructuosa; quæritur, quomodo accipiendum sit illud B. Lutheri, quod habet in libello de abusu missæ, quemlibet prædicare posse verbum, etiam absq; speciali vocatione ad ministerium?

Resp. B. Lutherus eò loci disputat contra sacerdotium Papisticum, in quo potestas docendi conceditur tantùm rasis ac unctis fratribus, quam potestatem docendi, ut & constituendi Ecclesiæ ministros, Papa & Episcopi ad se rapuerũt nullo jure vel idoneâ ratione. Isti sacerdotio opponit generale sacerdotium Novi Testamenti, quod est Christianorum omnium, qui sacerdotes appellantur 1. Petr. 2. Apoc. 1. 5. 22. Ergo possunt & debent docere, sacrificare sacrificia spiritualia, preces, gratiarum actiones, mortificationes carnis & similia, quo sensu Apostoli Christianis omnibus tribuunt potestatem prædicandi Evangelium 2. Cor. 3. 1. Petr. 2, 9. Vos estis genus electum,

regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Non itaq; loquitur de publico docendi ministerio, sed de privata conversatione. Probè enim novit Lutherus, neminem sibijpsi sumere honorem publici ministerij, sed qui vocatus est, sicut & Aaron Hebr. 5. quem lo um urget in eodem scripto; & in libello de instituendis ministris tom. 2. lat. Ien. fol. 549. dilucidiùs mentem suam declarat, ubi inter alia sic scribit fol. 553. Hæc communio juris cogit, ut unus, aut quotquot placuerint communitati, eligantur vel acceptentur, qui vice & nomine omnium, qui idem juris habent, exequantur officia ista publicè, ne turpis sit confusio in populo Dei, & Babylon quædam fiat in Ecclesia, sed omnia secundùm ordinem fiant, ut Apostolus docuit. Aliud enim est, jus publicè exsequi; aliud, jure in necessitate uti: publicè exequi non licet, nisi consensu universitatis seu Ecclesiæ; in necessitate utatur, quicunq; voluerit. Quibus postremis verbis B. Lutherus missionem legitimam, quæ fit ab Ecclesia, expressè includit. Similia vide supra Psal. 82. tom. 5. Ien. german fol. 157. seqq.

QVAESTIO III.

Si nemo prædicare potest, antequam mittatur: quid sentiendum de concionibus illis, quæ exercitij gratia habentur?

Resp. Conciones ejusmodi non fiunt absq; missione. Mittuntur enim concionatores isti ab ijs, quibus inspectio Ecclesiarum commissa est. Vbi sanè finis idem est, salus & conver-

conversio hominum; medium ad finem ducens variat, non quoad rem, sed quoad modum rei. Etsi enim non publica hic reperitur missio seu vocatio totius Ecclesiæ, quæ in ordinario saltem ministerio locum habet: attamen privata adest, ad exercitium eorum destinata, qui aliquando cum utilitate publica Ecclesiæ inservire cupiunt: ab eo etiam pro- ,,
ficiscitur, cui Ecclesiæ salus & ædificatio commendata est. B. ,,
Lutherus in colloqv. mensalibus cap. 22. fol. mihi 271. b. di- ,,
stinxit inter vocationem fidei & caritatis. Vocationem ,,
fidei vocabat, cum quis ab iis, qui jus vocandi habent ad mini- ,,
sterium docendi ordinarium, vocatur: vocationem carita- ,,
tis, cum quis exercitij gratia ad habendam concionem pro alio vocatur & mittitur. Illam nominare potes publicam, hanc privatam missionem.

QUÆSTIO IV.

Cum nemo credere possit, nisi verbum audiat, audire nemo absque prædicante, prædicare nemo antequam mittatur: quæritur haud immeritò, num eorum ministerium sit efficax & fructuosum, qui non omninò legitimè sunt missi?

Resp. Quæ sit missio vel vocatio legitima, jam non disputo. Quòd si verò vitium vocationis ulla ex parte occurrit, quæ vocationem reddere potest non ex omni parte legitimam, nihilominus prædicatio verbi pura ab ejusmodi ministro facta, efficax & salutaris esse potest: idque probatur his argu-

mentis. 1. quia verbum Dei, à quocunque prædicetur, est & manet verbum Dei, hoc est, semen incorruptibile, fructificans ad vitam æternam: & sacramenta non sunt hominũ Sacramenta, sed Dei, quomodocunque sese habeat ministrorum vocatio. 2. quia D. Paulus lætari sese scribit, quod Evangelium prædicatur quocunque modo, sive verè, sive per occasionem Phil. 1. Ergo non improbaturus fuisset, si maximè à persona non satis legitimè vocata, Evangelium purè doceretur. 3. quia peregrinus quispiam, cui de vocatione ministri nihil certi constaret, nihilominus cum fructu verbum audire posset: ergò fructificatio verbi non dependet à vocatione ministri. 4 Baptismus verus & efficax est, licèt à tali ministro factus, qui se in officium ingesserit: ergò & ministerium ejus non est illegitimum. Quando itaque Apostolus fidem, tanquam fructum verbi prædicati, cum missione prædicantium conjungit; non excludit missionem cum vitio aliquo conjunctam, sed fanaticorum audaciam retundit, qui absque missione currentes, speciales jactitant revelationes, & sua somnia, ut verbum divinum venditant; de quibus Dominus apud Jeremiam cap. 23. currebant, & non mittebam eos. Ex quibus omnibus colligitur, efficaciæ verbi divini nihil decedere, licèt ab ijs ministris prædicetur, qui à Magistratu hæretico, consentiente Ecclesia, vocati sunt, modò purè prædicetur: præsertim si vocatio facta sit eo tempore, quando Ecclesia libertatis suæ jure pressa, duroque servitutis jugo subjecta fuit. Exempla succurrunt in scriptura & quotidiana experientia. 1. tempore Christi sacerdotes promovebantur ad officium vel autoritate Regum Syriæ, vel Romanorum, vel etiam Herodis, neque tamen hoc officio ipsorum quidquam derogabat, sed sacrificia per ipsos oblata Deus rata habebat. 2. Pharisæorũ & scribarũ ministerium Christus approbat Matt. 23. Constat autem ex histori̇js plerosque

prædicatio eorum, qui ab hæretico magistratu vocati sunt, etiam est efficax.

plerosq; ipsorum non fuisse ex tribu Levi, penes quam ex ordinatione Dei solùm erat munus instituendi populum, sed ex tribu Simeonis: & tamen jubet, loco dicto, Dominus eos audire. 3. In Papatu fuit corruptissimum ministerium, & tamen hoc efficaciæ verbi & Sacramentorum apud plerosq; nihil obstabat. 4. Patriarcha Constantinopolitanus confirmationem suæ vocationis impetrat à Turca, & tamen ministerium ejus salutare esse atq; efficax nemo negare potest. 5. Patrum nostrorum memoria multi pastores in medio Papatu vocati atq; ordinati sunt, & quis ipsorum verbum aut Baptismum quoad efficaciam vocaret in dubium? Si enim propter illud vocationis vitium efficaciter prædicare non potuissent, necesse fuisset, ut denuò vocarentur aut ordinarentur, quod usu receptum nunquam fuit. Non enim necesse est, inquit Lutherus libr. de institut. ministr. tom. 2. lat. Ien. locum ministerij relinquere, licèt impijs ac perversis modis adscenderis, dum animus ipse corrigatur, & modus ipse damnetur.

QVAESTIO V.

Si fides ex auditu est, quid fiet de surdis & infantibus, qui verbum audire non possunt? numquid illi fidem non habent?

Resp. Loquitur hic Apostolus de ordinario medio, quo adulti fidem consequuntur. Aliud organum conferendæ fidei habet Deus in infantibus, videlicet, Baptismum, in quo & fidem accipiunt, & per fidem regenerationis beneficium. In surdis autem casus necessitatis locum habet, quemadmodum in infantibus ante baptismum decedentibus, in quibus Deus aliomodo fidem & regenerationem operari novit: hoc

hoc enim ipsum præstare posse, exemplum Johannis Baptistæ testatur Luc. 1. 2. habet & animus aures suas, de quibus Christus in Evangelio: qui habet aures ad audiendum, audiat. Nam & surdis loquitur Deus ad cor, quando ipsi scripturam legunt & meditantur, per quæ media Spiritus Sanctus nihilominus suam quoq; vult exercere gratiam ac efficaciam. 3. Adde quòd surdi etiam nutibus, gestibus, conversatione cætera, & totius corporis quasi loquente gestu Evangelium addiscere possunt. Tractat hanc quæstionem D. Hieronymus tom. 9. fol. 85. quem ibi vide.

QUÆSTIO VI.

Quomodo Paulus dicere potest, Apostolorum vocem ubiq; terrarum & gentium auditam fuisse, cùm tamen etiamnum multæ sint gentes, quibus Evangelium nondum prædicatum est, ut sunt Iaponenses, Brasiliani, Americani, & alij populi in novo orbe?

Resp. Anxius est Pererius in conciliatione hujus loci Paulini cum experientia, disp. 4. in hoc caput, ubi multa in utramq; partem disputat, & tandem concludit, locũ Pauli & Davidis συνεκδοχικῶς intelligendum esse, de universo mundo tunc cognito, seu de plurimis & præcipuis mundi partibus. Sed nos existimamus, verba Pauli & Davidis ita accipiẽda esse prout jacent, hoc est, jam tum Apostolorum tempore præclaram de Christo famam prædicatione evangelij in universum orbem terrarum sparsam fuisse. Hoc enim docere voluit Apostolus, ne quid haberent gentiles, quod prætenderent, quod facilè fieri

fieri potuisset, si vel ulla gens praterita fuisset. In quam sententiam idem Apostolus scribit Col. 1, 6, Evangelium jam tum in universo mundo fuisse. Hoc enim erat officium Apostolorum, ut in universo mundo Evangelium pradicarent, quemadmodum praceperat eis Dominus; ubi sanè impium est dicere, Christum συνεκδοχικῶς, plurimas saltem mundi partes intellexisse: nemini certè Evangelium suum invidebat, neq; Apostoli praceptum Christi segniter obierunt, ideo orbem terrarum inter se divisisse scribuntur. In qua divisione Thoma & Bartholomao cessit Oriens; Simoni & Matthao, Meridies; Philippo & Thaddao, Septentrio; Matthia & Jacobo minori, regiones mediterranea; Iohanni & Andrea, Provincia maritima; Petro & Iacobo majori Occidens; Paulo deniq; totus mundus, de cujus etiam industria testantur Acta Apostolica, & ipsemet refert infrà cap. 15. hujus Epistolæ v. 19. se pradicasse Evangelium, ubi non nominatus fuerat Christus, & istâ suâ pradicatione replevisse omnia ab Hierusalem usq; ad Illyricum. Quibus rationibus permotus Hieronymus, existimat, non remansisse gentem aliquam, qua Christi nomen ignoret: & Tertullianus judicat, credidisse Christo multas gentes etiam Insularum multarum nobis ignotarum, & quas enumerare non possumus. Quòd si hodie non in omnibus locis auditur pradicatio Evangelij, nihil obstat hoc universali pradicationi jam antè facta. Dubitandũ enim non est, superioribus temporibus ibi innotuisse doctrinam Evangelij, vel per vivam pradicationem, vel per scripta Apostolorum, qua passim ubiq; divulgata sunt. Nam ubi pradicantis hominis prasentia defuit, sonus tamen & fama pervenit, sicut pervenerat opinio factarum virtutum in Aegypto ad omnes gentes; quemadmodum Ambrosius scribit super hunc locum. Et quomodo jam olim Evangelium

De divisione Apostolorum vide Iren: lib. 1. cap. 3. Niceph. lib 2. cap 40. eusel. lib 6. cap 1. & lib. 2. cap. 1.

pervenerit etiam ad Chinenses, Barachmanas, Iaponenses, Æthiopas, Persas, & similes populos; consule D. Philip. Nicolai in libr. de regno Christi, statim à principio,

QUÆSTIO VII.

Quomodo scribit Apostolus ex Esaia, gentes non quæsivisse Deum; cùm tamen suprà dixerit cap. 1, 20. gentes Deum ex visibilibus hujus mundi cognovisse?

Resp. Loquuntur hic Esaias & Paulus non tàm de re, quàm de modo rei. Quæsiverunt utiq; gentiles Deum, & admodum solliciti fuerunt, ut veram Dei scientiam & cultum verum assequerentur: sed evanuerunt in cogitationibus suis, addit Apostolus cap. 1. Ibi enim Deum & cultum Dei quæsiverunt, ubi nunquam inveniri poterat: ac proinde studium ipsorum omne vanum & inane erat: quia in idolis & humanæ rationis opinionibus neq; Deus neq; verus Dei cultus reperitur. In verbo solùm quærendus est, quod cùm semper in illustri loco mundi, tanquam vexillum erexit, ad illud sanè accurrere, & ibi Deum inquirere debuissent, quod & potuissent. Prædicat igitur Apostolus ex Esaia insignem Dei misericordiam, quòd eos etiam expansis manibus ad se traxit, qui nondum de ipso rectè quærendo erant solliciti, sed interim, aliis humanarum opinionum figmentis occupati. Id verò factum est, dum inter gentes etiam accendit lumen verbi

verbi divini ex gratuita misericordia, per quod eas ad veram veri Dei agnitionem adduxit, quam extra verbum nusquam reperire potuissent.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. SAncti non sunt invocandi; quia in eos non credendum. Aphorismus autem Apostolicus clarus est; Eum non invocabunt, in quem non crediderunt. Invocatio enim vera præsupponit fidem veram, hoc est, certam animi fiduciam, quòd is, qui invocatur, & possit & velit exaudire. De sanctis autem scriptum est, quòd ignorent nos, Esa. 63, 16.

2. Fides non tantùm est notitia, sed firma animi fiducia, absq; dubitatione auxilij divini: qui enim dubitat, non existimet, quòd aliquid à Deo accipiat, Iac. 1, 6. ideò dicimur credere in Deum.

3. Fundamentum fidei est verbum Dei, quod inter nos prædicatur & auditur. Illud enim & de voluntate Dei & de potentia ejus nos certificat. Unde æstimari potest, quantum sit Dei beneficium, quòd verbum Dei purè inter nos prædicatur, quantæ etiam sit necessitatis, ut diligenter audiatur, tanquam singulare organum ὀργάνων: siquidem Deus ordinariè extra verbum neq; fidem neq; Spiritum Sanctum neq; gratiam neq; salutem largiri vult hominibus.

4. Ministrorum verbi & proprium & maximè necessarium officium est, prædicare verbum DEI; nusquam missificare jubentur: quorsum ergo scomma Papisticum, quo per ludibrium, ut ipsi putant, concionatores appellant

prædicantes? Titulus hic honoris est, quo & Christus ipse & Apostoli gaudebant Esa. 61. Luc. 4. Matth. 28. cujus & hodiè neminem pudere debet.

5. Prædicatio verbi pura est legitima nota Ecclesiæ veræ, in suo statu consideratæ. Nam ubicunq; prædicatur verbum Dei purè, ibi sunt fideles & electi, siquidem verbum Domini nunquam frustra vel absq; fructu prædicatur Esa. 55.

6. Ministri verbi sunt legati Dei, quemadmodum & appellantur 2. Cor. 5. quia mittuntur à Deo ad prædicationem Evangelij: nemo enim sibi sumit honorem, nisi vocatus sit, quemadmodum & Aaron Hebr. 5. Etsi igitur ambire ministerium non est prohibitum: nam qui petit vel etiam desiderat Episcopatum, bonum opus desiderat 1. Tim. 3. attamen expectanda est legitima missio etiam ad illud officium, cui opera nostra fuit oblata. Nam qui se Ecclesijs obtrudunt per illicita media, non per ostium ingrediuntur, sed alicunde conscendunt ovile: de quibus Dominus Ierem. 23, 21. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.

7. Doctrina Evangelij non est concio pœnitentiæ, sed prædicatio pacis & bonorum omnium cœlestium, quæ promittuntur & annunciantur fidelibus: quam ob caussam alibi doctrina pacis, & verbum vitæ æternæ appellatur Ephe. 6, 15. Iohan. 6, 68.

8. Prædicatores Evangelij pedibus conferuntur, partim propter summam celeritatem, qua olim Apostoli peragrarunt orbem terrarum, & qua etiamnum uti debent ministri verbi, nulla occasione neglecta, juxta illud: maledictus, qui opus Domini facit negligenter, Ierem. 48, 10. partim propter contemtibilem ministrorum verbi adspectum. Non enim in-

curribus

curribus aut equis, sed pedites, prædicabant Apostoli Evangelium, diversis in locis: quo ipso fastus & insolentia Romanorum Episcoporum damnatur.

9. *Pedes Apostolorum sunt speciosi, hoc est, pulcri & jucundi, non quia pedes Romani Pontificis gemmis atq; auro sunt ornati, sed partim, quia ipsum Evangelium, quod afferunt, jucundum est & acceptum, lætas faciens hominum conscientias, partim etiam quia auditoribus jucundum esse debet, exhilarans conscientias, & minuens tristitias.*

10. *Auditores verbi non omnes sunt æquales: semper enim admixti sunt inobedientes, contumaces, hyprocritæ, quibus verbum vitæ fit odor mortis ad mortem. Errant itaq; Anabaptistæ, qui Ecclesiam existimant constare purè putis sanctis: errant etiam, qui ex vita aut fide auditorum judicant de ministerio. Nam & Christus non semper fideles habuit & pios auditores; & Prophetæ passim de auditoribus suis conqueruntur Esa. 5, 53. Ierem. 6. &c.*

11. *Verbum Dei prædicandum est, non placita humana, quæ nullum habent usum. Matth. 15. Verbum autem DEI efficax est in animis auditorum, tanquam ordinarium ὄργανον, per quod Deus fidem in animis piorum operatur: idcircò in Actis aliquoties legitur, cecidisse Spiritum Sanctum super eos, qui audiverunt Apostolos Act. 2. 10. &c. Quæ consideratio merito ardorem studiumq; ad auditum verbi in nobis excitare debebat.*

12. *Verbum ab Apostolis prædicatum est norma ac regula fidei unica: quod enim Paulus noster sonum Apostolorum vocat, hoc David regulam seu canonem appellat. Verbum autem, quod tunc præconiaverunt, postea per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei nostræ futuram, inquit Irenæus lib. 3. cap. 1. Unde*

 conclu-

concludimus, scripta Apostolica esse canonem fidei, & hæreticum esse, quidquid ab illis dissentit; cum quo & D. Paulus alibi concordat, inquiens: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit Gal. 1, 9.

13. Prædicatio Evangelij universalis est, quam Deus nulli genti invidit. Quemadmodum enim Deus seriò voluit, ut omnes ad agnitionem veritatis venirent, 1. Tim. 2. ita etiam seriò omnibus verbum veritatis annunciari jussit, ut omnes ubiq; pœnitentiam agant, omnibus ritè audientibus Spiritum S. & Fidem promisit Act. 17, 30, 31. Facessat itaq; impietas Calvinianorum, quasi Deus multis quidem verbum dederit, sed converti ipsos per verbum noluerit; unde studium talium hominum, quod adhibent ad audiendum verbum, vocant divinitus maledictum & præposterum. Rennech. pag. 166. aur. catenæ.

14. Pœna talionis Deo admodum familiaris est, juxta illud vulgare: qua quis parte peccat, eadem punitur. Quemadmodum enim Iudæi, neglecto vero Deo, alienis dijs servierunt: ita Deus vicißim rejecto vero suo populo, alienum populum, gentiles nimirum, in gratiam recepit. Metuamus itaq; iram Dei, ne dum ipsius mandata reijcimus, ipse vicissim preces nostras adspernetur, & nos à facie sua proijciat; quò refer locum Esa. 59, 2. 2 Paral. 15, 2. &c.

15. Deus gratiâ suâ prævenit hominem convertendum, dum ex nolente facit volentem: & ita invenitur ab ijs, à quibus non quærebatur. Etsi enim homo non renatus audire & inquirere potest in verbum Dei, tamen illud studium externum salutare non est, absq; singulari Dei gratiâ. Quocirca conversionis opus non humanis meritis, sed in solidum divinæ bonitati adscribendum est.

16. *Magna & numquam satis laudata Dei bonitas est in procuranda hominum salute: quam hic duobus modis declarat Apostolus. 1. expansione manuum, quæ summæ benevolentiæ signum est, quâ Deus ostendit, se summo cum desiderio hominum expetere salutem. Facta autem est expansio ista* partim *in ministerio Christi, ubi manibus expansis ad se vocavit omnes contritos Matth.* 11. partim *in cruce Christi, ubi manibus expansis colligere voluit homines, veluti gallina pullos sub alis suis:* partim *etiam adhuc fit in ministerio verbi, in quo omnibus benevolam suam voluntatem aperit. 2. Deinde declarat eam hoc pacto, quòd etiam ad populum contradicentem, præfractum & rebellem, manus expandit, quorum conversionem de die in diem magnâ cum patientia expectat. Quod illustre signum est, Deum non delectari hominum interitu, neq; velle mortem morientis etiam, Ezech. 18, 32. sed omnium salutem ex animi sententia desiderare. &c.*

CAPUT XI.

Argumentum & Partitio Capitis.

Est hoc caput Epilogus præcedentis tractationis de Abdicatione populi Judæi & adoptione gentilium. Nam ne quis relinquatur scrupulus, summatim dicit, neq; desperandum esse Judæis, siquidem multos ex illis sibi reservavit Dominus ad Ecclesiam reducendos, & æternùm salvandos; neq; superbiendũ gentilibus, quia eodem modo, sicut Judæi, iterum rejici possunt à Deo, si ipsorum contumaciam fuerint imitati. Quemadmodum igitur spe Restitutionis consolatur

Judæos

Iudaos; ita metu Excisionis in officio continere vult gentiles: utrobiq; facit officium fidelis Apostoli.

Partes capitis duas constituimus.

I. Prima agit de Iudæis: ubi partim ostendit, quatenus sint à Deo rejecti; partim etiam novam istius rejectionis caussam adducit, usq; ad v. 18.

II. Altera agit cum gentilibus: quos Iudæorum exemplo à vitio superbiæ & securitatis carnalis diligenter dehortatur.

PRIMA PARS TEXTVS.

Λέγει οὖν, μὴ ἀπώσατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ; μὴ γένοιτο. καὶ γὰρ ἐγὼ Ἰσραηλίτης εἰμὶ, ἐκ σπέρματος Ἀβραὰμ, φυλῆς Βενιαμίν.

Οὐκ ἀπώσατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, ὃν προέγνω. ἢ οὐκ οἴδατε ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή; ὡς ἐντυγχάνει τῷ θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραὴλ, λέγων.

Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, καὶ τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν. κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου.

Ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός; κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ.

1. Dico ergò, numquid Deus repulit populum suum? Absit: nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin.

2. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis, in Elia quod dicit scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Israel;

3. Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.

4. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui nē curvaverunt genua ante Baal.

5. Sic

Οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν.

Εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων· ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις· εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι χάρις· ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον.

Τί οὖν; ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραὴλ, τούτου οὐκ ἐπέτυχεν· ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν, οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν.

(Καθὼς γέγραπται, ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν) ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας.

Καὶ Δαβὶδ λέγει, γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς θήραν καὶ εἰς σκάνδαλον, καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς.

Σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν παντὸς σύγκαμψον.

Λέγω οὖν, μὴ ἔπταισαν ἵνα πέσωσι; Μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς.

Εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν, πλοῦτος κόσμου, καὶ τὸ ἥττημα αὐτῶν,

5. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ factæ ſunt.

6. Si autem gratia, jam non ex operibus alioquin gratia jam non eſt gratia: Sin ex operibus, jam non eſt gratia, alioquin opus jam non eſt opus.

7. Quid ergo? Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt.

8. (Sicut ſcriptum eſt: dedit illis Deus Spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant) uſque in hodiernum diem.

9. Et David dicit, menſa eorum coram ipſis in laqueum & in captionem, & in ſcandalum & in retributionem illis.

10. Obſcurentur oculi eorum, ne videant; & dorſum eorum ſemper incurva.

11. Dico ergo: numquid ſic offenderunt, ut caderent? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt gentibus, ut illos æmulentur.

12. Quòd ſi delictum illorum, divitiæ ſunt mundi, & diminutio

πλοῦτος ἐθνῶν, πόσῳ μᾶλλον τὸ πλήρωμα αὐτῶν;

Ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν, ἐφ' ὅσον μέν εἰμι ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος, τὴν διακονίαν μου δοξάζω.

Εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα, καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν.

Εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν, καταλλαγὴ κόσμου, τίς ἡ πρόσληψις, εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν;

Εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα· καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἁγία καὶ οἱ κλάδοι.

eorum divitiæ gentium: quantò magis plenitudo eorum.

13. Vobis enim dico Gentibus, quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo:

14. Si quo modo ad æmulandū provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis.

15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi, quæ assumtio, nisi vita ex mortuis?

16. Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami,

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Cohæret hæc pars cum fine præcedentis capitis, in quo dixerat, Iudæos esse populum incredulum & rebellem, ad quos Deus frustrà manus suas expanderit. Obijci ergo poterat, id quod & suprà cap. 9. attigerat: numquid ergo Deus repulit populum suum? *id enim & contra promissionem Dei esse, & multis latam portam desperationis pandere posset. Respondet Apostolus per inficiationem:* Absit; Deus non omninò repulit populum suum: *μὴ ἀπώσατο, inquit, non ita in universum abjecit, ut nulli Iudæorum pateat ad salutem aditus. De tali enim universali Repulsa loquitur voce ἀπώσεως: idq; probat 1. suo exemplo v. 1.* Nam & ego sum Israelita, ex semine Abraham, de tribu Benjamin *: quasi dicat; ego quoq; ad populum istum pertineo, quippe ex Iudaico*

daico sanguine natus, non autem reor me extra Ecclesiam vivere, multò minùs, me in numero reproborum esse. Ergo Deus non omnes omninò Iudæos rejecit: sed calamitas in ista gente particularis fuit. 2. probat ex prævisione seu præscientia Dei: non repulit DEUS populum, quem præscivit *v. 2. quasi dicat, scientia Dei non fallit: ergò quos præscivit ad vitam æternam, eos nunquam rejiciet. Certum igitur est, habere Deum suos adhuc quos diligit, inter Iudæos etiam: novit enim Deus qui sunt sui, 2. Timoth. 2, 19. Dei autem sunt, qui Christo à Patre dati, Iohan. 17. quales sunt omnes fideles & electi. Unde sequitur, Apostolum hic non agere de simplici ac nuda προγνώσει, sed de præscientia tali, quâ vidit Deus homines in Filium credituros, & ordinem electionis secuturos; quales etiam in medio rebellium Iudæorum fuisse non est dubium. 3. probat exemplo Eliæ v. 2.* An nescitis, *inquit*, in Elia quid dicit scriptura? quemadmodum interpellat Deum pro Israel? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam &c. *Historia nota est ex 1. Reg. 19. ubi Iezabel occisis Prophetis Domini, omnia delubra Baalitis repleverat, ita ut existimaret Elias, se solum esse in universo Israel, qui in Idolomaniam istam non consenserit, quam ob caussam in desertum jam profugerat: atqui Dominus divinò oraculo ipsum edocebat, septem millia fidelium esse residua, qui Baalitico cultu non erant contaminati. Quo exemplo luculenter docet, licèt maxima pars populi Iudaici rejecta sit; habere tamen DEUM in isto populo reliquias eorum, qui secundùm electionem gratiæ salvi facti sunt, hoc est, quos DEUS ex mera*

 gratiâ

gratiâ elegit ad vitam, quibus fidem dedit, quos & in fide conservat, & tandem æternùm salvat, licèt non ab omnibus visibiliter agnoscantur. Quia verò electionem istam ex gratia factam dixerat, mox infert: ergò non ex operibus, aliàs gratia non esset gratia, *v. 6. unde tacitè colligere vult, Judæos cæteros, qui non contenti erant gratia Dei, sed operum merita urgebant, justè rejectos esse, siquidem gratia & opera simul stare non possint. Hoc est primum membrum primæ partis.*

In altero membro peculiarem caussam exponit, ob quam rejecti sunt Iudæi: quia nimirum excæcati & in reprobum sensum fuerunt traditi: qua de re ita scribit v. 7. Quid ergo? quod quærebat Israel, non est consecutus: electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt. *Respicit ad id, quod suprà dixerat cap. 9, 32. Judæos quæsivisse justitiam, sed non invenisse, quia non quæsiverunt ex fide, sed ex operibus. Qui verò illi sint, qui ex fide, & qui ex operibus quæsiverunt, hic exprimit; illos vocat electos, hos excæcatos: non quasi omnes non-electi excæcati sint, sed quia Iudæi tales fuerunt, de quorum rejectione hic ex professo agit. Est autem μετάληψις in eo, quod scribit, Electio consecuta est, pro, electi consecuti sunt justitiam Deo acceptam, quia fide fuerunt præditi, sine qua nemo Deo placere potest. Vnde autem sit cæterorum excæcatio, jam ex scriptura docet, quæ eam in locis à Paulo allegatis ad Deum refert, non αἰτιολογικῶς sed διακριτικῶς, tanquam ad justum judicem:* Scriptum est, *inquit:* Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, aures ut non audiant usq; in hodiernum diem: Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum & in captionem, & in scandalum & in retributionem illis, obscurentur oculi eorum ne videant, & dor-

& dorſum eorum ſemper incurua.&c. *Tergemino ſcripturæ teſtimonio oſtendit, Deum juſto judicio commotum, excæcaſſe reprobos Iudæos. Vnum petitum eſt ex Eſaia cap. 6, 9. ubi excæcatis oculi & aures clauſæ tribuuntur; quibus ſimul indicatur, ipſos & videre & audire potuiſſe, quæ ſana ſunt, ſed in pœnam peccati antegreſſi neq; oculis neq; auribus in rebus divinis uti potuiſſe: Deo enim ſubtrahente manum ſuam, hominem & cæcutire & claudicare, & tandem omninò cadere neceſſe eſt. Secundum petitur ex Eſa. cap. 29, 9. ubi reprobis tribuitur Spiritus compunctionis,* πνεῦμα κατανύξεως: *apud Prophetam eſt* רוּחַ תַּרְדֵּמָה, *Spiritus Soporis. Tribuitur ergo impijs veternus graviſſimus, & periculoſiſſimus lethargus, qui facit, ut etiam ſeriò inclamantem & à peccatis excitantem audire nequeant.* κατάνυξις *autem, qua voce LXX. uſi ſunt, ſignificat ejusmodi ſtimulum cordis, quo cor lancinatur creberrimè, ut tandem ferè nihil amplius ſentiat. Notatur igitur hac voce animus quaſi callo obductus, qui ſenſum doloris quidem experitur, ſed nihili facit; audit objurgationes ſed nihil curat, imò inflammatur inſuper adverſus benè monentem, & ſic in peccatis obſtinatè pergit. Tertium teſtimonium petitum eſt ex regio Pſalte Pſal. 69, 13. ubi menſa reproborum fieri dicitur in laqueum, in captionem, in ſcandalum & retributionem. Per menſam intelligit partim expeditionem rerum, quæ ferè in menſis ſolet fieri; partim prædicationem verbi, in qua ſalutares epulæ apponuntur: Sed quia iſti homines non curant illas lautitias, fiunt ipſis in laqueum &c. hoc eſt, quò diutiùs verbum audiunt, eò magis exacerbuntur & furere pergunt, ut qui non audiunt carni ſuæ grata. Retributio itaq; illis fit, ut quemadmodum ipſi verbum adſpernati ſunt, ita viciſſim verbum adſpernatur*

ipsos, hoc est, Deus ipsos non dignos judicat, ut ex verbo solatium aut auxilium aliquod accipiant; quæ omnia verbo ex accidenti tribuuntur. Ex eodem Psalmo repetitur, quod ex Esaia paulò ante dixerat de excæcatione; additur autem, dorsum eorum semper incurva, *quod ex imprecatione Christi crucifixoribus suis facta depromitur, ubi omne robur virium reprobis denegatur, hoc est, omnis successus & felicitas rerum expediundarum. Et hæc revera maxima pœna est hominum reproborum, quòd tandem nihil quidquam felicitatis vel successus in rebus corporis & animæ, ipsis expectandum.*

Ex his omnibus, quæ hactenus de Iudæorum reprobatione disputaverat Apostolus, inferri poterat dubium, an necesse fuerit labi Iudæos? vel an ideò à Deo rejecti sint, ut ipsi pereant, & gentes salventur? Hoc enim sibi vult quæstio Apostoli v. 11. Numquid sic offenderunt, ut caderent? *Negat hoc Apostolus, usitatâ sibi formula negandi,* absit; *ratio negationis est, quia Iudæorum lapsus non est caussa, sed occasio conversionis gentilium. Postquam enim Iudæi adspernati sunt consilium Dei adversus seipsos, converterunt se Apostoli ad gentes Act. 13. idq; Deus usq; adeò non fecit in Iudæorum perniciem, ut potius eo ipso Iudæi vicissim occasionem haberent convertendi se ad Christum: siquidem cum gentibus in studio pietatis & agnoscendæ veritatis meritò certare debuissent. De his omnibus ita loquitur Apostolus v. 11. & 12.* Illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ gentium, quantò magis plenitudo eorum? *Quibus verbis argumentatur Apostolus à minori ad majus hoc sensu: Si Iudæi lapsu suo occasionem dederunt ad conversionem*

ſionem gentium, inter quas Deus divitias gratiæ ſuæ diſperſit in univerſo mundo; quanto magis promoturi eſſent aliorum quamplurium ſalutem, ſi ipſi in veritate ac fide perſtitiſſent? Ergo neceſſe non fuit, ut laberentur. Poſtquam autem jam lapſi ſunt, in hunc finem jam receptas gentes ait in gremium Eccleſiæ, non ut Iudæi prorſus excluderentur, ſed potiùs ut Judæi à gentibus provocati, pia quadam æmulatione ſtudium & pietatem gentilium imitarentur. Quo quidem in genere ſe diligentem operam navaturum ſcribit v. 13. ut licèt gentium ſit Apoſtolus, aliquos ex Iudæis ipſe provocet ad piam illam æmulationem, quo & ipſi ſalvi fiant. Vobis enim dico, *inquit*, gentibus, quandiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, *hoc eſt, illuſtrius faciam non tantùm gentilium ſed & Iudæorum converſione*, ſi quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, *hoc eſt, Iudæos, carnali generatione, mihi affines*, & ſalvos faciam aliquos ex illis. *Rationem addit ab utili, id enim cedere ſperat ad majorem Dei gloriam, quæ ſi in lapſu Iudæorum promota fuit per converſionem gentilium, ad quos Apoſtoli à Iudæis egreſſi diverterant, quantò majora incrementa capiet, ſi quam plurimi ex Judæis converſi una fide & uno ore Deum unum colerent? Hic eſt ſenſus v. 15.* Si enim amiſsio eorum, recõciliatio eſt mundi, quæ aſſumtio niſi vita ex mortuis? *Amiſſionem Iudæorum vocat lapſum ipſorum; per hanc facta reconciliatio mundi, occaſionaliter, dum nimirum Apoſtoli à Judæis ejecti, ad gentilium civitates in orbe terrarum ſeceſſerunt, ibiq; Evangelium de Chriſto prædicarunt, ut ſupra explicatum fuit; & ſic quaſi ex mortuis & reſectis membris Iudæorum, alia per fidem viva propullularunt, donec tandem ex Iudæis & gentibus unum ECCLESIAE*

corpus

corpus factum est. Hæc omnia ob principale thema hujus partis adducuntur, ut nimirum doceat, Judæos non in universum abjectos esse, eosq; qui ab externo Ecclesiæ consortio resecti sunt, spem insitionis adhuc habere: cujus rei adhuc unum argumentum quasi coronidis loco attexit, depromtum à naturâ promissionum Dei, quæ non saltem Patriarchas, quibus factæ sunt, concernunt, sed totam posteritatem. Si ergo patres in promissione fœderis conservati sunt, impossibile sanè non est, ut & posteri eorum in ea conserventur. Proponit hoc argumentum geminâ similitudine. 1. petita est à frugibus Israelitarum. Si delibatio sancta est, & massa: *quasi dicat sancti Patres, Abraham, Isaac, Iacob, tanquam primitiæ populi, participes fieri potuerunt promissionum divinarum: ergò non est impossibile, quin ex posteris aliqui ijsdem beneficijs divinitus promissis, fruantur. Vel ita: si Patriarchæ illi fuerunt membra Ecclesiæ, habentes aditum ad privilegia Dei, utiq; & posterorum aliqui revocabuntur ad gremium Ecclesiæ. Ideò enim sancti dicuntur, quòd ad Ecclesiam accessum habent, sanctitate civili, non Ecclesiasticâ: non secus ut olim oblatis primitijs sanctificabantur cæteræ fruges, ut ijs bona conscientia uti liceret. Eadem est ratio alterius similitudinis,* si radix sancta est, & rami sancti sunt. *Patres radicem vocat, ex qua ipsi resecti exciderunt, novam tamen insitionem eis promittit. Vnde sequitur, Iudæos vi promissionis patribus suis & semini ipsorum factæ, aditum habere ad beneficia privilegiaq; Dei, tantùm abest, ut de ipsorum salute penitus desperatum sit.*



PARA-

Paraphrasis hujus partis.

QVæ hactenus de Iudæorum abdicatione disputavi, non ita velim accipi, quasi populus ille universus repudiatus fuerit. Nolite hisce cogitationibus vosmetipsos excruciare, ô vos mei. Nam & ego profiteor me ex illa gente oriundum, neque tamen dubito, quin sim ex electorum numero. Fieri enim non potest, ut pereant illi, quos Deus ab omni æternitate in Christo præscivit, quod Iudæis quoq; aliqua ex parte accidisse constat, licèt in individuo dicere non posimus, qui sint illi. Nam quemadmodum tempore Eliæ, cùm Iezabel occidisset Prophetas Domini, & omnem cultum veri Dei evertisset, Elias existimabat, se solum è cultoribus veri Dei esse relictum, & tamen dicente divino oraculo, septem millia in isto populo erant residua eorum, qui Baalitico cultu non erant inquinati, licèt Eliæ essent inconspicui: Ita dubium non est, quin & jam Deus sibi reservarit suos, quos ipse omnium optimè novit, & ad salutem ab omni æternitate ex mera gratia elegit; ex gratià, inquam, ne existimetis illos meliores fuisse cæteris. Si enim Deus opera ipsorum respexisset, non potuissent dici secundùm gratiam electi. Quid ergo multùm hæremus in hac quæstione de Iudæorum abdicatione? summa eò redit; quòd electi, qui consilium Dei fuerunt secuti, & medijs conversionis usi, consequantur vitam ac salutem; cæteri verò, qui media illa aspernantur, excæcati sunt, ut magis magisq; ruant in interitum: id quod scriptura Deo tribuit tanquam justo judici, qui verbum annunciare jubet etiam reprobis, sed non intelligunt, quod audiunt, sed offendunt magis

magisq; in lapidem illum offendiculi, cæco quodam furore, nullumq; sentiunt successum in operibus manuum suarum, sed laborando deficiunt & nihil proficiunt, donec tandem mensuram iniquitatis impleant, & in æternum exitium ruant. Sed quid? inquies; numquid ergo ipsos ita offendere in verbo veritatis oportuit, ut caderent & nunquam resurgerent? Absit hoc: sed salutem etiam cadentium anxiè desideravit Deus: idcircò gentiles in ipsorum locum adsumsit, missis ad ipsos Apostolis, postquam à Iudæis fuerant ejecti, ut sancta quadam æmulatione accenderentur Iudæi, neq; permitterent, ut gentiles soli ad Christum converterentur, sed & ex Iudæis aliqui gentilibus adjungerentur: id quod ad incrementum regni Christi non parum esset conducturum. Quod si enim Iudæi lapsu suo occasionem dederunt conversioni gentium, inter quas divitiæ gratiæ Dei fuêre effusæ, quantò magis promoveri potuisset multorum gentilium salus, si Iudæi nunquam fuissent lapsi, vel si adhuc magno numero ad Christum gentibus prædicatum sese aggregarent. Et hoc prædico vobis, ô vos mei, quos ex gentilitate prædicatione Euangelij ad gremium Ecclesiæ adduxi; licèt ego sim gentilium Apostolus, operam tamen dabo sedulam, ut ministerio meo aliquos Iudæorum Deo meo lucrifaciam: Sunt enim consanguinei mei, ex ijsdem majoribus mecum oriundi: idcircò hoc officium me debere ipsis agnosco, neque dubito, quin ad honorem ministerij mihi divinitus commissi faciat, si multos ex Judæis & gentibus Christo Domino meo adducam. Ita enim placuit Deo, ut excidentibus Iudæis novus quasi mun-

ſi mundus ipſi generaretur in gentilitate, audito verbo Evangelij inter gentes: æquum itaque eſt, ut viciſſim gentiles occaſionem converſionis præbeant Iudæis: idq; eò magis, quod ad Iudæos pertinet promiſsio Patriarchis facta, quæ quidem in primitijs populi ſui locum invenit. ſpero etiam in poſteris aliquibus: ſolet enim maſſa redolere naturam fermenti, & radix indolem ſuam repræſentare in ramis, ſi non omnibus, ſufficit in quibuſdam: aliàs promiſsio Dei Patriarchis, tanquam primitijs & radici gratis Iudaicæ factæ, Ero Deus ſeminis tui poſt te, fieret irrita; quod nemo affirmare auſit.

Quæſtiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Cùm Deus non repellat populum, quem præſcivit, videtur præſcientia & Electio unum & idem eſſe: nam de Electis aliàs dicitur, quòd non repellantur à DEO, hoc eſt, quòd non excidant gratia Dei finaliter. Hoc verò eſt contra id, quod cap. 8. dixerat Apoſtolus: quos præſcivit, hos

prædestinavit; ubi præscientia & prædestinatio seu electio distinguuntur, & in se res manifesta est, quia præscientia ad essentiam Dei; electio ad voluntatem pertinet?

Resp. *Certum est, præscientiam hic notare non simplicem rerum notitiam, sed notitiam ad ordinem electionis restrictam. DEUS enim cùm præscitos eligit ad vitam, non homines, quatenus tales, præscit; aliàs omnes elegisset; sed quatenus sunt in Christo per fidem: & in hac significatione præcogniti & electi parum differre videntur. Ideò quod hic v. 2. Apostolus de præscientia Dei dicit,* Deus non repellit populum, quem præscivit; *hoc infrà v. 7. electioni tribuit: electio est consecuta. Differunt tamen ratione ordinis, tanquam antecedens & consequens, vel ut decretum, & ut pars ordinis in decreto inclusi. Præscientia antecedit, ut pars ordinis Electio sequitur, ut decretum; atque sic hæc duo capite octavo expressè distinguuntur. Quòd autem hic Apostolus voce præscientiæ, non electionis utitur, non absq; caussa factum est. Cùm enim illi, qui ex Iudæis erant electi, non omnibus essent noti, indicare voluit Apostolus, DEUM eos nosse: cui certus est electorum numerus, in quocunq; populo vivant. Novit enim Dominus, qui sint sui 2. Tim. 2. vicißim, novit Dominus Iesus ab initio, qui non essent credentes, Ioh. 6, 64.*

QUAESTIO II.

Quæstio est: an omnes Electi æternam conse-

consequantur salutem: id enim D. Paulus affirmat, quando in abstracto dicit, Electio est consecuta v. 7. Obstare verò videtur hoc argumentum: Omnes infantes baptisati sunt electi, quia sunt in Christo, quem per fidem induerunt Gal. 3. Multi infantes baptisati pereunt. Ergo multi electi pereunt.

Resp. Primùm, hoc ex scriptura certum est, electos omnes salvari; id enim bis repetit in hoc textu Apostolus: non repulit Deus populum suum, quem præscivit: & electio est consecuta. Adstipulantur alia scripturæ loca, ut quod Daniel salvari scribit, quotquot in librum vitæ sunt inscripti Dan. 12. *& quod de electis Christus asseverat, fieri non posse, ut electi pereant in erroribus, Matth. 24. Deinde, sciendum est, electos, quo ad vocabulum attinet, in duplici esse posse differentia. Tribuitur enim hic titulus* 1. *ÿs, qui in Christum credunt, qui regenerati sunt, qui ducuntur spiritu Dei, & faciunt opera filiorum Dei: qui quandiu tales sunt, obtinent electorum titulum; habent enim ea quæ electionis sunt, quamvis non completè. Deest enim ipsis finalis perseverantia.* 2. *Electi propriâ suâ definitione dicuntur, qui non saltem habent aliqua, sed omnia, quæ ad electionem pertinent, hoc est, non modò benè incipiunt, sed & feliciter fideliterq́; pergunt & constanter perseverant. Et hi sunt propriè sic dicti Electi, qui certò consequuntur finem fidei, salutem animarum: illi impropriè & titulotenus saltem ita vocantur, propriè & plenariè hâc definitione digni, si in bono perseverarent. Distinctionis hujus fundamentum extat*

Electi in duplici sunt differentia.

Joh. 8, 31. in sermone CHRISTI ad discipulos: Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. Ergo qui non manent in sermone Christi, non verè, sed titulotenus saltem tunc, cùm adhuc facerent officium, discipuli Christi vocabantur. Ita res sese habet cum infantibus baptisatis. Certum est infantes omnes in Baptismo factos esse æternæ vitæ candidatos, & quatenus in infantili adhuc ætate sunt constituti, Electorum titulus ipsis competit, quia nihil habent tunc, quod ipsorum fidem vel conscientiam lædat. Dicuntur autem propriè Electi, si in ista infantia sua ex hac vita discedunt, antequam malitia depravare intellectum, & impietas decipere potuit animam eorum Sap. 4, 11. Tunc enim retinuerunt fidem & bonam conscientiam. Competit etiam ipsis propriè Electorum titulus, quando ad adultam pervenerunt ætatem, & in bono perseverarunt, vel, si transgressi fuerint, per pœnitentiam seriam ante finem vitæ ad frugem redierunt, & in fide verâ hinc discesserunt. Quòd si verò fidem & bonam conscientiam per peccata mortalia amittunt, quod facilè fieri potest, tunc apparet, ipsos in infantia non nisi titulotenus Electorum nomen habuisse, quatenus nimirum aliqua electorum habebant, fidem, regenerationem, Spiritum Sanctum, υἱοθεσίαν &c. Hinc apparet, quid ad propositum argumentum respondendum sit. Major propositio vera est, cum admissa distinctione Electorum jam explicata. Nam ad electos propriè sic dictos scriptura plus requirit, quàm fidem in Christum, nimirum perseverantiam in fide finalem: quemadmodum ad salutem, cum qua Electio est convertibilis, non tantùm fides sufficit; sed qui perseveraverit in fide, salvus erit Matth. 10.

Quæ

QVAESTIO III.

Numquid omnes reprobi sunt excæcati? hoc enim videtur Apostolus innuere, quando de Electis scribit, quòd consequantur salutem; cæteri verò, hoc est, reprobi excæcati sint? v. 7.

Resp. Loquitur hic Apostolus de reprobis in pessimo suo gradu consideratis, qui Deo pertinaciter se opponunt, & cæco quodam impetu ruunt in suam perniciem, blasphemantes Deum, proprio suo judicio condemnati, ut alibi describuntur. Aliàs certum est, non omnes reprobos esse excæcatos. Nam & qui ante regenerationem suam in infantia moriuntur extra Ecclesiam, pertinent ad classem reproborum: quibus tamen excæcatio tribui non potest. Quemadmodum igitur malitia suos habet gradus; ita & ipsi mali sive reprobi 1. Nonnulli pereunt in congenita malitia, antequam in nervum erumpat. 2. Nonnulli extra agnitionem Christi pessimè vivunt. 3. Nonnulli agnoscunt Christum, & verbum ejus audiunt, sed negligunt, rebus aliis implicati. Hi omnes Reprobi quidem sunt, nondum tamen excæcati: sed qui verbum auditum non modò negligunt, sed & contemnunt, rident, persequuntur, horum sanè oculi præstigiis Satanæ fascinati sunt, ut videre nequeant, quæ ad salutem faciant. Et hic extremus Reproborum gradus est, à quo D. Paulus Reproborum denominationem petere voluit.

Quæ

QUÆSTIO IV.

Quomodo Paulus ita argumentari potuit: si radix sancta est, sancti sunt & rami v. 16. cùm tamen sanctitas parentum non propagetur in sobolem?

Resp. Primùm omnium sciendum est, verißimum esse, Sanctitatem parentum, quâ placent Deo, non propagari posse in liberos: Deo enim placent per fidem, quâ purificantur corda ipsorum Act. 15. Quilibet autem sicut non alienâ, sed suâ fide vivit; ita quoq; non parentum, sed suâ fide sanctus est Deoq; gratus. Fidem autem illam non ex propagatione carnali habere, sed aliis mediis adquirere potest. Proinde sciendum est secundo loco, Apostolum hic non loqui de sanctitate Spirituali, quæ hominem facit Deo gratum; sed de sanctitate legali seu civili, quæ non tàm ad personam parentis, quàm ad hæreditatem potiùs gentis pertinet, quâ nimirum ex sanctis & fidelibus parentibus nati habent aditum ad adquirendum jus civitatis Dei per ordinarium medium Baptismi; quo respectu illi, qui extra Ecclesiam nati sunt ab infidelibus parentibus, dicũtur immundi, quia ad beneficia Ecclesiæ tam facilè non admittuntur. Quod si de sanctitate spirituali intelligere locum Apostolicum volueris, non de facto, sed de poßibilitate interpretandus esset, hoc sensu: Si Patriarchæ sancti Deoq; grati fieri potuerunt, qui tamen naturâ æquè erant immundi, fieri potest, ut & posteri sancti, hoc est, Deo grati & accepti reddantur. Sed prior interpretatio est concinnior. Disputat enim Paulus non de sanctimonia Judæorum spirituali, sed de privilegio illo Dei, quod habent in Ecclesia præ exteris gentibus, vi promißionis divinæ, quâ sanctificati,

hoc

hoc est, consecrati, & à cæteris populis separati sunt, in Dei peculium. Sic hodieq; Christianorum liberi vocantur sancti 1. Cor. 7. non quòd puri à peccatis, sancti & Deo grati nascantur, sed sanctitate illâ legali, quâ separati sunt à Turcis & Iudæis, omnibusq; aliis, qui extra Ecclesiam vivunt, præ quibus beneficiis & privilegiis Ecclesiæ gaudent.

QUÆSTIO V.

Num propter illam sanctitatem civilem, qua gaudent Christianorum liberi, rectè dicere possum: ipsos nasci in fœdere, nasci Christianos & cives Ecclesiæ?

Resp. Ita quidem contendit Paræus dub. 12. & 13. in hoc caput, ubi distinguit inter sanctitatem regenerationis & fœderis: illam derogat infantibus Christianorum, hanc tribuit. Vocat autem sanctitatem fœderis jus civitatis Dei, seu legalem separationem à cæteris gentibus. Et hactenus à nobis parum discrepare videtur, sed addit, omnes illos ex Christianis parentibus natos esse in fœdere Dei p. 1174. quod jus fœderis ipsis in baptismo non demum conferatur, sed tantùm obsignetur p. 1179. ac proinde non esse repugnantia, nasci reum seu filium iræ secundùm naturam, & nasci Christianum seu civem Ecclesiæ secundum gratiam p. 1177. Quæ sanè doctrina ὀρθοδοξίαν *minimè sapit, Primùm enim falsum est, eos, qui in Ecclesia nascuntur, nasci etiam in fœdere Dei. Nam fœdus Dei plura complectitur, quàm externum illum accessum ad beneficia Ecclesiæ: Complectitur enim gratiam Dei, adoptionem, Spiritum sanctum, hæreditatem vitæ æternæ, à quibus multi sunt exclusi, qui tamen ad consequenda ea aditum*

habuerunt. Deinde: fœdus illud init DEUS cum homine non ante Baptismum, sed in Baptismo; ibi enim pater noster fit, & nos in filios recipit, Spiritum sanctum & hereditatem æternorum bonorum revera largitur, juxta illud Apostoli: Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu sancto, quem effudit in nos opulenter per Jesum Christum Salvatorem nostrum Tit. 3, 5, 6. Et alibi; omnes filij Dei estis, per fidem in Christo Iesu: quicunque enim in Christo Iesu baptisati estis, Christum induistis Galat. 3, 26. Quid autem est induere Christum, quàm omni suo merito beneficijsq; frui, quod ijs qui baptisati non sunt, denegatum est. Proinde falsum est, quod tertio loco ponitur, nimirum nasci aliquem Christianum seu civem Ecclesiæ. Nascimur enim filij iræ Eph. 2. regeneramur autem filij gratiæ: & Baptismus clavis illa est, quæ nos in domum Dei, quæ est Ecclesiæ, intromittit: antequam autem baptisamur, dubium non est, esse nos adhuc in regno Satanæ, è quo per baptismum eripimur: quorsum aliàs opus esset, Christum in baptismo induere, si etiam ante baptismum Christiani essemus & cives Ecclesiæ. Videtur ergo error omnis inde esse, quòd putat Pareus, Christianum & civem Ecclesiæ eum esse, qui tantùm aditum habet ad beneficia Ecclesiæ præ alijs gentibus, quæ extra Ecclesiam vivunt. Sed longè plura requiruntur ad Ecclesiæ civem seu Christianum, videlicet, fides in Christum gratia Dei, υἱοθεσία, Spiritus sanctus, quo duce fiunt ea, quæ Dominus in cœlis à subditis seu domesticis suis requirit: quæ omnia nondum baptisatis tribui nequeunt. Idcirco cives Antiocheni, quibus hoc nomen primùm omnium fuit tributũ, non prius Christiani appellati sunt, quàm ab Apostolis instituti, & discipuli facti sunt Actor. 11, 26. Relinquitur ergò, eos, qui nondum sunt discipuli, hoc est, nondum baptisa

ptisatos non esse Christianos neque cives Ecclesiæ, sed per Baptismum demum jus civitatis Dei adquirere posse: Nam fiunt, non nascuntur Christiani, inquit Tertullianus in apolog. cap. 17. Neq; obstat, quod obijcitur, conditione naturæ non esse Christianos, sed conditione gratiæ. Gratia enim illa nemini obtingit, nisi qui medijs illis utitur, quibus Deus recipit nos in fœdus gratiæ. Medium autem illud non est carnalis propagatio, non fides parentum, sed baptismus, qui propterea lavacrum regenerationis vocatur Tit. 3. quia eo mediante renascuntur & fiunt Christiani seu filij Dei qui carnaliter filij iræ, & inimici Christi nati erant.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. Misericordiæ Dei est, quòd etiam in populo Reprobo, suos habet Electos: quemadmodum inter Chananæos, meretricem Raab habuit; inter Midianitas, Jethronem socerum Mosis; inter Moabitas, Ruth; inter Tyrios, Regem Hiramum; inter Syros, Naamanum inter Amorrhæos, Mambrem, Escol, Aner, confœderatos Abrahami, Gen. 14. inter Hethæos, Vriam; inter Persas Cyrum, Darium, Magos &c. inter Idumæos, Iobum & amicos; inter rejectos Iudæos, Paulum Benjamitam &c. Nunquam enim Deus ita repellit populum ullum, ut non semen suum in eo sibi relinquat: sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi Act. 10, 35.

2. Præcogniti ad vitam æternam, non excidunt salute: non quòd excidere non possint, sed quia nemo ad illos præcognitos pertinet, quem Deus non ab omni æternitate viderit in

fide permansurum. Et in his facit Deus, quæ oportet, notavit eos in manibus suis Es. 49. defendit adversus tentationes, ut nemo eos rapere poßit è manibus suis. Qui verò sua propria culpa excidunt, hi inter præcognitos illos nunquam fuerunt.

3. *Pastorum Ecclesiæ est, orare pro populo, nec facilè commoveri, ad imprecandum ei mala, sed infirmitatem multorum tolerare, exemplo Eliæ, quem Paulus pro populo orasse scribit* 1. *Reg.* 19. *imò suo proprio exemplo, quem pro Iudæorum salute orasse audivimus. Studeant autem auditores, ne malitiâ & incorrigibili improbitate suâ gemitus piorum pastorum extorqueant, memores illius Apostolici: Obedite præpositis vestris, & subjacete ipsis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis, Heb.* 13, 17.

4. *Querela de persecutoribus Ecclesiæ in sinum Dei est effundenda, exemplo Eliæ & Davidis Psal.* 36, *&* 109. *neq; dubium est, quin gemitus illi vindictam divinam adversus hostes excitare poßint. Hæc enim sunt ministrorum verbi arma, quibus pugnant pro Ecclesia; prædicatio verbi sincera, redargutio adversariorum, & precatio contra vim Ecclesiæ illatam.*

5. *Ingenium hostium veritatis est furiosum, sæviunt enim in personas & ædificia, quemadmodum eleganter hic depinguntur ipsorum mores: occidunt Prophetas, & diruunt altaria. Conferantur nostri reformatores Papistici & Calvinistici: illi templa cum doctoribus evertunt pulvere pyrio, igni & ferro, prout furor arma ministrat: hi altaria & imagines in templis aggrediuntur & demoliuntur; ita verò Baalitica reformatio cultus divini hic describitur. Confer Psal.* 74.

6. *Magna sæpè est infirmitas Sanctorum in persecutionibus*

nibus, qui neq; injurias satis tolerare, neq; auxilio divino satis confidere possunt; quod partim Eliæ querimonia, partim Jobi ægritudo testatur. Agnoscamus itaq; imperfectionem sanctorum, & petamus à Domino robur & virtutem, quando ea nobis opus est; Spiritus enim promtus est, caro infirma: ideò qui stat, videat, ne cadat.

7. *Ecclesia sæpè redigitur ad eas angustias, ut quasi extincta videatur, id quòd historia Eliæ clarè testatur: interim tamen DEUS habet electos suos sibi probè cognitos, licèt nobis non semper noti sint. Et hoc est, quod vulgò inter Ecclesiam visibilem & invisibilem distinguitur. Visibilis enim Ecclesia est cœtus vocatorum, in quo docetur purè verbum DEI, & administrantur legitimè Sacramenta: & hæc visibilis congregatio hominum interdum penitus in aliquo loco deficere potest, quemadmodum tempore Eliæ factum, ubi Ecclesia vera degeneravit in falsam, omniaq; à Baalitis erant occupata, & postremis temporibus in papatu. Quemadmodum autem in visibili isto cœtu veræ Ecclesiæ multi admixti sunt hypocritæ, quorum corda Deus introspicit: ita in Ecclesia falsa multi sunt electi, nobis inconspicui, DEO verò optimè noti; qui cœtus electorum vocatur Ecclesia invisibilis.*

8. *Electorum numerus in se est satis magnus: hic enim in una Ecclesia Iudaica 7000. numerantur, alibi 144000 dicuntur sequi agnum, ubicunq; iverit Apoc. 14. attamen valdè est exiguus respectu reproborum, confertur enim reliquijs. Minima ergo pars hominum salvatur, quod CHRISTUS subinde inculcavit, ne cum maxima mundi parte ad interitum ruamus, sed ad exiguum illum cœtum piorum maturè nos aggregemus.*

9. *Electi certò consequuntur salutem: & extra cœtum salvandorum propriè sic dicti electi non sunt quærendi, sicuti sæpè diximus. Quemadmodum igitur absq; fide nemo salvatur, ita neq; absq; fide quisquam ad salutem eligitur.*

10. *Reproborum pessima est conditio: inciderunt enim in judicium Dei, quod grave esse affirmat Apostolus Hebr. 10. indurati sunt, hoc est, omni pœnarum sensu carent: cauteriatam habent conscientiam: cæci & surdi sunt, non audientes, quid ad ipsorum salutem conducat: verbo divino, tanquam salutari DEI organo, utuntur vel abutuntur potius, ad propriam perniciem, majoremq; subinde indurationem: omni deniq; successu carent in expeditione rerum suarum. Talia igitur qui secum experitur, maturè revertatur; jam enim proximum habet gradum ad interitum.*

11. *Reprobatio Iudæorum salus est gentium. Ea enim occasione ad gentiles pervenit Evangelium de CHRISTO, postquam Iudæi illud rejecerunt: atq; sic ex dispositione DEI ultimi facti sunt primi, quod Paulus obijcit Iudæis Act. cap. 13,46. & Christus Matth. 8,11. &c.*

12. *Sancta æmulatio est, quæ fit in rebus fidei & studio pietatis. Ita voluit DEUS Iudæos fieri æmulatores gentilium in sincero cultu religionis; solet etiam interdum DEUS auferre à civitate aliqua verbum suum, & concedere illud vicinis, ut rebus amissis appareat, quid habuerit. Proinde sanctum hoc exercitium est, si qui sese invicem ad pietatem & sanctitatem provocare student; quam ob caussam Apostolus alibi ad æmulationem donorum meliorum exhortatur 1. Cor. 12,31. 14,1.*

13. *Ministerium verbi est organum efficacissimum adquirendæ salutis; ideò Paulus scribit, se laboraturum suo*

ministerio, ut aliquos Iudæorum salvos faciat. Simili sententia scripsit ad Timotheum: hoc faciens, te ipsum salvabis, & qui te audient 1. Tim. 4, 16. Absit igitur, ut officium Spiritus sancti à prædicatione verbi divellamus: ideò enim vocatur Evangelium potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. 1, 16. & sermo, per quem creditur, Ioh. 17, 20.

14. *Vocatio Iudæorum & gentium simul stare potest: ita enim decretum est à DEO, ut & gentes advocentur ad gremium Ecclesiæ, & ex duobus unus fiat populus colens DEVM; qua de re Christus agit, quando de uno ovili prædicat Joh. 10. & Apostolus Paulus præter locum præsentem, etiam Eph. 2, 14. ubi ista congregatio Iudæorum & gentium per Christum facta scribitur.*

15. *Ex Christianis parentibus natum esse, singulare est DEI beneficium, quod multò magis gratiarum actione dignum est, quàm quòd nati sumus homines. Pertinent enim ad liberos Christianorum omnia civitatis Dei privilegia, à quibus cæteri, qui extra Ecclesiam nascuntur, exclusi sunt; nisi legitimis mediis in potestatem eorum, qui Ecclesiæ cives sunt, deveniant; & hoc nomine cives Ecclesiæ sancti, hoc est, ad participanda Ecclesiæ beneficia apti, cæteri immundi dicuntur, hoc est, ad privilegia Ecclesiæ inepti, cum aliàs respectu sanctitatis spiritualis, nulla utrobique sit disparitas: omnes enim in peccatis nascuntur, & beneficio regenerationis indigent.*





PARS ALTERA

TEXTUS.

Εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν, σὺ δὲ ἀγριέλαιος ὢν ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς, καὶ συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης, καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας ἐγένου.

Μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων. εἰ δὲ κατακαυχᾶσαι, οὐ σὺ τὴν ῥίζαν βαστάζεις, ἀλλ' ἡ ῥίζα σε.

Ἐρεῖς οὖν, ἐξεκλάσθησαν οἱ κλάδοι, ἵνα ἐγὼ ἐγκεντρισθῶ.

Καλῶς· τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν, σὺ δὲ τῇ πίστει ἕστηκας· μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ.

Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, μήπως οὐδέ σου φείσηται.

Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεοῦ· ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας, ἀποτομίαν· ἐπὶ δέ σε χρηστότητα, ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι· ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ.

Καὶ ἐκεῖνοι δὲ, ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιστίᾳ, ἐγκεντρισθήσονται. δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς πάλιν ἐγκεντρίσαι αὐτούς.

Εἰ γὰρ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπης ἀγριελαίου, καὶ παρὰ φύσιν

17. QVod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis olivæ factus es:

18. Noli gloriari adversus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.

19. Dices ergo; Fracti sunt rami, ut ergo inserar.

20. Benè: propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.

21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.

22. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.

23. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus iterum inserere illos.

24. Nam si tu ex naturali excisus es Oleastro, & contra naturam

inser.

ἐνεκεντρίσθης καλλιέλαιον, πόσῳ μᾶλλον οὗτοι οἱ κατὰ φύσιν, ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ;

Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, τὸ μυστήριον τοῦτο (ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι) ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ.

Καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται, καθὼς γέγραπται, ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος, καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ.

Καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.

Κατὰ μὲν τὸ εὐαγγέλιον, ἐχθροὶ δι' ὑμᾶς· κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας.

Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ.

Ὥσπερ γὰρ καὶ ὑμεῖς ποτὲ ἠπειθήσατε τῷ θεῷ, νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ.

Οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι.

insertus es in bonam olivam; quantò magis ij, qui secundum nuturam, inserentur suæ olivæ?

25. Non enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.

26. Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est, Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem à Iacob.

27. Et hoc illis à me testamentum, Cùm abstulero peccata eorum.

28. Secundum Evangelium quidem, inimici propter eos: secundùm electionem autem charissimi propter patres.

29. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.

30. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis, propter incredulitatem illorum.

31. Ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur.

Συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ.

32\. Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, ut omnium misereatur.

Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ· ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ.

33\. O altitudo divitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!

Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο;

34\. Quis enim cognovit sensũ Domini? aut quis cõsiliarius ejus fuit?

Ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ;

35\. Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

Ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

36 Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: Ipsi gloria in secula, Amen.

ANALYSIS ET EXPLICATIO

Subjungit in hac parte Apostolus gravissimam exhortationem ad gentes, ne insultent Iudæorum lapsui, neq; superbiant, eò quòd Iudæorum locum in Ecclesia occuparint. Propositio exhortationis extat v. 18. Noli gloriari adversus ramos. *Argumentum 1. exhortationis petitur ab absurdo, hoc sensu: Valde absonum est gloriari de ijs, quæ ex gratia habes, adversus eos, qui eadem à natura habent. Atqui vos gentiles ex gratia populo Dei estis inserti, compotes facti promißionum Dei, in quo privilegio Iudæi nati erant. Ergo absonum foret, si propterea vos contra Judæos extollere velletis. Verba Apostoli hæc sunt:* Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster, esses insertus es in illis,

illis, & socius radicis, & pinguedinis olivæ factus es: noli gloriari adversus ramos, v. 17. *Perseverat in priori metaphora, in qua hi termini explicandi sunt*: olea, radix, rami & pinguedo oleæ, oleaster *&c.* Olea *est populus Dei, habens pacem cum Deo & tranquillitatem conscientiæ: ita enim vocatur Jerem. 11. v. 16.* radix *istius oleæ est Abraham cum cæteris patribus, quibus primùm facta est promissio*: rami *defracti sunt Iudæi, ex Patriarchis, quoad carnem, oriundi, sed ex populo Dei tandem propter infidelitatem, ut infrà addit, exclusi; non tamen omnes, sed aliqui; suprà enim seipsum exceperat, & reliquias, quas conservavit Dominus à malo*: Pinguedo oleæ *sunt privilegia & beneficia Ecclesiæ, quæ à Patriarchis ad cæteros cives Ecclesiæ, tanquam à radice in ramos profluxerunt*: Oleastri *nomine intelligit gentiles omnes extra Ecclesiam. Quemadmodum enim Oleaster speciem aliquam oleæ habet, & tamen vero succo caret: ita gentiles non renati habent quidem speciem externam populi Deo grati, propter reliquias imaginis Dei post lapsum, quæ sese exerunt in honestis operibus & sapientiæ studiis; carent tamen succo Spiritus sancti, absque quo fructus ipsorum Deo placere non possunt. Et tales erant gentiles naturâ; inserti autem sunt in oleam ex gratiâ, hoc est, Deus ipsos in locum Iudæorum, tanquam ramorum defractorum, gratuita vocatione membra fecit Ecclesiæ veræ, ubi pinguedo radicis, hoc est, gratia Spiritus sancti ipsis etiam communicata est; ipsique cum sanctis patribus in unum eorundem beneficiorum pervenerunt consortium. Utantur igitur hac gratia humili animo, neque superbè despiciant Iudæos, qui in ipso DEI populo nati sunt.* 2. *argumentum petit itidem ab absurdo, hoc sensu: Nemo sanus gloriatur ob aliquod privilegium adversus eum, à quo illud habet.*

 Vos

Vos gentiles privilegium hoc, quod inter vos sonat, verbum Dei, habetis à Iudæis: inter ipsos enim priùs prædicatum fuit, & inde ad vos pervenit Apostolorum beneficio: Ergo nolite adversus eos gloriari. Extat hoc argumentum v.18. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te, *hoc est, frueris promissione illa, quæ non tibi primum, sed jam antè ipsis Judæorum patribus facta est: ergo superbia tua & despectus Judæorum, non in ramos saltem defractos, sed in radicem ipsam, hoc est, in S. Patriarchas redundat. 3. argumentum petit à contrario: Lapsus Iudæorum humilitatem potius, quàm superbiam gignere deberet in animis gentilium: siquidem fieri posset, ut & ipsi excindantur, & quidem longè facilius, si pari infidelitate & pertinacia cum Judæis contra Deum pugnaverint. Non enim ex absoluto quodam odio facta est Judæorum rejectio, sed propter ipsorum infidelitatem, quæ caussa in quocunq; populo reperitur, eundem etiam producit effectum. Verba Pauli hæc sunt v.19.* Dicit ergo; facti sunt rami, ut ego inserar. Benè; propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. *Objectio gentiliũ esse poterat: Iudæi ideò rejecti, ut gentiles assumerentur. Respondet Apostolus per concessionem: rejecti sunt Iudæi, & adsumti gentiles: sed falsa caussa rejectionis allegatur. Non enim propterea rejecti sunt, ut gentiles locum habere possent in Ecclesia: id enim fieri potuisset, stantibus adhuc Iudæis; potuisset etiam Deus pro liberrima sua voluntate nullum omninò recipere populum. Caussa itaq; alia est, cur Iudæos reprobavit, ipsorum nimirum infidelitas, quòd Messiam repudiarunt. Caussa autem, cur gentiles in olea vitæ conserventur, est Christus fide apprehensus. Et hæc est caussa considerata in homine, quæ*

Deum

DEUM ab omni iniquitate absolvit. Supremam autem caussam in DEO attingit v.22. Vide ergo bonitatem & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excinderis. *Gentiles remittit ad Dei bonitatem & gratuitam misericordiam, ut excludat omne ipsorum meritum; Judæos ad severitatem, hoc est, Iustitiam Dei vindicantis hominum ingratitudinem: quæ æqualis est erga omnes, Iudæos & gentes, si eadem utrobiq; caussa reperiatur. Idcircò hortatur gentiles, ut deposita superbia, humili animo studeant permanere in statu, in quem ipsos vocavit divina bonitas, ne parem cum ingratis Iudæis experiantur sortem. 4. deniq; argumentum petit à restitutione Iudæorum in integrum. Fieri potest, ait, ut Iudæi recipiantur iterum in gratiam, si ad Christum seriò se convertant, & sic vestri fierent fratres, ejusdem fidei & confessionis socij. Non ergo fas est ijs superbè insultare, quibus tanta adhuc salutis spes adfulget. Argumentum extat v. 23.* Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur; potens enim est Deus eos inserere. *Vbi notandum, quòd eos non ad absolutum aliquod Dei decretum remittit, sed ad liberrimam ejus potentiam. Et hanc probat v.24. ex loco comparatorum:* Nam si tu, *inquit*, ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oleam, quantò magis ij, qui secundum naturam, inserentur suæ oleæ? *Probat his verbis, restitutionem Iudæorum Deo esse longè facilimam ergo de ea nequaquam desperandum. Facilius enim est, quod secundùm naturam, quàm quod contra naturam fit: atqui surculos naturales quantumvis de fractos, quales Iudæi erant, inserere proprio suo trunco, secundùm naturam fit; habent enim naturalem quandam cum trunco affinitatē:*

at stolones silvestres, quales erant gentiles, ut suprà dixerat, arbori alienæ implantare, contra naturam. Ergo facilius est, Iudæos, ut ramos naturales, radici suæ iterum adjungere, quàm gentiles, ut ramos silvestres, oleæ Ecclesiæ implantare. Cùm ergo gentiles in Ecclesiam adsumti fuerint, quis de restitutione Iudæorum dubitabit? His ergo rationibus Apostolus noster cristas gentilium deprimere, & ad verum humilitatis studium ipsos exhortari voluit. Occasione vero ista digreditur nunc quasi in campum Propheticum, & illustre vaticinium attexit de Iudæorum conversione ante finem mundi: Non enim sufficiebat ipsi dixisse, DEVM posse eos restituere, sed & certò futurum prædicit. Nolo enim vos ignorare fratres, *inquit*, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo gentium intraret, & sic omnes Israel salvus fieret. *Mysterium vocat, id quod jam dixerat, & porrò dicturus erat de conversione Iudæorum: ea enim gentilibus, propter summam istius populi pertinaciam, videbatur difficilior; mysterium igitur erat, hoc est, res nova & multis visa incredibilis. Ideò autem proponitur hoc mysterium, ne videantur sibi gentiles sapientes, hoc est, in remedium superbiæ, quam ipsis hoc tractatu eximere studebat, ne insolescerent contra Iudæos, quos tamen Deus suo tempore ad Ecclesiam revocaturus erat. Dubium autem non est, quin loquatur Apostolus non de aliorum, sed Iudæorum duntaxat conversione; his enim conciliare voluit gentiles, ne lapsui ipsorum superbè insultarent; idq; fecit inter alia etiam hoc argumento, quia spes sit de ipsorum Restitutione. Etsi enim suprà dixerat, Iudæos excæcatos esse; excæcatio autem proximus gradus ad damnationem est; attamen excæcationem istam particularem esse ait, donec gentes*

tes ad Ecclesiam fuerint adducta, tum demum omnis Israel salvus fiet, ubi universalis restringenda est, usitatâ scripturæ consuetudine, ad magnam partem Iudæorum. Quemadmodum enim plenitudo gentium non significat singulas ac universales gentes; talis enim gentilium ad Ecclesiam adductio expectanda non est; sed magnam partem ex gentilitate: ita neq; universalis omnium ac singulorum Iudæorum salus ac conversio speranda. Apparet itaq; D. Paulum vaticinari de illustri quadam conversione Iudæorum, quorum magna pars ante novissimum diem Messiam agnoscet, & ad Christianorum fidem sese aggregabit: quod vaticinium etsi impletum nondum est, non tamen dubitamus, quin suum certò habiturum sit eventum; tempus soli Deo notum est, ideò mysterium nobis est Ne quid verò temerè asseruisse videatur, probat sui vaticinij certitudinem 1. vaticinio Prophetico, de cujus complemento ipse non dubitat. Sicut scriptum est, *inquit, v. 26.* Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem Iacob: & hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum. *Duo conjungit vaticinia; unum ex Esaia cap. 59, 20 ubi promittitur Iudæis Liberator, non ab hostiũ externorum tyrannide, sed ab iniquitate; quod nemo fecit præter Christum: ergo Christus Iudæorum liberator est. Alterũ petit ex Ierem. 31, 34. ubi summa testamenti novi his verbis exprimitur: & propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorũ non recordabor amplius. Si ergo Iudæi per Christum liberandi sunt à peccatis, utiq; etiam ad Christum convertendi. Etsi verò particularia exempla Iudæorum conversorum occurrunt, nondũ tamẽ sufficiunt ad impletionẽ hujus vaticinij, in quo nomine Iacobi & Israelis, ut & Sionis, more scripturæ usitatissimo, nõ pauca quædã persona, sed populus ipse intelligitur.* Vaticinium de Iudæorum conversione.

Ergo

Ergo vaticinium hoc ab Apostolo allegatur, tanquam adhuc implendum. Vlterius hanc futuram Judæorum conversionem probare pergit rationibus: primam petit ab infallibilitate electionis seu adoptionis divinæ. Quos elegit DEVS, hos nunquam in æternam rejicit: decretum enim electionis est immutabile v. 29. Atqui multos ex Judæis elegit Deus, quos jam cum totâ suâ gente rejecit v. 28. ergo illi non possunt in æternum rejici: ac proinde necesse est tempus esse, quod gremium Ecclesiæ iterum aggregentur. Argumentum hoc complectitur Apostolus v. 28, 29. his verbis: Secundùm Evangelium quidem inimici propter vos; secundum electionem autem carissimi propter Patres: sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio DEI. *Confert Judæos, quales tum erant, & quales futuri erant post conversionem. Tum quidem erant inimici atq; exosi Deo, partim propter Evangelium, quod hostiliter persequebantur, partim propter gentiles, quibus conversionem & salutem invidebant. Quia tamen promissio patribus facta ad semen eorum quoq; pertinebat, & dubium non erat, quin aliqui ex ipsis fuerint electi; eo respectu, quatenus, ut electus DEI populus, nonnulli revertebantur ad frugem, facti sunt DEO grati ac summè dilecti. Deus enim vocationem suam, qua populum hunc semel dignatus fuerat, nunquam faciet irritam; ideo sibi aliquos in isto populo semper reservabit, apud quos vocatio ista finem suum consequatur. Alteram rationem petit ab exemplo conversionis gentilium: sicut enim gentiles olim idololatria dediti vivebant quasi sine Deo, infensissimi hostes veri Dei, & tamen ex merâ Dei gratiâ ac misericordiâ fidem consecuti, ad CHRISTVM conversi, atq; Christiani facti sunt; ita & Judæi, licet jam sint inimici Dei, alieni à fide CHRISTI, tamen de ipsorum conversione*

nondum


nondum desperatum est, sed & illos, tanquam perditas oviculas misericordia Dei quærere & adducere potest. Verba Apostoli hæc sunt v.30. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. *Gentiles dicuntur misericordiam consecuti propter incredulitatem Judæorum, quorum verborum sensus hic est: dum Iudæi per incredulitatem rejecerunt Christum, Deus ex mera misericordia gentilibus largitus est fidem, per quam Christum receperunt: & sic incredulitas Iudæorum non est caussa, sed occasio conversionis gentilium. Ita Iudæi dicuntur non credidisse in misericordiam gentilium &c. hoc est, dum gentiles misericordiam fuerunt consecuti, Iudæi magis magisq; in incredulitatem inciderunt, donec tandem singulari Dei miseratione inde eluctati fuerint. Atq; ita conversionem gentium & Iudæorum removet à suis operibus, & adscribit soli misericordiæ Dei, ne quisquam habeat, quod alteri objiciat, sed ut pariter in Ecclesia concordiæ studeant, & humero uno DEO suo pareant. Idcirco addit:* conclusit Deus omnia sub incredulitatem, ut omnium misereatur, *v. 32. In græco est, πάντας non πάντα: respicit enim ad utrumq; populum, Iudæos & gentes; hos concludit Deus εἰς ἀπείθειαν, sub incredulitatem seu peccatum (ἀπείθεια enim alibi per ἁμαρτίαν exponitur Rom. 3, 9. Gal. 3, 22) quando omnes adæque peccati reos agit, quo sensu de lege dicitur, quòd omnes concluserit sub peccato Gal. 3, 22. ex qua occasione finis iste salutaris emergit, ut singularis Dei misericordia innotescat, quam omnibus offert, neminemq; ab ea excludit, modò homo semetipsum non per contemtum mediorum excludat.*

Iudæorum lapsus est occasio resurgendi gentilibus.

His ergò ita expeditis, subjungit D. Paulus generalem Epilogum, quo totum hunc de Iudæorum abdicatione & gentilium vocatione tractatum, & quæ huic de prædestinatione hominum ad vitam cohærent, concludit. Constat autem Epilogus iste 1. exclamatione verè Apostolica, & 2. Christiana δοξολογία. In exclamatione admiratur judicia Dei verè stupenda, quòd aliquos vocat ad Ecclesiam, aliquos non item; quod Iudæos reijcit, gentes recipit; tandemq; Iudæorum, qui propter incredulitatem fuerant abjecti, iterum miseretur. Quæ omnia cùm altiùs secum expenderet, erumpit tandē, & totam disputationem abrumpit exclamatione. O altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? *Verba sunt hæc admirationis plena. Admiratur enim 1. summas Dei divitias, quòd ipse abundanter possit facere, quàm nos intelligamus vel petamus Eph. 3, 20. 2. divitias illas dispescit in certas species. Sapientia, scientia, judiciorum ac viarum divinarum.* Per sapientiam *intelligit modum, leges atq; rationes omnium actionum Dei in rebus divinis ac humanis: per* scientiam *intelligit omnium rerum notitiam, etiam antequam fiant: per* judicium, *dispositiones ac decreta Dei de æterna ac temporali hominum salute ac prosperitate: per* Vias *deniq; mirabiles rerum eventus. In his omnibus suadet Apostolus, ut captivemus rationem nostram, nec scrutando mysteria Dei, nobis ipsis negotium facessamus: in quam rem argumenta persuasionis adducit, rationibus adductis 1. ab impossibili, quia judicia Domini sunt ἀνεξερεύνητα & viæ ἀνεξιχνίαστοι, hoc est, quæ nullo rationis humanæ etiam sapientissimæ scru-*

tinio

tinio investigari, nullo quoq; mentis humanæ complexu contineri poßint: tribuit etiam eis βάθος, *perfunditatem, significans absorberi tandem rationem hominis, si sibi speculationibus istis nimium indulgeat. 2. ab inutili.* Nemo enim cognovit mentem DOMINI: *quæ verba depromta sunt ex Esaia cap. 40, 13. & docent, extra verbum revelatum frustra laborare hominem in perscrutandis mysterijs divinis; proinde, quæ in verbo non habentur, admiranda; non rimanda esse, 3. ab indecoro & absurdo. Nam qui non contenti sunt revelatione verbi, ij DEO quasi modum præscribere volunt agendi cum hominibus: absurdum autem est, dare velle ei præcepta sapientiæ, à quo homo habet, quidquid poßidet, quippe* à quo, per quem & in quo sunt omnia: *quibus verbis tres personas* SS. *Trinitatis innuere videtur, PATREM à quo tanquam origine & fonte creationis sunt omnia; FILIUM, per quem tanquam Patris omnipotentem virtutem facta sunt omnia; SPIRITUM SANCTUM, in quo sunt & consistunt omnia. Cui SS. Trinitatis gloriam & benedictionem precatur sempiternam, & sic prudentißimè, & pientissimè tractationem præcedentem claudit.*



Paraphrasis hujus partis.

ARborem hanc, de cujus sancta radice dixi, ramos aliquos per lapsum Judæorum deperdidisse non diffiteor, vosq; tanquam silvestrem quendam oleastrum oleæ illi vitæ in locum defractorum ramorum insitos esse, concedo, quin & eo nomine vobis ex animo gratulor: atqui cavete, ô vos mei, ne propterea cristas tollatis, & superciliosè Judæos illos aspernemini. Hoc profectò esset non tam Judæis, ut fractis ramis, quàm ipsis patribus sanctissimis, tanquam radici, superbè insultare. Cogitate enim, quod beneficium insitionis habetis vi promissionis patribus factæ, cujus participes facti estis, ita ut vos Patrum privilegijs, non autem Patres vestris (quæ nulla sunt) fruamini. Atqui, dicis, excisi sunt Judæi ex olea vitæ, ut ego inserar. Rectè equidem; excisi sunt, sed non propter te, sed propter incredulitatem suam, sicuti tu per fidem in Christū in Ecclesia, tanquam in succulenta olea constitisti hactenus: proinde ne te extollas, sed Deum time; qui si Iudæis, ex patribus, quibus facta est promissio, carnaliter oriundis, non pepercit, haud dubiè multò minùs tibi parcet, ad quem promissio patribus facta nihil attinebat, sed ad illam quasi extrinsecus accessisti. Probè enim hic perpendas velim, non tantùm bonitatem misericordiamq; Dei, quâ te in gremium Ecclesiæ recepit, sed & severam ejus justitiam, quâ Iudæos propter incredulitatem & contemtum Messiæ Ecclesiâ exclusit. Tu, si misericordia Dei abusus fueris securitate, superbiâ, contemtu nominis divini similibusq; delictis, excluderis itidem, sicuti illi: Vicissim Iudæi, si poeni-

pœnitentiam egerint, & media conversionis usurpaverint, utiq; restituentur in integrum. Quin & facilior est Judæorum conversio, quàm gentilium ad Ecclesiam congregatio. Nam quemadmodum surculi naturales in arborem illam, ex qua excisi erant, faciliùs rursus implantari possunt, quàm stolones aliqui silvestres: ita Iudæorum facilior esse videtur reditus ad Ecclesiam, in qua jam antè fuerunt, quàm gentilium, qui extra eam nati erant. *Prædico* itaque vobis, carissimi, & ideo prædico, ne nimium insolescatis, affore tempus, quo Iudæorum magna pars ad agnitionem Christi adducetur, postquam gentilium accessio ad Ecclesiam magnâ frequentiâ facta fuerit. Etsi enim excæcatos eos esse dixi, attamen malum istud non omnes attigit, sed plerosque ex ipsis. Et hoc est, quòd in scriptura Iudæis liberator promissus est, qui iniquitatem Israelitarum ablaturus, & populum Iudaicum in libertatem filiorum Dei assertúrus sit: quod cùm nondum factum, eventum istius vaticinij adhuc expectamus. Etsi itaque exosi Deo sunt, quatenus Evangelium de Christo persequuntur, & vobis salutem & felicitatem vestram invident; tamen, quatenus à Deo in peculium sunt vocati & electi non dubito, quin eo nomine ipsi sint dilectissimi ij, qui vocationem illam Dei sequuntur, quorum haud dubiè magnus adhuc inter ipsos restat numerus; aliàs annihilaretur vocatio Dei, quod absit ut dicamus: Deus enim in promissionibus suis verax est, & consilium ejus stat immutabile. Et quid quæso obstaret, quo minùs magnã Iudæorum partem Deus converteret? Nam sicuti vos gentiles quondam sine Deo vixistis, & tamen Judæorum lapsus vestræ ad Deum conversionis occasio

 fuit:

fuit: ita nunc increduli Iudæi, quia vident vos misericordiam consecutos, non habent caussam desperandi, quasi ipsis misericordia Dei penitus sit denegata: quin potius ideo Deus omnes, Iudæos pariter & gentes, peccati reos egit in lege, ut omnibus misericordiam suam offerret, à qua neminem exclusit, nisi qui per negligentiam aut contemtum isto Dei consilio seipsum judicaverit indignum. Sed quis omnibus istis, quæ in mysterijs his occurrunt, enucleandis sufficeret? Nam quanta hic panditur abyssus divinæ sapientiæ, scientiæ, judicij ac consilij, quam neque lingua dicendo exprimere, neque ratio investigare, neq; mens humana potest capere: Nemo audeat carpere, quod ipse non intelligit; nemo rimetur, quod mirari debebat: nemo audeat Deo modum præscribere agendi cum hominibus. Ipse enim omnia habet in manibus suis: ab ipso sunt omnia; per ipsum gubernantur omnia; in ipso conservanrur omnia. Ipse sit benedictus in sempiterna secula, Amen.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Iubet Apostolus fideles timere v. 20. ergo videtur tollere fidei πληροφορίαν: timor enim cum dubitatione conjuncta est, quæ πληροφορίαν excludit?

Resp.

Resp. Timor ille, quem commendat D. Paulus, non opponitur certitudini fidei, sed includitur potiùs. Non enim est servilis contremiscentia, quæ Deum horret & aversatur, qualis est in Diabolis & impÿs: sed filialis reverentia, quando quis fiduciam suam in Deum quidem collocat & tamen sibi cavet, ne quoquo modo Deum Patrem offendat; scit enim paternum Dei favorem peccatis contra conscientiam amitti posse. Et hoc sensu Iob dicebat: verebat omnia opera mea, Iobi 9, 28. & Salomon Proverb. 28, 14. Beatus homo, qui semper est pavidus; & Paulus alibi cum timore ac tremore nostram nos jubet operari salutem Phil. 2. Et hic timor passim in scriptura timor Domini vocatur: opponiturq; non πληροφορία fidei, sed temeritati ac securitati. Hic timor etiam nequaquam conjunctus est cum dubitatione, sed potiùs cum certa fiducia. Certum enim reddit hominem, gratiam & favorem Patris cœlestis securitate amitti: certum vicissim, timentes Dominum favorem illum retinere. Quod autem Apostolus de tali timore filiali hoc in loco loquatur, & non de timore servili constat ex antithesi; opponit enim timorem alta sapientibus: noli altum sapere sed time. Qui verò alta sapiunt, securi & superbi sunt; ergo qui timent, humiles & DEVM reverentes; quam humilitatem atque reverentiam numinis divini, securitati & superbiæ oppositam, includit timor filialis.

QUÆSTIO II.

Numquid universalis omnium omninò Iudæorum conversio ante novissimum diem

diem expectanda est, siquidem dicit Paulus, Omnis Israel salvus fiet? v. 26. quomodo verò hoc congruit cum dicto Salvatoris Luc. 18, 8. filius hominis quando venerit, numquid inveniet fidem in terra?

Resp. Duo sunt in quæstione: unum de vero sensu dicti Paulini, Omnis Israel salvus fiet: alterum de dicto Christi: Filius hominis postremo suo adventu non inveniet fidem in terris. De priore dictum jam est in explicatione textus, non notari universalitatem Iudæorum simpliciter, sed secundùm quid, hoc est, maxima pars Judæorum convertetur, quæ respectu cæterorum, qui non convertuntur, quandam quasi universalitatem constituit. Quòd enim non omnes omninò in individuo Iudæi convertendi sint, probatur 1. ex loco Danielis cap. 12, 2. in tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro: quem locum Theodoretus de salvatione Iudæorum interpretatur. 2. ex loco Apocalyptico cap. 7, 4. ubi centum quadraginta quatuor millia signati dicuntur ex omni tribu Israël, ex singulis tribubus duodecim millia: ergo non singuli ac universi simpliciter. 3. etiam obstat maledictio, quam tempore passionis ipsi Iudæi sibi suisq; posteris fuerunt imprecati: sanguis ejus sit super nos & liberos nostros; quam maledictionem ad finem usq; seculi experturos Iudæos, non est dubium. 4. etiam ostendit hoc collatio precedentis membri in textu Apostolico: sicut enim plenitudo gentium, quæ intrare dicitur, non simpliciter καθολικῶς accipienda est, de conversione singulorum individuorum in gentilitate, sed de magna ejus parte: ita etiam

etiam se habet conversio Judæorum post adsumtionem gentilium. Qualis autem & quanta sit futura & gentium adsumtio & Judæorum conversio, Deus novit. Posterius quod attinet, dictum Christi respectivè accipiendum est: Rara enim fides erit electorum sub finem mundi, in collatione ad impiorum multitudinem, quorum respectu cœtus credentium sanè est exiguus.

QUÆSTIO III.

Numquid Electi totaliter amittere possunt fidem? in negantem enim partem concludit Paræus ex v. 29. hujus cap. dub. 17. Dona DEI ἀμεταμέλητα nunquam eripiuntur, nec amittuntur penitus. Fides electorum est donum DEI ἀμεταμέλητον. Ergo fides nunquam penitùs deficit?

Resp. *Est fallacia in phrasi*, penitùs amittere. *Nam si de amissione* finali *intelligas, concedimus, electos finaliter non amittere fidem; aliàs non essent electi, si in finali impœnitentia perirent. Sed si intelligas de amissione* totali; *certum est, affirmare scripturam, electos ita amittere posse fidem &* Spiritum *Sanctum, neq; enim dona illa Dei ita possunt dividi, ut partim amittantur, partim retineantur. Non enim agnoscimus fideles adulteros, fideles homicidas, fideles avaros, &c. quales sanctos ac fideles canonisant Pontificij in concil. Trident, sess. 6. cap. 15. adstipulante Bellarmino in præfat. 1.*

contrev. Ita Petrus totam fidem abnegavit, quando Christum abnegavit; & si tempore abnegationis obiisset, ex numero Electorum haud fuisset. Possunt igitur electi totaliter amittere fidem, ita tamen, ut ante finem vitæ per pœnitentiam eam recipiant; quo respectu Christus orasse dicitur pro Petro, ne fides ejus deficiat, scilicet finaliter: electi enim perire non possunt, Sunt autem dona Dei ἀμεταμέλητα, *ex parte Dei: Ipse enim non retractat, quod semel dare decrevit & dedit: possunt autem hominse obstaculum injicere, quo minùs Deus ea quæ dedit, in iis conservet. Nam quemadmodum non vult mittere Spiritum Sanctum in animam malignam; ita & in eadem eum non vult relinquere: sed ingrediunte Satana, egredi Spiritum Sanctum necesse est: nulla enim communio inter Spiritum Christi & Belial. Manet itaq; fides donum Dei* ἀμεταμέλητον, *non respectu personæ; ea enim mutari potest, excutere potest fidem & Spiritum Sanctum, per peccata contra conscientiam: sed respectu ordinis ac decreti divini, quo constituit fidem dare & conservare in iis, qui mediis divinitus ad hanc rem ordinatis utuntur; sint ii, quicunque voluerint, ex quacunque gente atq; sexu, absq; ulla* προσωποληψία: *nulla enim hic est distinctio. Paræus cavillationem vocat, dicere; Deum quidem non eripere fidem, sed homines abiicere fidem. Nulli enim, inquit, abiiciunt fidem, nisi quibus DEUS totaliter subtrahit gratiam. At nullis verè fidelibus subtrahit gratiam totaliter 1. Petr. 1, 5. imò efficit voluntatem non abiiciendi. Atqui hæc non cavillatio, sed sophisticatio Paræi est. Libenter enim fatemur, amissionem fidei fieri per subtractionem gratiæ divinæ: Deus verò gratiam suam fidelibus non subtrahit, quatenus ipsi fideles manent, hoc est, quatenus Spiritui Sancto per peccata contra conscientiam obicem non ponunt, mediisq; illis utuntur*

Dona DEI ἀμεταμέλητα sunt.

Paræi exceptio

Responsio.

quibus,

quibus si des in ipsis confirmari ac augeri potest; sed in his efficit voluntatem non abijciendi. Quod si verò efficaciæ divinæ pertinaciter resistant, necesse tandem est, DEVM subtrahere manum, & deserere eos sua gratia, à quibus ipse priùs est desertus; ita tollitur talentum ab eo, qui nihil lucrabatur Matt. 25. Tunc autem fit mutatio non in DEO quasi pœnitente, sed in homine gratiam Dei abijciente. Hinc est, quod D. Iohannes scribit, 1. Ioh. 3. homicidam non habere vitam in se manentem; si neq; vitam, ergo neq; fidem. Constat autem, Davidem fuisse homicidam; Ergo penitus non habuit neq; vitam neq; fidem in se manentem. Certum autem est, Davidem fuisse electum. Ergo electi possunt penitus amittere fidem & vitam: ita tamen, ut ad pœnitentiam revertantur, amissamq; gratiam recipiant, quam Deus pœnitentibus promisit: alias è numero Electorum propriè sic dictorum non fuissent.

QUÆSTIO IV.

Numquid ex eo, quòd DEVS omnia conclusit sub peccato, ut omnium misereretur, inferri potest, inferorum supplicia aliquando finienda esse? ita enim sentire videtur Hieronymus in fine lib. 18. in Esaiam, cùm explicaret illud Prophetæ, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, Esa. 66, 24.

Resp. Nequaquam error ille ex loco Apostolico inferri potest. D. Paulus enim agit de misericordia Dei in hoc seculo, ubi patet adhuc peccatoribus omnibus misericordiæ divinæ portus: sed post seculum hoc nullus est vel pœnitentiæ humanæ, vel misericordiæ divinæ locus. Falsò autem Hieronymo hanc sententiam adscripsit Ruffinus, obtrectator Hieronymi. Non enim assertivè eam ibi proponit Hieronymus, sed recitativè, tanquam erroneam Origenis, cujus nomen supprimit: eadem autem glossa reperitur homil. 9. in divers. Matth. locos, quæ Origeni attribuitur. Quam ob caussam Hyeronymus in apologia contra Ruffinum calumniam illam à se constantissimè amolitus est, affirmans, damnatos nunquam à suppliciis inferni liberandos: contrariam opinionem vocat detestandam, & multis nominibus fugiendam; eò quòd opinionem istam scriptura ignoret, quæ ignem inextinguibilem tribuit damnatis; quòd reddat impios in peccatis securos; quòd nullum relinquat discrimen post hanc vitam inter virginem & prostibulum, inter Gabrielem & Diabolum, inter Apostolos & Dæmonas, inter Martyres & Persecutores. Quas rationes habet Hieronymus contra Ruffinum in commentario cap. 3. Ionæ.

QUÆSTIO V.

Negat Apostolus, quenquam hominum mentem Domini cognovisse v. 34. alibi verò scribit, Nos mentem Christi tenemus 1. Corinth. 2, 16.

Resp. Conjungit utrumque in allegato loco Epistolæ Corinth. Quis cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus. Non ergo pugnare possunt hæc

duo

duo dicta. Sed in priore dicto, quod ex Esaia adducit, loquitur de arcanis mysterijs Dei, quæ Deus suæ sapientiæ, & revelationi alterius seculi reservavit. Ea nemo hominum scire potest, neq; investigare debet: talia enim qui scrutatur, opprimetur à gloria, Prov. 25. Proinde ibi admirandum potius est τὸ βάθος sapientiæ Dei, qui infinities plura facere potest, quàm nos intelligentia nostra comprehendere. In posteriore dicto loquitur de mysterijs Dei ad salutem nostrā pertinentibus, & in verbo revelatis; quæ quidem homini nondum regenerato, quem Paulus animalem vocat, sunt abscondita, imò mera videntur stultitia; regeneratis autem satis aperta: ijs enim in verbo ea satis superq; enarrantur, ubi omne Dei consilium nobis fuit manifestatum Actor. 20, 27.

Aphorismi Theologici ex hac parte Capitis.

1. *Natura hominis in se est corruptissima, expers omnium fructuum Deo placentium. Ideo confertur oleastro v. 17. & alibi arbori malæ sterili, & infrugiferæ Luc. 3, 9. item terræ proferenti spinas ac tribulos Hebr. 6, 8. Proinde errant, qui virtutes Ethnicorum tantopere deprædicant, quasi Deo placere possint. Omnis enim virtus absq; Christo in vitio est, inquit Hieronymus.*

2. *Naturæ corruptæ vitium corrigitur per spiritualem insitionem in oleam vitæ, hoc est, per aggregationem ad populum Dei, quæ fit in Baptismo, ubi Christo inserimur, & ad opera Deo grata idonei reddimur, teste Paulo Tit. 3. Rom. 6. Ergo vi istius insitionis succum & sanguinem habent opera piorum, quæ aliàs naturâ suâ essent emortua.*

3. Primitiæ regni Christi sunt Judæi, & in his inprimis Patriarchæ; ideo radici, gentiles autem conversi ramis conferuntur; idcircò rectè dixit Salvator Iohan. 4. salus ex Iudæis est, non saltem, quia Salvator ex Iudæis oriundus, sed quia promissio salutis primùm facta Iudæis, quod prædicavit Paulus noster cap. 9.

4. Humilitas & timor Domini est propria Christianorum virtus: superbia autem & contemtus Dei, quemadmodū Angelos è cœlo; & hominem è Paradiso ejecit; ita etiamnum omnem Dei gratiam deperdit. Unde sunt exhortationes Apostolicæ: qui stat, videat ne cadat, 1. Cor. 10. cum timore ac tremore operamini salutem vestram. Phil. 2.

5. Deus neminem absoluto quodam decreto rejicit vel recipit in gratiam: Sed rejectionis caussam scriptura passim nominat incredulitatem; receptionis, Christum fide apprehensum, quod & hoc loco repetitur v. 20.

6. Incredulitas dicitur caussa damnationis, non quasi cætera peccata excludantur, sed eo respectu, quo sola fides justificare ac salvare dicitur. Damnant itaq; etiam mala opera, nimirum, ut caussa efficiens, hoc est, damnationem merentur: sola autem incredulitas damnat, ut caussa formalis condemnationis, quia repudiat ac repellit Christum: sicut sola fides justificat, ut caussa formalis justificationis, quia Christum cum suo merito sola apprehendit.

7. Deus non est προσωπολήπτης: infidelitatem punit, in quocunq; homine eam invenit, sive in populo suo naturali sive in adsititio: vicissim in gratiam recipit fideles, ex quacunq; gente. Unde D. Petrus similem aphorismum petijt Act. 10. v. 35. In veritate comperi, quòd Deus non sit acceptor Per-

sonarum: sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, est acceptus illi.

8. *Promissio fœderalis, Ero Deus tuus & seminis tui post te, naturali quadam ratione ad Iudæos pertinebat, ex Abrahamo oriundos: hodie autem gentilium est ex gratia, qui fide facti sunt filij Abrahami. Quicunque ergo in Ecclesia sunt, ad eos pertinet, sive gentiles sint, sive Iudæi; cæteros non attingit. Idcirco D. Petrus ad Iudæos dicit Actor. 2, 39. Vobis est repromissio & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque advocaverit Dominus; hoc est, ijs qui foris sunt, extra Ecclesiam, legitimo autem modo in potestatem civium Ecclesiæ perveniunt.*

9. *Bonitate & misericordia Dei non est abutendum; alias fiet ex bonitate severitas. Huc pertinet locus Siracidæ cap. 5, 6. Ne dicas, miseratio Dei magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Nam & misericordia & ira propè sunt ei, & in peccatores respicit ira illius, &c.* Wer auff gnade sündiget / dem wird mit ungnade gelohnet werden.

10. *Severitatis divinæ exemplum memorabile est in abjectione populi Iudaici, quod quasi lucidissimum speculum gentilibus proponit hic Apostolus. Quantis enim privilegijs hic populus præ cæteris ornatus fuerit, notum est in scriptura, & tamen tantoperè à facie Dei projectus est. Discamus itaque alieno malo, nobis quod ex usu sit. Hoc enim ferè semper in more habet DEUS, ut quò quem evexit altius, tantò profundius dejiciat, si superbire incipiat: juxta illud Salomonis, Superbia præcedit ruinam.*

11. *Possunt electi excidere gratiâ Dei, sicut Apostolus inquit*

inquit: si non permanseris in bonitate, etiam tu excinderis, v.22. Proinde non sufficit, benè cepisse, sed & progredi oportet; certandum est bonum certamen, retinenda fides & bona Conscientia, 1. Tim. 6, 12. 2. Tim, 4. 7. quò refer illud Apocalypticum cap. 2, 10. esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: & illud alterum cap. 3, 11. tene quod habes, ut nemo auferat coronam tuam.

12. *Nemini denegatus est pœnitentiæ locus, per quam deperditam recuperare potest gratiam. Nam qui non permanserit in incredulitate inseri iterum potest in oleam vitæ, unde excisus erat. Deus enim dives est misericordiâ erga omnes, qui non vult mortem peccatoris, idq; jurejurando affirmat Ezech. 18. Idcirco, ne desperando augeremus peccatum, datus est pœnitentiæ portus; ne sperando augeremus, datus est dies mortis incertus; ut Augustinus loquitur.*

13. *Ad conversionem nostram nihil habemus virium: sumus enim instar tenelli & infirmißimi surculi, qui natura sua exaresceret, nisi à Deo implantaretur. Deus autem potest eum inserere, inquit Paulus v. 23. ideo solius gratiæ divinæ opus est conversio nostra, cui solum eo nomine debemus gratias.*

14. *De Iudæorum salute non est desperandum; proinde nec in ea inhumanitate nostra nimia impediendi sunt. Audimus enim Deo ita visum esse, ut ante finem seculi magna fiat Judæorum accesßio ad Ecclesiam: id quod ipsis non invideamus, sed optemus potiùs, cum Nazianzeno: Vtinam nemo pereat.*

15. *Judæis etiam benefaciendum est pro re nata, quantum absq; detrimento Christianismi fieri poterit; non tantùm, quia spem habent redeundi ad Ecclesiam: verùm etiam propter sanctam illam prosapiam, in qua & sancti Patriarchæ,*

viri

viri Deo dilectißimi, & ipse Christus Salvator noster reperitur. Ita enim scribit hic D. Paulus, Judæos licèt hostes sint Evangelij, Deo tamen charos esse propter Patres, in quibus eis facta promißio, quâ, si pœnitentiam egerint, frui possunt.

16. *Promißio & voluntas DEI non mutatur; sed si qua mutatio videtur accidere, ea fit in homine, non in DEO. Ita promißiones Dei temporales semper fiunt cum inclusione pœnitentiæ, juxta illud Jerem 18. Si fecerit gens malum in oculis meis, pœnitentiam agam & ego super bono, quòd locutus sum, ut facerem ei. Promißiones spirituales fiunt cum inclusione fidei. Deficientibus itaq; fide & pœnitentia, mirum non est, promißionem quoq; DEI suum non consequi effectum.*

17. *Mutua debebant esse officia piorum & impiorum ad ædificationem salutis. Impij quidem piorum exemplo ad æmulationem excitari debebant, quò similem adipiscantur Dei gratiam ac benedictionem: Pij verò impiorum exitio cautiores fieri debebant, ne à pietate deflecterent. Utrumq; fit occasionaliter.*

18. *Nemo hominum est, quem Deus peccati reum non agat: Paulus enim neminem excipit: & si quis excipitur à peccato, necesse est, ut & excipiatur à misericordia DEI; peccatorum enim Deus miseretur v. 32. quemadmodum à Deo fons omnis felicitatis, ita à nobis ipsis origo omnis miseriæ. Nemo itaq; habet, quo præ altero superbiat, sed omnes habent, cur Dei erga se bonitatem deprædicent.*

19. *Sapientiæ divinæ non est numerus, neq; pondus potentiæ ejus: proinde quod nos non intelligimus in rebus divinis, ei commendemus, neq; scrutemur incognita, qui ignoramus etiam revelata: sed digito comprimamus labellum,*

& miremur divitias sapientiæ Dei, qui tantam habet judiciorum suorum profunditatem, quæ nemo queat scrutari, nedũ comprehendere, ut Chrysostomus loquitur.

20. *Notetur hic testimonium Deitatis Spiritus sancti. Apostolus de Deo dicit; quis cognovit sensum Domini, de Deo loquens, quod repetit 1. Cor. 2. Esaias autem unde hæc verba citantur, expressè de Spiritu Sancto loquitur, ut ex collatione textus apparet.*

21. *Quidquid habemus in rebus corporis & animæ, id ex gratia habemus absq; ullo nostro merito, ne quidem salute æternâ exceptâ. Quis enim dedit ei aliquid, & retribuetur ei, inquit D. Paulus. In quam sententiam pulcrè scripsit D. Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli: Debitor nobis factus est Deus, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit, nobis promittendo: & iterum: Quid igitur nos Deo possumus dicere, an redde mihi, quod dedi tibi? Quid debemus nos Deo, cùm totum, quod sumus, & quod habemus donum, ab illo habemus &c.*

22. *Testimonium SS. Trinitatis extat in fine hujus capitis. Credimus & confitemur tres personas in una indivisa essentia: utrumq; exprimit Apostolus, distinguens personas in operibus creationis, & conjungens eas in unã eandemq; essentiam, communi δοξολογίᾳ ad unum directa: ipsi sit gloria in secula. Quo loco orthodoxi Theologi quondam contra Arianos feliciter pugnarunt, inprimis Basilius lib. 5. contra Eunom. Gregor. homil. 16. in Ezech. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto, &c.*

Finis primæ partis Epistolæ ad Romanos.

PARS

PARS ALTERA Epiſtolæ ad Romanos; quæ eſt παραινετική.

CAPUT XII.

Argumentum & Partitio Capitis.

ABſolutis ijs, quæ hactenus prolixè de capitibus doctrinæ Chriſtianæ diſputata ſunt; ſequitur jam altera pars hujus Epiſtolæ, quæ tota eſt παραινετική, conſtans perpetua exhortatione ad ſtudium bonorum operum ſeu virtutum verè Chriſtianarum. Hic enim eſt ordo doctrinæ Apoſtolicæ, primùm informare fidem, deinde gubernare vitam. Præceſſit itaq; hactenus doctrina de Fide; nunc ſequitur ex profeſſo doctrina de bonis operibus, ſeu de officijs Chriſtianorum.

Et in hoc quidem capite, primùm *generaliter vitam hominis Chriſtiani informat, ut grata ſit Deo & amica proximo, uſq; ad v.* 9. Deinde *ſpeciales quoſdam aphoriſmos recenſet ſive regulas vitæ, in quolibet ſtatu neceſſarias; & ad communem vitæ tranquillitatem pertinentes.*

PRIMA PARS TEXTUS.

Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς ἀδελφοί, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ θεοῦ, παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον

1 OBſecro itaque vos fratres per miſertcordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo pla-

centem

τῷ θεῷ τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν.

centem, rationabile obsequium vestrum.

Καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς, τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον.

2. Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.

Λέγω γὰρ διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι, παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ἑκάστῳ ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως.

3 Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.

Καθάπερ γὰρ ἐν ἑνὶ σώματι μέλη πολλὰ ἔχομεν, τὰ δὲ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν.

4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent:

Οὕτως οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, ὁ δὲ καθ' εἷς, ἀλλήλων μέλη.

5, Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

Ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα. εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως.

6. Habentes autem donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis differentes: sive Prophetiam, secundùm rationem fidei:

Εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ· εἴτε ὁ διδάσκων, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ.

7. Sive ministerium in ministrando: sive qui docet, in doctrina:

Εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν παρακλήσει· ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι· ὁ προϊστάμενος, ἐν σπουδῇ. ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι.

8. Qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in simplicitate: qui præest, in solicitudine: qui miseretur, in hilaritate.

ANA

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Prrimam partem incipit à pathetica obtestatione, qua stylum suum ita moderatur, ut & altiùs penetret, & ipse autoritatem apud Romanos, objurgationum impatientes, conservet. Non enim imperare eis vult aut præcipere, quod videretur esse arrogantis; neq; etiam rogare, quod esset supplicantis: sed, obsecro, *inquit, quod est obtestantis & Apostolicæ mansuetudinis. Obsecrat autem,* ut fratres, *quia erant ejusdem fidei socij: & quidem* per misericordiam DEI *obsecrat, eam nimirum, quam hactenus in præcedentibus capitibus prolixè prædicaverat exhibitam in Filio, per quem ad gremium Ecclesiæ vocati, justificati ac electi fuerunt. Triplex igitur argumentum conjungit, quo animos Romanorum faciliùs vincere satagit. 1. quia non pro imperio dictatoriè cum ipsis agit, sed amicè & fraternè obsecrat. 2. quia spem concepit de ipsis, ut de fratribus, exhortationem suam apud ipsos non fore irritam. 3. quia æquum sit, ut Deo tantoperè ipsorum miserenti, hanc gratiam referant. Duo autem precatur Apostolus: unum informat vitam respectu Dei; alterum respectu proximi. Respectu Dei generale præceptum est:* Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum. *Totum hominem Deo consecrat, ut sacrificium spirituale. Quemadmodum enim Deus olim in populo suo colebatur, victimis cæsis: ita hodieq; colitur, quando homo se totum, hoc est, omnes cogitationes, adfectus actiones ac instituta (hæc enim omnia συνεκδοχικῶς per corporis vocem intelliguntur) ad Deum refert, tanquam sacrificium εὐχαριστικὸν pro ingentibus Dei miserationibus. Sacrificium hoc describit suis requisitis. 1. sit* vivum *: quia cùm mortificatur caro peccati, surgit spiritus vitæ in nobis: & opponitur hac* Sacrificij spiritualis descriptio.

 voce

voce sacrificium spirituale communibus illis Levitarum victimis, quæ offerebantur mortuæ. 2. *sit* sanctum: *proficiscuntur enim opera hominis pij ex corde puro & sanctificato sanguine Christi.* 3. *sit* acceptum Deo, *quia ex fide profectum, sine qua impossibile est placere Deo.* 4. *sit* rationalis cultus: *opera enim Deo grata non consistunt in externis quibusdam actionibus, jejunijs, vigilijs & similibus: sed in interna mentis operatione, in meditatione operum Dei, gratiarum actione, precibus, & studio imitandi Deum, integritate vitæ & similibus. Alterum, quo Deo vitam nostram probare possumus, ita habet:* Nolite conformari huic seculo. *probibet partim desiderium & amorem nimium rerum terrenarum: partim incitationem mundanorum seu carnalium hominum. Hoc enim pacto à DEO reddimur alieni: qui enim mundo placet, Deo placere non potest; mundus enim & Deus hostes sunt ἀσπόνδοι. Huic præcepto negativo aliud opponit affirmativum:* reformamini in novitate sensus vestri. *Respicit his verbis ad regenerationem nostram, in qua formam seu potius larvam mundi, nobis omnibus congenitam deposuimus, & in aliam meliorem, quæ est filiorum Dei, transformavimus; ideo utitur voce μεταμορφοῦσθε, quæ mutationem formæ unius in aliam significat. Ista μεταμόρφωσις etiamnum fit quotidie, quando veterem hominem deponimus, & toto corde, intimisq; animi nostri sensibus DEO nos conformamus. Finis hujus μεταμορφώσεως additur;* ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacita & perfecta. *Nam qui mundo sunt addicti, veram Dei voluntatem non agnoscunt; existimant potius, se adid natos, & tot bonis divinitus ornatos, ut genio indulgeant, cuticulam curent, & animi sui voluntatem expleant:*

Qui

Qui verò se totos Deo consecrarunt, melius sentiunt de voluntate Dei, quam sciunt nostram esse sanctimoniam 1. Thessal. 4. eique se toto pectore subjiciunt. Hactenus vitam respectu Dei informaverat: nunc pergit ad proximum, ubi studium concordiæ commendat, præmissa quasi præfatiuncula, qua exhortationi suæ majorem conciliat autoritatem: Dico per gratiam, *inquit*, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos &c. *Apostolicam prætendit autoritatem, quam accepit à Christo in conversione, & hanc vocat gratiam sibi datam, hoc est, potestatem præcipiendi & consulendi omnibus, suæ fidei & institutioni commissis. Hac sua fretus gratia & autoritate, modestiam tanquam nutriculam concordiæ præcipit Romanis suis, quæ aliàs definiente Cicerone, virtus est, servans convenientiam secundùm rectum judicium in opinione de nobis, & in sermone & gestu: in scholis Christianorum Humilitas vocatur. Hujus duo sunt extrema: unum in excessu, φιλοτιμία, seu Ambitio, qua quis nimium de se suisque laboribus aut donis sentit: alterum in defectu, nimius honorum contemtus, licèt virtus, quam honor sponte comitatur, adsit. Prius extremum expressè taxat hoc loco Apostolus:* Nolite plus sapere, *inquit*, quàm oportet sapere: *in græco pulcra est allusio vocum, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. Dicuntur hæc κατὰ δόξαν hominum, quæ & reprehenditur: aliàs nemo satis, nedum superfluè sapere potest; multi tamen sibi hoc arrogant, quod vitium vulgo ἀλαζονία vocatur. Posterius extremum directè non exprimitur: innuitur tamen expresso medio, seu virtute ipsa, quod vocat Apostolus* sapere ad sobrietatem, *φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, Jubet φρονεῖν: quilibet enim sua habet à DEO dona, quæ sanè non decet abscondere, sed ἀναζωπυρεῖν, ut Apostolus alibi loquitur, exuscitare, & usurpare, ubi opus est.*

Modestiæ seu Homilitatis descriptio.

Modum

Modum addit, ut nimirum fiat hoc cum sobrietate, hoc est, cum vero temperamento, ne vel nimium nos extollamus, neq; nimis deprimamus, sed agnoscamus Dei dona in nobis grata humiliq; mente, eaq; in usum proximi conferre studeamus: ideò additur, sicut Deus divisit unicuiq; mensuram fidei, *hoc est, prout Deus sua inter nos bona partitus est. Ea enim negligere, neq; agnoscere, neq; usurpare velle, extremæ ingratitudinis est. Esse autem divisionem donorum Dei non uniformem, jam probat D. Paulus simili, desumto à compage corporis humani.* Sicut enim *(inquit)* in corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi corpus unum sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. *Loquitur de corpore mystico, Ecclesia, ubi multa sunt membra, non ad omnia expediunda satis apta, ita tamen inter se concordantia, ut unum alteri suppetias eat suis donis, sicubi opus est; ita mutua retinetur concordia inter singula. Similitudinem hanc specialius declarat Paulus noster in 1. Cor. 12. Aliqua horum donorum recenset hoc loco v. 6. Primum est* προφητεία, *per quam intelligit donum interpretandi scripturas, quo sensu hæc vox accipitur 1. Cor. 11, 4. & 14, 22. De hoc dono talem præscribit regulam*: Prophetia sit analoga fidei. *Est autem analogia fidei congruentia articulorum capitumq; doctrinæ, quæ credenda proponuntur in scriptura: oportet itaq; interpretationem doctrinæ Christianæ congruere cum toto systemate articulorum fidei; non enim est scriptura interpretationis privatæ 2. Petr. 1, 20. Secundum donũ est* διακονία: ministeriũ sit in ministrando. *Pulcrè reddidit Lutherus*; Hat jemand ein Ampt/so warte er des Ampts. *Est hoc vetus Pythagoræ præceptũ*, Hoc age; *quo* πολυπραγμοσύνη *& curiositas rerum alienarum prohibetur, studium vero*

Analogia fidei.

verò & sollicitudo in proprijs præcipitur. Tertium est διδασκαλία: qui docet, faciat hoc in doctrina. *Commendat hoc preceptum doctoribus Ecclesiæ & scholarum. 1. eruditionem, ut ipsi priùs discant, antequam loquantur Sir. 18, 19. 2. industriam & assiduitatem in instituendis alijs, ne hoc faciant perfunctoriè, magis curantes rem familiarem, quàm cœtum fidei sua commissum: maledictus enim, qui opus Domini facit negligenter, Jere. 48. 3. circumspectionem: hoc enim etiam est docere in doctrina, ad captum discipulorum doctrinam proponere, exemplo Apostoli Hebr. 5, 12. 1. Cor. 3, 2. Quartum est παράκλησις:* qui exhortatur, faciat in exhortatione. *Est hæc species aliqua doctrinæ ad Mores pertinens, & consistit partim in consolatione adflictorum, partim in correctione exorbitantium, utrumque enim significat παρακαλεῖν, exhortari & consolari. Proprium igitur hoc officium ministrorum verbi est, per quos Deus dicitur παρακαλεῖν 2. Corinth. 5, v. 20. quique hoc præcepto monentur, ut non doceant saltem rectè credere, sed & bene vivere. Quintum est largitio:* Qui distribuit, seu benefacit alijs, faciat hoc in simplicitate. *Pertinet hæc Regula in genere ad omnes, qui benefacere cupiunt alijs de bonis suis, ne faciant hoc aucupandi nominis gratia, sed ex animi sententia, ita, ut nesciat sinistra, quid fecerit dextra: in specie pertinet ad præfectos ærariorum publicorum, ne quid defraudent de pecunia publica, vel convertentes eam in commodum privatum, vel distribuentes quibus & quomodo non oportet. Sextum est Donum gubernandi alios:* Qui præest, faciat hoc cum diligentia. *Commendat inprimis solicitudinem & curam Inspectoribus Ecclesiæ, ne quid detrimenti capiat Respub. Christiana. Symbolum eorum est dictum Apostoli: Et si corpore absens sum, Spiritu tamen vobiscum sum Col, 2, 5. & illud alterum: orbatus*

quidem sum aspectu vestro, sed non corde. 1. Thess. 2, 17. Septimum est Misericordia seu συμπάθεια in Alienis miserijs. Ea fieri debet, dicente Apostolo, in hilaritate, *non coactè sed spontè, quia Deus eam praecepit Deut. 15, 8. & ex doctrina Christi, melius est dare, quàm accipere Actor. 20, 35, lucratur insuper Domino, qui miseretur pauperis Prover. 19, 17. Hæc omnia hilarem datorem faciunt, quem Deus amat 2. Corinth. 9, 7.*

Paraphrasis hujus partis.

CVm itaque Deus pro immensa suâ bonitate ac misericordiâ tàm multa ac præclara in nos contulerit, donando nobis filium, remittendo nobis peccata, justificando nos gratis per fidẽ in Christum, eligẽdo quoque nos ex merâ gratiâ ad hæreditatem vitæ æternæ, & custodiendo ab omni malorum incursu, sicut hactenus satis prolixè docui: jam vos obtestor, ô vos mei Romani, per eandem Domini ac Dei nostri misericordiam, perpendite apud vos ipsos, quid vobis faciendum sit, Date hanc gloriam Deo vestro, & offerte vos ipsos cùm omnibus adfectibus vestris victimam sacro sancto nomini ejus; quod fiet, si valedicentes mundo, piè; sanctè, modestè ac concorditer vivatis ad nutum ac voluntatẽ Numinis divini. Quod si hujus rei experimentũ facere cupitis, ante omnia hortor vos pro eá, quæ à Christo meo mihi in vos data est, potestate Apostolicâ: Ne nimium superbiatis donis illis vestris, quæ divinitùs accepistis, sed ita ijs utamini, ut appareat, vos gratiam Dei frustra non accepisse, vosque DEI erga vos beneficentiam grato animo agnoscere. Cogitate, non uni data esse omnia, sed Deum cuique suum

dedisse

dedisse demensum. Quemadmodum enim corporis membra diversas habent functiones, ab uno tamen & eodem capite reguntur omnes; ita cogitate, vos quoq; membra esse sub uno capite Christo, diversis prædita donis, viribus & functionibus. Proinde, quilibet videat, quomodo suis utatur donis; ita satis habet quod agat, neque facilè in alium sibi virgulam sumet censoriam. Si quis habet donum interpretandi scripturas, caveat ne impingat in analogiam fidei: si quis ærarij publici administrationem habet, solicitus sit, ne res sacræ prophanentur, aut abalienentur; si cui aliorum institutio commissa est in scholâ vel templo, faciat id dextrè & circumspectè, ne labor suus & auditorum suorum frustra impendatur, si quis ministerio Ecclesiastico fungitur, tantò diligentiùs det operam, ne modò rectè credere, sed & benè vivere discant auditores: si quis de bonis vel publicis vel privatis distribuit alijs, non faciat hoc inanis gloriæ gratiâ, sed simplici animo, non plura lucrandi, sed proximum juvandi studio: si cui rerum sacrarum commissa est inspectio, solicitus sit, vigiletque sedulò, nequid detrimenti capiat Respublica Christiana: Si quis deniq; aliis quocunq; modo benefacere cupit, ne sit morosus, sed hilari animo communicet egentibus. Ita quilibet suo satis faciet officio, neq; habebitis, quo quisquam alteri obtrectet.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Præcipit Apostolus v. 1 ut exhibeamus Deo

rationale obsequium: rectène hinc infertur, cultus recto rationis judicio consonãtes, licèt à Deo præcepti non sint, Deo displicere nõ posse?

Resp. Ita quidem concludit Gregor. de Valentia lib. 2. de Missa cap. 4. contr. Heerbrandum, ubi rationale obsequium interpretatur actiones rectas cum ratione congruentes, cultusq́ divinos, qui cum vero rationis judicio consonant, licèt nullum adsit præceptum Dei Sed falsissimum hoc est. Primùm enim ex scriptura certum est, cultum religionis extra verbum Dei non posse constitui ex solo rationis, etiam cùm videtur sibi rectissima, judicio, juxta authenticam Christi, Matth. 15. Frustra me colunt docentes mandata hominum. Ratio est, quia absq́ fide impossibile est placere Deo Hebr. 11. quicquid autem extra verbum suscipitur, id absq́ fide fit, quia fides nititur verbo. Ergo omnis cultus extra verbum, ut ut optima intentione institutus, Deo displicet & idololatria est. Adde quòd ratio sibi relicta, licèt in cæteris perspicacissima, in divinis tamen cæca est, nesciaq́, quomodo aut quibus rebus Deus coli velit; hinc tot ab Ethnicis introductæ fuerunt superstitiones, & loco cultus alicujus divini obtrusæ, quia ductu Spiritus sancti & verbi divini pharo destituebantur. Quæ caussa est, quòd Deus unicè nos ad verbum suum remittit, nosq́ in præceptis suis ambulare jubet Ezech. 20. expressè prohibens, ne quid verbo ejus addamus, quàm sapienter etiam & quàm sanctâ intentione sit excogitatum. Hinc est illud Tertulliani adversus Hermogenem; Adoro scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem manifestat & facta. Scriptũ esse doceat Hermogenis officina: si non scriptũ, timeat væ illud, adjicientibus aut detrahentibus destinatũ.

Deinde

Deinde ψευθερμηνεία est loci Apostolici, quòd obsequium rationale sit cultus divinus cum ratione recta consonans, nullo Dei verbo præceptus. Quid enim sit λογικὴ λατρεία, habemus interpretem Apostolum Petrum, qui à Christianis exigit πνευματικὴν θυσίαν, à quibus Paulus λογικὴν λατρείαν 1. Petr. 2, 5. λατρείαν autem pro θύσια, obsequium pro sacrificio suo more posuit Apostolus Paulus, scribit Erasmus in annotat. fol. 374. Quæ autem sint spirituales illæ Christianorum hostiæ, notum est, nimirum non externa quædam & in oculos incurrentia sacra, quorum Papatus plenus est, quiq; nomine cultus divini venditantur; sed preces & laudes, ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta profectæ, eleemosynæ item, & omnium vitæ nostræ actionum ad pietatem compositio: quibus omnibus nos totos & omnia nostra DEO offerimus hostiam viventem: Hæc autem omnia sunt ejusmodi: quæ non ab hominibus privata intentione, sed ex severissimo Dei præcepto fiunt. Nullum igitur hic præsidium habent cultus extra verbum divinum electitÿ.

QUÆSTIO II.

Rectène exponitur rationale obsequium de cultu moderato, seu moderata carnis maceratione, das sie nicht mit Vnvernunfft geschehe?

Resp. Non immeritò ridet Erasmus vulgus concionatorum in Papatu, qui locum hunc olim ita exposuerunt. Sed non tantùm vulgi fuit hæc expositio, sed & glossa magnorum illorum primipilarium, Thomæ & Lyrani, super hunc locum. Neq; alienus ab ea est Gregor. de Valent loco prius allegato, ubi inter alia hæc habet: Cum ad actiones rectas hortatur

Erasmus in annotat in hoc caput, ridet pontificiorum imperitiam.

" Apostolus, castigationem corporis etiam indicat habe-
" re debere modum. *Verùm hæc planè sunt contra mentem Apostoli: Nihil enim ibi agit de maceratione corporis, sed victimam vivam ac rationis compotem requirit, quam opponit sacrificijs Judæorum; qui non rationales victimas, sed brutas pecudes, non vivas, sed mortuas, immolabant. Viva autem & rationalis victima nihil est aliud, quàm homo ipse, qui se totum Deo offert, quando pietati operam dat: Corporis enim maceratio seu corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est 1. Tim. 4. 8.*

Victima viva.

QUÆSTIO III.

Nolite conformari huic seculo, inquit Apostolus v. 2. Annon his verbis confirmatur vita Monastica, in quâ seculo exitur, secularibus operibus valedicitur, & vita, quam vocant, contemplativa, mereq; spiritualis instituitur?

Resp. Committitur fallacia φράσεως. *Nam* seculum *relictis jam alijs significationibus, interdum significat* σχῆμα τοῦ κόσμου*, ut in 1. Cor. 7. usurpatur, habitum seu statum hujus mundi,* das wesen dieser Welt / *ubi varia sunt officia, varij ordines, status, functiones ac conditiones hominum. Hoc sensu hic non accipitur: non enim prohibet Apostolus certum vitæ genus aut commercium in mundo: alibi enim jubet nos uti seculo, modò non abutamur 1. Cor. 7, 31. & Deus ipse ordines status hujus seculi ita disposuit inter homines Sir. 33, 11. seqq. nec usquam præcepit, ut neglecto vitæ genere in hoc seculo ingrediamur monasteria; sed contrarium præcipit Apostolus,*

Seculum pro statu mundi.

Vita secularis à Deo ordinata ipsiq; grata est.

postolus: unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea maneat 1 Cor. 7, 20. inhabita terram, inquit Psaltes, & pasceris divitijs ejus Psal. 37, 3. quin & Deus ipse fecit divitem & pauperem cohabitare in hoc seculò Prov. 22, 2. Sancti quoque Patriarchæ, reges ac Prophetæ vixerunt extra monasteria, possidentes bona hujus seculi optima cum conscientiâ. Monachorum vero & Monialium, ut & vitæ illius, quam fingunt, contemplativæ, nulla sunt in scriptura vestigia. Deinde *vero seculum in sacris literis sæpè usurpatur pro secularibus desiderijs, ut Iacob. 1, 27: 4, 4. unde filij hujus seculi Luc. 16. & 20. improbi seculi Psal. 73. qui genio indulgent, magis curant terrena quàm cœlestia; quos aliàs de mundo esse dicit Salvator Joh. 17. Tales non vult esse Christianos Apostolus; adsumserunt enim imaginem filiorum Dei in Baptismo; ubi valedixerunt desiderijs secularibus: integrum itaque ipsis non est, transformari in larvam filiorum hujus seculi. Quo sensu D. Jacobus scripsit; Religio munda & immaculata est apud Patrem, custodire se ab hoc seculo, cap. 1: & iterum cap. 4. qui voluerit amicus esse hujus seculi, inimicus Dei constituitur. Et hoc ipsis etiam extra vitam illam Monasticam, cuique in sua vocatione obtingere potest. Nullibi autem forma hujus seculi est illustrior, quam in impuro Monachorum cœlibatu, adeò ut non erraveris, si cœnobium* monachale seculum *dixeris, quia secularium desideriorum non incommoda officina est, ubi multa peccata, una cum apertis libidinibus, ac voluptatibus tantum non dominium obtinuerunt. Hinc illa dicteria in Monachos:*

Seculum pro secularibus desiderijs.

Cœnobium est monachale seculum.

O Monachi, vestri stomachi sunt amphora Bacchi,

Item: Puto verò quod prodesset, si in mundo nullus esset Monachus seu monialis &c.

(De Monachorum origine vide Euseb. lib. 8. cap. 7. Sozom. lib. 6. cap. 32. lib. 1. cap. 12. & Socrat. lib. 4. cap. 23.)

Quæ-

QVAESTIO IV.

Cùm scriptura debeat esse analoga fidei: numquid ij, qui interpretando scripturæ sensum non assequuntur, fiunt hæretici? quicquid enim contra fidem est catholicam, hæreticum est.

Contra sensum scripturæ dupliciter peccatur.

Resp. Dupliciter peccatur contra fidei analogiam. 1. ab ijs, qui vitiosum scripturæ sensum ad impium aliquod dogma detorquent, id quod hæreticorum est; qui haud dubiè non modò analogiam fidei impugnant, sed & quantum in ipsis est, in solidum evertere conantur. 2. ab ijs, qui sensum scripturæ minimè verum ad dogmata aliàs non impia accommodant; id quod orthodoxis etiam accidere potest, ubi error interdum non est contra analogiam fidei, sed sensus duntaxat allegatur impertinens, interdum in ipsam analogiam fidei quidem impingere potest, hæresin autem non facit. Nam ut Augustinus loquitur præfat. lib. de hæres. non omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit. Quia tamen error est, qui alios facilè seducere posset, præsertim si autoritas docentis accedat, idcircò fraterna admonitione & correptione emendari potest: venia tamen danda errantibus, si errorem agnoscant, siquidem donum prophetiæ datum non est omnibus 1. Cor. 12, 10. *Optimum autem eo in genere adminiculum est, ut Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sint, monente Apostolo* 1. Cor. 14, 32. *hoc est, ne interpres suo nimium confidat ingenio, sed alios fideliter monentes, libenter & absq; invidia audiat.*

Apho

Aphoriſmi Theologici ex hac parte capitis.

1. Miniſtrorum verbi propria virtus eſt humanitas & manſuetudo. Decet enim ipſos obſecratio, non dominatio 1. Petr. 5, 3. Nam quod ipſis imperium tribuitur Tit. 2. 15. hoc fit partim reſpectu officij ἐλεγχτικοῦ, *partim reſpectu contemtorum miniſterij, quibus cum ſeveritate occurrendum eſt; ibi enim non miniſtri, ſed ipſius DOMINI cauſſa agitur.*

2. Chriſtiani ſacerdotes Dei ſunt, à Chriſto ipſo conſtituti. Apoc. 1, 6. quorum ſacrificia ſunt ſpiritualia, quæ Apoſtolus noſter λογικὰ *appellat. Ea alibi in ſpecie recenſentur, ſacrificia precum & laudum, patientiæ, eleemſcynæ & ſimilia, Pſal. 141, 2. Hebr. 6, 13. Pſal. 50, 23. Hebr. 13, 15. hic Apoſtolus noſter omnia complectitur corporis noſtri vocabulo. Quomodo autem corpus hoſtia fieri poſſit Deo, eleganter exponit D. Chryſoſtomus homil. 20. in epiſt. ad Rom. Ita enim ſcribit: quomodo corpus, inquies, hoſtia fiet? Nihil mali reſpiciat oculus, & factus eſt hoſtia: nihil turpe loquatur lingua, & facta eſt oblatio: nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocaſtum: imò non ſufficiunt iſta: ſed ut bona etiam faciamus, neceſſe eſt; nimirum ut eleemoſynas faciamus &c.*

3. Immolationes brutorum animantium non placuerunt Deo, niſi reſpectu obedientiæ, & quatenus typum habuerunt unici ſacrificij Novi Teſtamenti, in arâ crucis à Chriſto præſtiti, ut & ſpiritualium victimarum, quæ ab homine cedere poſſunt. Eam ob cauſſam requirit Apoſtolus hoſtiam vivam & ſanctam: talis autem eſt quilibet cultus ex animo pio & mandatorum divinorum obſervante profectus: melior

enim est obedientia, quàm victima 1. Samuelis cap. 15, 22.

4. Larva mundi est inimicitia Dei, juxta illud Iacob. 4. Qui amicus hujus seculi esse vult, inimicus est Dei. Ideo prohibet Apostolus, ne transformemur mundo, hoc est ne larvam mundi adsumamus, seu ne secularibus desiderijs trahamur. Id verò fieri potest 1. quando ea, quæ mundi sunt, nimium diligimus; ita enim abstrahimur à divinis, juxta illud Augustini: Amor rerum terrenarum est viscus spiritualium pennarum. & Os. 9, 10. facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. 2. Quando opera mundi imitamur, qualia sunt, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & fastus vitæ 1. Joh. 2, 16.

5. Nimia humilitas est duplex superbia. Ideò jubet Apostolus sapere ad sobrietatem, juxta mensuram donorum à DEO cuiq; concessorum. Non enim vult Deus dona sua in nobis abijci aut contemni: ideò sancti dona Dei in se modestè agnoverunt 1. Reg. 6, 5. 1. Paral. 29, 11. Iob. 13, 6.

6. Arrogantia est excessus Modestiæ, quando quis dona sua nimium extollit, non in honorem Dei, à quo ea habet, sed propriæ gloriæ gratia, idq; tripliciter, fieri potest 1. in rebus fidei & doctrinæ, quando pervertuntur termini à patribus constituti, hoc est, mutatur aliquid in cultu vel ceremonijs, nulla urgente necessitate aut evidente commodo. 2. in quacunq; disciplina, cùm majora viribus attentantur, contra quos disputat Siracides cap. 3, 22. 2. in ordine discendi, cùm quæ sunt sublimiora, prius attentantur, quàm addiscantur faciliora, contra quos notandum est exemplum Apostoli Hebr: cap. 6. v. 13.

7. Fides Dei donum est tàm quoad qualitatem, quàm quoad quantitatem. A DEO enim datum est nobis, ut creda-

credamus Phil. 1. à Deo etiam quilibet habet certam mensuram fidei, quemadmodum Apostolus hoc loco v. 3. testatur. Agnoscenda itaq; est Dei gratia in nobis, sive fides satis valida sit, sive languida; gratiæq; agendæ, quòd scintillam fidei in nobis non omnino extingui patitur: à quo & incrementum fidei petendum, quod & dabit, quantum opus fuerit.

8. Unum est Ecclesiæ caput, Christus, à quo dependemus omnes, tanquam viva membra, quamdiu in unitate caritatis invicem devincti permanserimus. Quicunq; autem dissidijs invicem sunt disjuncti, sunt quasi mortua membra; carent enim capite & fonte vitæ, qui cùm Deus pacis & concordiæ sit, à contentiosis hominibus est alienissimus. Idcircò toties in scriptura repetitur similitudo capitis & membrorum, quando de fraterna concordia agitur, ut 1. Cor. 12, 11. Ephes. 4.17. Et hoc est, unum esse corpus in Christo Jesu Gal. 3, 28. & tolerare sese invicem in caritate Eph. 4, 2. In quam sententiam præclarè scribit Nazianzenus in orat de modest. in disput. " *Ordo in Ecclesia ita statuit, ut alij sint oves, alij verò pastores, ita ut hi imperent, illi verò obediant; sitque homo tanquam caput, illud pedes, illud manus, hoc oculi, illud verò aliud corporis membrum, quò omnia rectè inter se conveniant, commodumque tam ad præfectos quàm ad subditos redundet; quemadmodum in corporibus membra nequaquam à se dissident, sed cuncta corpus unum ex diversis sunt composita, nec idem omnium officium est ac usus, ad mutuam necessitatis benevolentiam: neq; oculus graditur, sed ducit: quemadmodum nec pes cernit, sed vadit; nec lingua excipit voces, id enim ad auditum pertinet: sicut nec auditus loquitur, nam linguæ id est officium; nasus verò odoris est instrumentum, at guttur cibum gustat, inquit Job: manus autem dandi & accipiendi est instrumentum: mens verò*

" *cunctis omnibus dux est, penes quam & sentire, ac in quam est sensus. Jta & apud nos, qui commune corpus Christi sumus: omnes enim corpus unum in Christo, ac per unum Christum inter nos membra sumus: hoc enim imperat ac præsidet, istud verò obedit & dirigitur: nec amborum idem est officium, quemadmodum nequaquam eorundem est imperare & subesse, sed ambo unum fiunt in unum Christum, ab eodem composita & conglutinata Spiritu, licèt imperantes à subditis, rursus tanquam medium, & doctrina & exercitatione ac ætate distent &c.*

9. Norma controversiarum religionis continetur in scriptura, cujus quasi compendium est doctrina catechetica, ubi fidei nostræ summa continetur inclusa certis capitibus: cum quibus quidquid consentit in interpretatione scripturæ, id cum analogia fidei congruere dicitur: id quod & Laici observare possunt, si modò doctrina catechetica eis nota est; licèt exactè indicare non possint, quibus in locis scripturæ fides illa contineatur.

PARS ALTERA
TEXTVS.

Ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος. Ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρόν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ.

Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι. Τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι.

Τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί. τῷ πνεύματι ζέοντες. τῷ κυρίῳ δουλεύοντες.

Τῇ ἐλπίδι χαίροντες. τῇ θλίψει

9. DIlectio, sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono.

10. Charitatem fraternitatis invicem diligentes. Honore invicem prævenientes.

11. Solicitudine non pigri. Spiritu ferventes. Domino servientes.

12. Spe gaudentes. In tribulatione

ὑπομένοντες· τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες.

Ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες· τὴν φιλοξενίαν διώκοντες.

Εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς· εὐλογεῖτε, καὶ μὴ καταρᾶσθε.

Χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων.

Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες· Μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. Μὴ γίνεσθε φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς.

Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες, προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων.

Εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες.

Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες ἀγαπητοὶ ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ· γέγραπται γὰρ, ἐμοὶ ἐκδίκησις· ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει κύριος.

Ἐὰν οὖν πεινᾷ ὁ ἐχθρός σου, ψώμιζε αὐτὸν, ἐὰν διψᾷ, πότιζε αὐτόν· τοῦτο γὰρ ποιῶν, ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.

Μὴ νικῶ ὑπὸ τοῦ κακοῦ, ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν.

tione patientes : orationi inſtantes.

13. Neceſsitatibus ſanctorum communicantes : Hoſpitalitatem ſectantes.

14. Benedicite perſequentibus vos : benedicite, & nolite maledicere.

15. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.

16. Id ipſum invicem ſentientes : Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmet ipſos.

17. Nulli malum pro malo reddentes. Providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

18. Si fieri poteſt, quod ex nobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.

19. Non voſmet ipſos defendentes, chariſsimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.

20. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illũ : ſi ſitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.

21. Noli vinci à malis, ſed vince bono malum.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

IN altera parte speciales quidam recensentur aphorismi, qui vitam hominis gubernare possunt in quolibet statu. Primùm omnium commendat Dilectionem, *tanquam primariam virtutem & fontem cæterarum omnium, quin & matrem justitiæ. Eam vult esse ἀνυπόκριτον*, absque simulatione. *Hic enim est finis præcepti, caritas ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta 1. Tim.1,5. neq; diligere debemus lingua, sed opere & veritate 1.Ioh.3,18.*

Secunda virtus, quæ hic commendatur, est odium mali & amor boni, *ubi non modò externum actum intelligit, sed & intimum cordis adfectum: plus enim est odisse malum, quàm fugere; plus, adhærere bono, quàm facere. In græco est ἀποστυγεῖν τὸ πονηρὸν & κολλᾶσθαι τῷ ἀγαθῷ, hoc est, malum tanquam stygem & infernum ipsum aversari, & id quod bonum ac honestum est, arctissimè complecti.*

Tertia est φιλαδελφία; commendat enim mutuam fraternitatem, remittens nos ad principium Spiritualis nostræ conjunctionis, quod non tam in communi parente Adamo, quàm in communi fratre nostro Christo Jesu quærendum est. Js enim non dedignatur nos fratres suos appellare Psalm.22. Ioh.20. Heb.2. & hoc mandatum nobis dedit, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum 1. Ioh. 4, 21.

Quarta virtus est Civilitas morum. *Vult enim Apostolus, ut honore nos invicem non modò prosequamur, sed & præveniamus. Est hæc virtus nutricula fraternæ caritatis, quæ removet omnem suspicionem contemtus aut odij; & requirit eam dignitas humanæ naturæ, in qua domicilium est Spiritus sancti & imago Dei, jam post lapsum qualitercunq; restaurata, propter quam homo homini honorem debet, juxta illud 1. Petr.2,17. omnes honorate.*

Quinta

Quinta est, alacritas in expediundis mandati officij partibus. *Requirit enim Apostolus à Christianis studium impigrum & indefessum: maledictus autem est, qui opus Domini facit negligenter Iere.48, 10.*

Sexta est zelus pietatis, *in qua fervor Spiritus esse debet: quo vel inprimis opus est, cùm veritas propaganda, confitenda, aut contra hostes defendenda est; quo in genere habemus præceptum Domini Luc.12, 11. & exemplum Apostolorum Act.3.& seqq.*

Septima est gloriæ divinæ propagatio. *Domino enim servire jubemur, quod fit non tantùm quotidianis pietatis exercitijs, verùm etiam, quando omnia nostra studia & actiones ad gloriam Dei referimus, sicuti scriptum est; omnia ad gloriã Dei facite 1. Cor.10. & Coloss.3,17. omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.*

Octava, est spes Christiana, *quæ est expectatio boni futuri. Eam cum gaudio conjungit Apostolus, quia promissiones Dei, quibus spes innititur, non fallunt Psal.33. unde spes vocatur ancora salutis nostræ Hebr.6, 19. quæ fideles non confundit Psal.22,5. 37,9. timorem expellit Psalm.56,4. hominemq; beatum reddit Psal.2,12. 34,9. Rom. 8,24.*

Nona est Tolerantia in adversis: *quæ spei mater est, dicente Paulo Rom.5,4. patientia probationem, probatio spem parit. Necessaria nobis hæc virtus est, ut voluntatem Dei facientes, reportemus promissionem Hebr.10,36.*

Decima est Oratio, *quam vult esse seriam & frequentem; ideò instare jubet, ne defatigemur, cùm Deus moram facit: quam in sententiam plures extant commonefactiones Matth. 7,7. Luc.11,9. Eph.6.18. Col.4, 2. &c.*

Undecima est Beneficentia. *Vult enim* Apostolus *communionem quandam tribulationum esse inter Christianos, quæ crucem reddit tolerabiliorem: quemadmodum & alibi hortatur, Alter alterius onera portate, & sic implebitis legem Christi, Gal.* 6,2.

Duodecima est Hospitalitas, *species quædam Beneficentiæ, quam alibi eo nomine commendat, quia per hanc quidam angelos exceperint. Hebr.* 13, 2.

Decimatertia est Ignoscentia, *quæ tolerat etiam malos, benedicit persecutoribus absq; livore, aut vindictæ cupiditate. simile præceptum dedit nobis Christus* Matth.5,44. *orate pro persequentibus vos. Benedicimus autem hostibus nostris 1. corde, cùm ne quidem cogitamus de vindicta. 2. ore, cum pœnitentiam ipsis precamur, & veniam à Deo. 3. opere, cùm non nocemus, etiam quando possumus.*

Decima quarta est συμπάθεια Christiana, *quam exercere debemus invicem in utraq; fortuna: cui virtuti opposita est Invidia, quæ dolet in proximi bonis, &* ἐπιχαιρεκακία, *quæ lætatur in proximi malis: utraq; est à Diabolo. Vide Sirac.* 18,31.27,32.

Decimaquinta est concordia studiumq; pacis, *quæ facit pulcram inter homines* ὁμόνοιαν *& firmam amicitiam, cujus est idem velle ac nolle.*

Decimasexta est Humilitas, *quæ adminiculum est concordiæ, cùm quis non altè de se sentit; sed inferiorem se altero existimat; quod & à Christianis exigit Apostolus Phil.* 2,3.

Decimaseptima est Modestia. *Vult enim Apostolus, ne simus prudentes apud nos ipsos: Probibet prudentiam illam inutilem & nimiam, quæ tandem degenerat in stultitiam. Tales dicuntur sapientes esse in oculis suis* Esa.5,21. *quod faciunt*

ciunt partim, qui rerum sunt periti, sed esse nolunt, hoc est, donis suis nemini inserviunt: partim qui rerum non sunt periti, sed esse volunt, hoc est, qui sibi plus viribus suis arrogant, & in rebus agendis suæ tantùm innituntur prudentiæ, alios consulere nolunt: partim qui peritia sua utuntur non in utilitatem proximi, sed in proprium commodum, quibus scriptura vafritiem & prudentiam carnis tribuit Sir. 19, 19. Iac. 3, 15.

Decimaoctava est Mansuetudo, *quæ non reddit malum pro malo; idq; fit, quando neq; nos ipsos ulciscimur, neq; per alium malefacimus hosti, sed forti animo devoramus injurias. Interdictum simile legitur Levit. 19, 18. Proverb. 24, 29. 20, 22. 1. Thess. 5, 15. Nihil enim ita studet Deus, quàm nos mutuis caritatis nexibus colligare, ait Chrysostomus hom. 16. in Matth.*

Decimanona est studium honestatis; *jubet enim providere bona coram Deo & hominibus. Nam cùm varia sint hominum judicia de actionibus studijsq; nostris, vult D. Paulus nos quasi eminus prospicere, quid ad faciendam & conservandam famam nostram faciat: quod fieri potest, quando non modò honestum actionum nostrarum finem habemus nobis propositum, verùm etiam media ad finem ducentia eligimus laudabilia; quam ob caussam alibi monemur, ut abstineamus non modò a malo, sed & à specie mali 1. Thess. 5, 22. & ut omni turpitudini in sermone & gestu valedicamus Eph. 4, 29.*

Vicesima est studium pacis, *quod quantum in nobis est, cum omnibus colere jubemur. Pacem cum hominibus passim commendat scriptura Ier. 26, 7. Mar. 9, 50. Rom. 14, 19. &c. Hic autem geminum addit* προσδιορισμὸν si fieri potest, & quantũ in vobis est. *Quia jam post lapsum tales sunt hominum mores, ut non omnes pacem admittant; ideo vult nos*

operam dare, ut pacem omnibus, etiam improbis, offeramus, licèt eam non semper impetrare valeamus; & semel impetratam non fasilè rescindamus: quemadmodum David erat pacificus adversus eos, qui oderunt pacem Psal. 120, 7.

Vicesima prima est Iræ & vindictæ moderatio, *quæ pertinet ad conservandam pacem. Loquitur autem de vindicta privata, cùm quis sive per se, sive per alium, sive in continenti, sive ex intervallo lædit eum, à quo fuit injuria adfectus. Vbi remittit hominem ad Deum, cui vindicta soli debetur. Jta enim ipse dicit Deut. 32. mihi vindicta, & ego retribuam. Jnvasor igitur fit divini muneris, qui semetipsum ulciscitur. Addit autem contrariam virtutem, vindictæ privatæ oppositam, qua benefacimus malevolis & apertis hostibus nostris.* Si esurierit, *inquit*, inimicus tuus, ciba eum; si sitit, potum da illi, &c. *Quæ verba petita sunt ex Prov. 25, 21. Nomine cibi & potus intelligit quævis humanitatis officia, quæ exhiberi vult non modò amicis, verùm etiam malefactoribus, idq; ex præcepto Christi Matth. 5, 45. qui diligi vult inimicos. Rationes addit Apostolus noster 1. ab utili:* hoc faciens, *inquit*, carbones ignis congeres super caput ejus, *hoc est, officijs illis proximum quasi vivis carbonibus ad mutuam dilectionem inflammabis. 2. ab honesto:* noli vinci malo, *inquit*, sed malum vince bono. *Cùm enim hoc agat inimicus, ut & nos de proposito nostro abstrahat, occasionem quærens, quomodo peccemus; ideò si provocati ab illo, vicem illi non reddamus, vincimus illum in bono, ait Ambrosius in hunc locum.*



Para-

Paraphraſis hujus partis.

PОrrò, cariſsimi dilectionem vos vobis invicem debere noſtis, tanquam virtutum cæterarum matrem: Ea ſit ἀνυπόκριτος, non conſiſtens in verbis, ſed proficiſcens ex animi ſententia: exhibete vobis invicem fraternam benevolentiam: quilibet alterum, ut majorem & honoratiorem, honore proſequatur: in officijs veſtris ſitis impigri, in pietate fervidi, honoris divini ſtudioſi; in expectatione ſortis melioris, læti: crucem tolerate, precibus inſtate, proximum ſublevate: peregrinos recipite; inimicis benefacite: utramque fortunam proximi Chriſtiana συμπαθείᾳ ſufferte: concordiæ, humilitati, modeſtiæ, honeſtati & paci publicæ, quoad ejus fieri poteſt, ſtudete. Ne indulgeatis iræ, multò minus ex præpoſtero affectu vos ipſos vindicate, ſed cogitate, Deum eſſe vindicem ſcelerum, qui viſitat iniquitatem hominũ, cui injurias veſtras tutò committite. Vos autem inimicis benefacite, ubi poteſtis: non pœnitebit vos iſtius ſtudij. Nihil enim ita lædentes cohercet, ut patientia modeſtiaque læſorum; nec ſecuturum modò cohercet impetum, ſed de præcedente exigit pœnitentiam, cogitque cædentem, ut à percuſſo cum modeſtiæ illius admiratione diſcedat; quin imò & familiares facit, nec ſolùm amicos ex inimicis, ſed ſæpè etiam famulos.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Præceptum Apostoli est: Benedicite persequentibus vos; benedicite & nolite maledicere, v. 14. cur ergo David in Psalmis sæpissimè mala imprecatur hostibus suis, ut Psal. 5,7.6,11.36,1.55,24.109.&c. quin & Paulus ipse imprecatur Pseudapostolis Gal. cap. 5, 12. Vtinam exscindantur, qui vos conturbant?

Imprecationes quatenus licitæ.

Resp. Distinguendum est inter imprecationes publicas & privatas. Imprecationes publicæ sunt, quæ solius Dei gloriam promotam cupiunt: & fiunt vel *à personis publicis, ubi non tam imprecationes sunt, quàm prædictiones & annunciationes iræ divinæ, quemadmodum sunt diræ parentum,* ,, *Præceptorum, concionatorum &c. in quam sententiam* ,, *D. Augustinus scribit lib. 6. contr. Faustum Manich.* ,, *cap. 22. maledicta cùm ex Prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio Spiritus denunciantis:* vel *fiunt à privatis, quos gloriam Dei vindicare non minus decet. Et tales imprecationes interdum directæ sunt non ad hominis interitum, sed salutem, siquidem imprecando justum DEI judicium ipsi annunciatur, si perseveraverit in malitia; quæ annunciatio extimulat ipsum ad pœnitentiam: aut si maximè ipsi homini molitio-*

malitioso non consulitur, est tamen è re bonorum, pro quibus votum fit, ut ab impijs istis liberentur. Ejusmodi imprecationes erant Davidicæ in Psalmis, Pauli etiam in epistola ad Galatas, & omnium piorum, qui zelum habent domus Domini. Privatæ verò imprecationes sæpè oriuntur ex levitate quadam aut impatientia animi, propriæ vindictæ gratia, nō quærentes hostium conversionem, sed perniciem. Et hanc maledicentiam prohibet D. Paulus & Christus: pugnat enim cum caritate fraterna & mansuetudine Christiana. Plura vide in comment. meo in Psal. 6. part. 1. loco. 5.

(Imprecatio ex privata vindicta semper est vitiosa, à quocunq; fiat: & ibi locum habet illud Psal. 109. maledicant illi, & tu benedices. Sed si concernit honorem Dei, ibi locum habet his conditionibus adhibitis. 1. ut diræ conferantur in vitium, non in vitiosum. 2. ut hominis castigatio temporalis petatur, salus autem æterna interim promoveatur, juxta illud Psal. 38, 17. imple facies eorum ignominiâ, ut discant nomen tuum &c.)

QUÆSTIO II.

Exhortationes Apostolicæ in hoc capite: Benedicite persequentibus vos; malum pro malo ne reddite: vos ipsos non defendite: vincite malum bono &c. suntne consilij vel præcepti?

Resp. Distinguunt Romanenses *inter præcepta & consilia Evangelica. Illa vocant ea omnia, quæ Moses habet in lege; hæc dicunt à Christo superaddita, non sub pœna peccati mortalis, si non servantur, sed tantùm, ut per illas expeditius homo possit consequi salutem. Inter illa consilia vulgò referunt & hæc: Ne reddatis malum pro malo: diligite persequentes* Consilia & præcepta quo modo distinguantur à Pontificiis.

vos: ne resistatis malo &c. ex quibus mera fecere opera super erogationis, non precepta, sed in libera voluntate hominis relicta. Sed multis modis hoc discrimen refutari potest. Impingit enim in articulum de Lege, de Iustitia fidei & bonis operibus. Fingitur legem Mosis perfectè posse impleri, quod negat Apostolus noster alibi Rom. 8. tribuitur justificatio coram Deo non fidei sed operibus legis, quem errorem Apostolus in hac Epistola ex professo refutavit: fingitur, opera non mandata, aut ab homine excogitata longè esse perfectiora, quàm divinitùs præcepta; ideò vulgò dicunt, consilia esse supra præcepta: fingitur Apostolum Paulum tantùm suadere, non præcipere, contra manifestam literam, Ne vindicetis vos ipsos, & vince bonum malo: Fingitur insuper, regulas illas à Christo & Apostolo Paulo præscriptas, liberè & absq; detrimento salutis violari posse, ita ut non sit opus deprecatione. Quæ omnia impia pariter ac absurda esse nemo piorum dubitat. Præterea malè divelluntur hæ regulæ Paulinæ: Benefacite persequentibus vos: ne reddatis malum pro malo &c. à præceptis legis. Nam in lege similia habentur, ubi jubet Dominus diligere inimicũ, adeò ut nõ modò ipsi, sed & omnibus, quæ ipsius sunt, benefaciamus. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum; Si videris asinũ odientis te, non pertransibis, sed sublevabis eum Exod. 23.4. Et iterum: Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum Levit. 19.18. Præceptum itaq; est, quod vulgus Pontificiorum venditat ut consilium. Id quod ne quidem Pererius diffiteri potest. disp. 2. in cap. 12. Rom, Im-

Refutatur hoc discrimen.

Nota verba Pererij.

pendere inimicis generalem dilectionis adfectum, *inquit*, cujusmodi est, non excludere eos à communi oratione & suffragijs, quæ communiter fiunt pro fide-

libus

libus, præcepti est, sicut etiam in articulo necessitatis subvenire inimico. *Addit autem Pererius: Extra hæc, singularem aliquem dilectionis affectum exhibere inimico, vel applicare ei præcipuè aliqua orationis suffragia, vel etiam largiri subventionis subsidia & beneficia, consilij est, non præcepti.* *Quod additamentum refutatur ex priore concessione. Si enim dilectionem in genere debeo inimico: quidni & in specie pro ipso orare, in periculis subvenire, & singulariter benefacere obstrictus sim? Hoc est, quod Paulus noster in hoc capite præcipit ex Salomone: Si esurierit inimicus tuus, ciba eum, si sitierit, aquam da ei. Ita Ephraimitæ ex præcepto Obed Prophetæ Domini, captivos in bello à se devictos vestierunt de spolijs, & postquam eos vestijssent, & refecissent cibo ac potu, unxissentq; eos qui ambulare non poterant, & imbecillo erant corpore, imposuerunt jumentis, & adduxerunt Jerichuntem ad fratres ipsorum; ipsi verò reversi sunt in Samariam 2. Paralip. 28, 15. Ex quo exemplo liquet, quòd non sufficiat ad dilectionem inimici generalis duntaxat quædam significatio benevolentiæ, sed & specialis & realis affectus benevoli declaratio, ubicunq; opus fuerit; licèt non negemus dilectionem gradus habere, & posse aliquem bona cum conscientiam majori complecti amore benefactorem, quàm hostem: ita enim & CHRISTUM legimus plùs dilexisse Iohannem, quàm cæteros discipulos Joh. cap. 13. & 20.*

Refutatur error Pererij de Consilijs.

QUAESTIO III.

Probibet Apostolus vindictam v. 19 an non hoc est contra legem naturæ, quæ docet, vim

vim vi repellere licere: imò contra legem illam Mosis; sicut fecit, ita fiat ei, Levit. 24, 19. Deut. 19, 19?

Vindicta quando sit licita.

Publica vindicta.

Resp. *Distinguendum est inter vindictam publicam & privatam. Publica fit à Magistratu ex mandato Dei, qui judicibus tradidit gladium, ut sint vindices scelerum Rom. 13, 4. fit autem secundùm leges, non ex odio personæ, aut aliquo alio privato affectu; ideò interdicitur Magistratui, ne insontem & justum occidant Exod. 23, 7. fit etiam non privati commodi gratia, sed in defensionem bonorum & justam pœnam maleficorum Rom. 13, 4. 1. Petr. 2, 24. Hoc modo administrata vindicta justa est atq; legitima; sive ea fiat per bellum, sive privatim in personis nocentibus exerceatur. Et hic locum habet illud Mosaicum; Sicut fecit, ita fiat ei. Hanc enim regulam ad judices restrinxit Dominus Deut. 19, 19. & 21. Iudices, inquit, qui fuerunt in diebus illis, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit; animam pro anima, oculum pro oculo &c. exiges, non misereberis.*

Privata vindicta.

Privata vindicta est, quæ exercetur ab ijs, qui nullũ in alios jus habent, neq; ratione officij sui, neq; ratione concessionis à Magistratu *legitimè factæ. Tali vindicta turbatur ordo ille de vindicta divinitus institutus, sive cupiditas saltẽ vindictæ adsit, sive ipso actu exerceatur. Et his dictũ est Prov. 24, 29. Ne dicas, sicut fecit mihi, sic faciam ei. Quod legem naturæ attinet, certum est, eam doctrinâ Christi aut Apostoli nequaquam tolli. Ita igitur explicanda est, ne cum vindicta prohibita pugnet.*

Quatenus liceat vim vi repellere.

Licet itaq; vim vi repellere 1. Magistratui, cùm publicam violentiam publicis armis cohercet; quod est extra controversiam: pertinet enim ad vindictam publicam & concessam. 2. etiam privatis, quan-

tis, quando vel eos, qui nostræ curæ commissi, vel etiam propria corpora, bona & fortunas nostras defendimus. Quæ defensio ne pugnet cum dilectione inimici, observandum est, tunc demum eam esse legitimam, quando fit contra manifestam violentiam, cui aliter, quàm aperta vi resistere non potes; quando etiam magistratus auxilium tam subitò implorare non potes; quando etiam resistis hosti in continenti, non animo ulciscendi, sed defendendi saltem, & quidem armis decentibus, & debitam proportionem ad arma hostis habentibus. Ejusmodi defensio in scriptura probibita non est, neq; pugnat cū dilectione proximi. Dilectio enim à seipsa incipit, & nemo propriam suam carnem odio habet Ephe. 5. & exempla privatæ hujusmodi defensionis extant in scriptura Exod. 22, 2. Gen. 14, 14. &c. In hoc casu locum habet illud Ambrosij lib. 1. de offic. cap. 36. Qui non repellit injuriam à socio, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit.

QUÆSTIO IV.

Si, juxta doctrinam Apostoli, nemini malum pro malo est reddendum, sed malum bono vincendum: ergo impij & malitiosi homines non sunt odio habendi? Id verò contra naturam est; nam qui bonos diligit, ex natura contrariorum malos odit. Et David in Psalmo 139. de impijs dicit: Nonne odientes te Domine, odi, & in eos, qui adversum te insurgunt, excandesco? &c.

Diversæ caussæ odij.

Resp. Solutio hujus nodi dependet à consideratione caussarum, unde odium nascitur. Aut enim oritur ex insigni amore Dei, aut ex stulto amore nostri. Si ex amore Dei, justum est odium adversus impios, qui gloriam Dei impietate malitiâq; suâ impediunt; & tunc fertur in vitium non in vitiosum. Sin ex amore nostri ipsius; præposterum odium est & fertur in vitiosum, non in vitium. Familiare autem ijs est, qui se suaq; impensius amant, ut inimicos odio habeant: qui verò Deum diligunt, suos quoq; inimicos diligere possunt, Dei autem nequaquam. Ita David perfecto odio persequebatur non suos, sed Dei inimicos, hoc est, eos, qui nomen Dei blasphemabant; suos autem cum patientia tolerare poterat, ut patet ex historia Simei 2. Sam. 16. ideo addit in eodem Psalmi loco: odi eos, qui te oderant, & inimici facti sunt mihi. Quia verò prætextus iste, quasi odium feratur in inimicos Dei, nimis fallax est, certissimum est τεκμήριον, odisse aliquem inimicos, non ob id quòd adversantur sibi, sed quia mali sunt & impij, hoc est, Deo inimici (quale odium justum est & Christianum) si pari facilitate feratur ad amandos atq; imitandos bonos & pietatis studiosos. Qui amor si in ipso friget, prætextus ille hauddubiè fallax fuit & inutilis.

Vnde agnoscendum sit, odium ferri non erga nostros, sed Dei inimicos.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. *Caritas Christiana est fundamentum omnium virtutum secundæ tabulæ: quæ suis requisitis hic describitur. 1. non sit simulata, sed sincera: est enim cor hypocriticum abominatio Domino. 2. sit boni studiosa; malo inimica: quo nomine discernitur à caritate, quæ intercedit filijs hujus seculi, & describi-*

describitur Prov. 1, 11. Sap. 2, 6. 3. sit fraterna, quæ proficiscatur ab ijs, qui unius ejusdemq; hereditatis sunt socij, quiq; affectibus & studijs deberent esse consentientes. 4. fiat non cum despectu sed honore ejus, quem diligimus: sed ubi istum invenies, qui honorem amici anteponat suo? inquit Cicero libr. de amicitia. 5. fiat non obiter, sed ardenter & cum propensissimo studio inserviendi: mutuis enim officijs conservantur amicitiæ. 6. & deniq; quicquid proximo benefit, conferatur omne ad gloriam Dei, qui talia officia à nobis exigit, & remunerationem promisit.

2. *Preces Christianorum inprimis opus habent fiducia & perseverantia: partim propter concatenatas tribulationum molestias, partim propter moram auxilij divini. Ideò & Christus & Paulus instare nos jubent orando, Matth. 7. Luc. 11. Rom. 12. Eph. 6.*

3. *Nihil decedit sanctitati piorum, licèt multas tribulationes experiantur. Vivimus enim hic in militante Ecclesia, ubi vita hominis perpetua est militia Iob. 7. in qua sudant dum nobis est, donec per tribulationes multas ingrediamur in gloriam Act. 14. Quin imò à Sanctis, seu ut Petrus loquitur, à domo Domini tribulatio incipit 1. Pet. 4, 17.* partim *in terrorem impiorum; si enim à sanctis incipit, quis finis erit eorum, qui non credunt Evangelio, ibid.* partim *in exemplum cæterorum, ut sciant, similem passionem suis in mundi fratribus accidere* 1. *Petr. 5, 9. & de Tobia scriptum est: Hanc tentationem ideò permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & Sancti Iob. Tob. 2, 12.*

4. *Multum differt caritas Christiana ab humanitate Ethica Ethnicorum. Illa vult etiam, ut benefaciamus inimicis,*

hæc jubet inimicos odisse. Ita enim scribit Cicero in officijs: Posse bonum virum, si lacessitus sit injuria, lacessenti nocere, seseq; ulcisci; & Aristoteles stolidum hominem vocat, qui non vindicat injuriam. Sed Schola Spiritus Sancti aliter docet, & inter officia hominis verè Christiani recenset mansuetudinem illam, quæ injurias suffert, & malum bono vincit. Christianum enim est benefacere & malè audire: cujus rei illustre exemplum habemus in Davide, qui cùm Sauli hosti infensissimo nocere posset, noluit, sed mansuetudine vicit 1. Reg. 24. & 26.

5. *Vicissitudinem habet præsens hoc seculum, ubi & ridendi & flendi tempus est, dicente Ecclesiaste cap. 3, 4. Nam bonum & malum diem fecit Dominus Eccl. 7, 15. neq; perpetuò dabit fluctuationem justo Psal. 55. Ad utramq; igitur fortùnam parati simus, non tantùm nostro nomine, sed & proximi gratia, cui vel congaudendum vel commiserandum est, prout Deus dedit, exemplo vicinarum Elisabethæ Luc. 1. & viduæ Nainiticæ Luc. 7. Certum enim est, nihil magis conservare amicitias, quàm Christianam hanc συμπάθειαν: contra ἐπιχαιρεκακίαν verò ita scribit Siracides 28, 31. Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exaltetur cor tuum: nam qui deridet alios, his vindicta insidiatur ut leo.*

6. *Pacem fugere nemo debet, sectari & studiosè quærere omnes oportet: impetrare autem non semper valent. Idcirco opera danda, ne ex parte nostra quidquam desideretur, quod ad alendam pacem facere potuisset. Id verò impetrare possumus studio humilitatis, patientia, mansuetudine & similibus virtutibus ad conversationem civilem pertinentibus; quas hoc loco commendat Apòstolus.*

7. *Vindicare injurias, Dei est, non hominum. Ipse enim*

dixit: mihi vindicta, & ego retribuam Deut. 32. qui locus bis allegatur in Novo Testamento, hic & Heb. 10. Voluerunt enim s. Apostoli ipsius Domini verbis frenare impetuosum illum adfectum qui homini familiaris est. Satis enim est, illum vindicare sanguinem servorum suorum, qui utrumq; novit, & offensum & offendentem, omniumq; optimè scit, quantum ad depellendas injurias sufficiat: homo autem modum nescit; idcirco ipsi vindicta non relinquitur.

8. Scelera tantò diligentiùs cavenda sunt, quò infallibilior est vindicta Dei. Rarò enim antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo. Et ut amnes quidam repentè se condunt sub terram nihilominus eò perferuntur, quò tendunt: ita numinum iræ licèt occulta, tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes, inquit Plutarchus in moralibus.

CAPUT XIII.

Argumentum & Partitio Capitis.

P*Ergit Apostolus in commemoratione officiorum hominis verè Christiani: & in hoc capite primùm nos instruit, quomodo erga superiores nos gerere deceat, deinde quid proximo & nobis ipsis debeamus. Duæ igitur sunt partes capitis:*

Prima *præscribit officia Christianorum erga magistratum, usq; ad v. 8.*

Altera *continet officia ergà proximum & nos ipsos.*

PRIMA PARS TEXTUS.

Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. οὐ γάρ ἐστιν

1. OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non

ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ· αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσί.

non eſt enim poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt.

Ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν· οἱ δὲ ἀνθεστηκότες, ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται.

2. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.

Οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν. θέλεις δὲ μὴ φοβεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν; τὸ ἀγαθὸν ποίει, καὶ ἕξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς.

3. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.

Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστι σοὶ εἰς τὸ ἀγαθόν· ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῇς, φοβοῦ· οὐ γὰρ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορεῖ. θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι.

4. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit.

Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργήν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν.

5. Ideò neceſsitate ſubditi eſtote: non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ φόρους τελεῖτε. λειτουργοὶ γὰρ θεοῦ εἰσιν, εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες.

6. Ideò enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.

Ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς· τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος· τῷ τὸν φόβον, τὸν φόβον· τῷ τὴν τιμήν, τὴν τιμήν.

7. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

IN prima parte autoritatem Magistratus gravissimè asserit, instituta exhortatione ad obedientiam Magistratui debitam, idq; facit ordine octo argumentis. 1. ab æquo petitur, hoc sensu; Nemo mortalium vivit, qui non sit sub aliquo imperio; ergo nolite vos eximere. Extat hoc argumentum primo versiculo: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Per potestates Magistratum intelligit, qui eminentia, autoritate, viribus & majestate pollet. Voluit autem Apostolus in abstracto de ipso ordine loqui, non de hominibus, quia ordo seu officium ipsum in se bonum est, in personis autem multa concurrunt sæpè vitiosa: in obedientia igitur non is qui præest, sed officium ejus respiciendum est, propter quod personæ honor & obedientia debetur. Subjicit autem Magistratui omnem animam, hoc est, omnem hominem, usitata συνεκδοχῇ scripturæ; cujuscunq; sexus, ætatis aut conditionis, sive sint seculares, sive Ecclesiasticæ personæ, sive sint Apostoli sive Evangelistæ: omnes enim superiorem etiam inter homines agnoscere oportet, neq; hoc cujusquam pietati aut eminentiæ quidquam adimit.

Non personæ magistratum gerenti, sed officio honos debetur.

2. Ab ipsa rei natura: Vocat enim ἐξουσίας ὑπερεχούσας, potestates præeminentes, seu sublimiores: quasi dicat, ob hoc ipsum eminentiam quandam habent præ vobis, ut vos ipsis subjiciamini: quorsum aliàs opus esset, ut alter alteri sit sublimior, nisi in inferiorē haberet dominiū aliquod? Exigit itaq; hanc obedientiam illa naturalis relatio, quæ est inter Magistratum & subditos.

(Monstravit Deus necessitatem magistratus in ipso homine: 1. quando τὸ ὀρεκτικὸν subjecit τῷ ἡγεμονικῷ.

2. quando

2. quando hominem præfecit omnibus animantibus. 3. quando præfecit maritum uxori. 4. quando præfecit parentes liberis & 5. herum servis.)

3. Ab honesto. Magistratus enim Dei ordinatio est, cui parere decet. Non est potestas, *inquit*, nisi à Deo; & quæ sunt potestates, à Deo sunt. *Maximi momenti est hoc argumentum, quod ostendit, Magistratus honorem vel contemtum in ipsum Deum redundare. Est autem Magistratus à Deo autore 1. in genere, quatenus est ordo imperantium alijs. Is enim ordo neq; ab angelis neq; ab homine est, sed Deus est, qui præfecit hominem homini, ut cum tranquillitate vitam agamus. 2. in specie respectu graduum & specierum; ideò in plurali loquitur,* quæ sunt potestates, *à Deo ordinatæ sunt. Sunt enim superiores, sunt inferiores domini; sunt qui potestatem in alios habent, in omni vitæ genere; in Oeconomia maritus in uxorem, Pater in filium, herus in servum, in Politia, consul in cives; in Ecclesia, Pastor in oviculas suas; in schola, præceptor in discipulos. Hæ potestates omnes hac authentica Apostoli nostri canonisantur: quia Deum habent autorem. 3. est deniq; Magistratus à Deo respectu suæ bonitatis, non ut morbi, mors & alia mala, quæ à Deo immittuntur ob peccata populi, sed à* Deo ordinatus est, *inquit Apostolus: in morbis autem & hujusmodi malis alijs nullus est ordo. Notatur itaq; hoc vocabulo, Magistratum esse statum in se bonum, legitimum, honestum, imò necessarium, & inter præcipua Dei dona referendum.*

4. argumentum petitur ab inhonesto, & deducitur ex priori. Itaque qui resistit, Dei ordinationi resistit. *Turpe autem est, ordinationem Dei contemnere, quæ injuria in ipsum Deum redundat:*

(Magistratui resistitur dupliciter. 1. vel aperta vi, ac sic manifesta

festa est seditio & rebellio. 2. vel fraudibus ac insidijs, quibus circumveniuntur principes, sæpe ab ijs quos habent à latere. Hinc dicũtur alienis oculis videre, alienis auribus audire &c.

Hinc fluit 5. argumentum à periculo petitum : Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. *In græco est*, ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται, *sibijpsis judicium accipient; non additur, a quo accipiant. Potest igitur vel ad* Magistratum *referri, qui rebelles & inobedientes punire debet, pro ea, quam habet divinitùs autoritate atq; potestate: vel ad Deũ ipsum, qui vindex est sui ordinis, si magistratus in officio suo sit segnior. Hac occasione descendit in descriptionem officij, quod Magistratus habet à Deo. 1. est terror malorum, quos coërcet, & punit* : nam principes, *inquit*, ἄρχοντες, *quicunq; imperium habent in alios*, sunt timori non boni, sed mali operis, *v.3. hoc est, scelera, pacem publicam turbantia ac honestatem ipsam violantia & ipsi cavent, & in alijs puniunt juxta leges, in hunc finem, ut alijs terror incutiatur, siquidem homines plerumq; oderunt peccare formidine pœnæ. 2. tutor bonorum, quos fovet, protegit ac defendit contra vim illatam.* Vis autem non timere potestatem, *ait*; bonum fac, & habebis laudem ex illa: *quibus verbis præmium proponit obedientiæ. Nam qui obediunt, & ea, quæ bona, justa & honesta sunt, faciunt, non habent, quod metuant Magistratus potestatem; sed hoc inde habent commodi, quòd ab ipso Magistratu testimonium obsequentissimorum subditorum accipiunt, ejusq; patrocinio ac protectione gaudere possunt. 3. minister est Dei, & executor sententiæ divinæ, quam in lege jam pridem dixit in rebelles. Idq; bis repetitur v. 4.* Dei minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time; non enim sine caussa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. *Tribuitur*

Officium magistratus.

Fffff *bis*

Magistratus est manus DEI.

bis verbis magistratui, quod solius Dei est, nimirum ulcisci injurias gladio. Est enim Magistratus manus Dei, proinde quod ipse facit ratione officij, DEVM ipsum fecisse credendum est. Duplicem autem usum gladij, quem magistratus gerit, constituit; unum respectu bonorum, quos defendit; alterum respectu malorum, quorum malitiam cohercet.

Sequitur jam 6. argumentum petitum à necessario. Nisi enim obediamus Magistratui, conscientiam nostram pacare non possumus. Necessitate subditi estote, *inquit v.5.* non solùm propter iram sed & propter conscientiam. *Respicit his verbis ad duo genera hominum: quidam sunt nondum renati, vel alioquin profligatè impij & scelerati, qui, si quid ad obsequium Magistratus faciunt, tantùm propter iram, seu pœnam magistratus faciunt, hoc est, evitandæ pœnæ caussa: quidam sunt pij & renati, qui non tam propter evitandam pœnam obediunt, quàm ut Deo & conscientiæ suæ satisfaciant. Est enim conscientia bona juge convivium, in qua perpetua Dei gratia inhabitat. Sauciatam verò conscientiam plerumq; semper sequi solent ultrices Numinis iræ, quæ sanè non sunt contemnendæ. Horribile enim est incidere in manus Domini Hebr. 10. Cavet autem iram & vindictam Dei, qui conscientiam integram & illibatam conservare studet.*

Septimum argumentum petitur à connexis: ideò enim tributa penditis, *v. 6. quia nimirum superiores vestros pro legitimo magistratu recognoscitis: unde sequitur, vos obedientiam eis denegare non posse, cujus particula quædam est pensio illa tributorum. Rationem addit, cur tributa debeant Magistratibus*, quia λειτουργοὶ, ministri *seu officiales* DEI sunt,

ſunt, in hoc ipſum ſervientes. *προσκαρτεροῦντες eſt in græco, quod notat ſummam curam atq; vigilantiam. Oſtendit itaq; tributa deberi Magiſtratui tanquam præmium laborum, quos habent longè maximos & arduos, ſiquidem ipſis cura & ſalus Reipubl. & noſtrum omnium incumbit.*

Octavum argumentum petitur ab æquo. Eſt enim regula juſtitiæ, ut cuiq; ſuum tribuatur. Magiſtratui autem vi quarti præcepti, debetur obedientia: hanc ergo ipſis tribui æquum eſt. Docet autem per partes, quidnam illa obedientia magiſtratui debita complectatur. Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. *Per omnes illos, quibus debita reddenda ſunt, intelligit poteſtates omnes, cui obedientia ex jam antè dictis cauſſis debetur. Illius obedientiæ quatuor adjungit quaſi ſpecies, vel ſi mavis, ſigna & indicia. 1. primum eſt tributi ſolutio. 2. vectigalium penſio. 3. timor. 4. honor. Per* tributum, *φόρον, intelligit penſiones, quæ vel ordinariè à ſingulis civibus, pro modo facultatum ſuarum, vel etiam extraordinariè in caſu neceſſitatis exiguntur. Per τέλος,* vectigal, *intelligit, quod pro mercibus vel venum expoſitis, vel aliàs importatis aut exportatis penditur. Per* timorē *intelligit metū majeſtatis. Deus enim Magiſtratū iſtâ armavit majeſtate, ut ſubditis ingenuis & Deum timentibus metum incutiat, etiam tum, quando nihil mali à magiſtratu metuendum eſt. Per* honorem *deniq; intelligit reverentiam verbis & geſtibus exhibitam, vel ipſi Magiſtratui, vel quibus ſuam poteſtatem delegavit: qua reverentia teſtatum facimus, nos de Magiſtratus officio honeſtam & ſublimem fovere opinionem. Et hæc pro Magiſtratu hactenus dixerat.*

Obedientia magiſtratui debita quid complectatur.

Tributum.

Vectigal.

Timor.

Honor.

Paraphrasis hujus partis.

PОrrò, carissimi, obedite Magistratui vestro ex animo. Hoc enim scitote, quòd nemo sit inter mortales, cujuscunque sit sexus, ætatis aut conditionis, qui non superiori alicui obedientiam debeat; neq; immeritò ita fit. DEUS enim hunc ordinem instituit, & superiores nostros nobis præfecit, adeò, ut qui rebellis adversus ipsos esse voluerit, in ipsam Dei ordinationem fiat injurius, gravissimasq; pœnas certo certius incurrat, sive à Magistratu, sive à Deo ipso infligendas. Ideò enim à DEO potestate armati sunt, & jus stringendi gladium acceperunt, ut habeant improbi, quem metuant, & si non conscientiæ aut honestatis gratia, tamen pœnæ evitandæ caussa à malitia abstineant; probi verò & obedientes subditi, ipsorum tutela & patrocinio gaudeant. Et hoc non ipsi proprio motu, sed DEVS per ipsos efficit. Hujus enim ministri sunt, quorum & autoritatem ipsemet adversus improborum violentiam potentissimè tuebitur. Proinde si improbi vel tandem officium facere, & magistratui obedire coguntur, ut pœnas effugiant, quanto magis vestrum hoc erit, qui non ignoratis, aliter conscientiæ satisfieri non posse? Et quid aliter facitis, cùm magistratui vestro tributa solvitis, quàm quòd hoc ipso vos ipsius jugo subjicitis, & quasi præmium aliquod laborum & molestiarum publicarum offertis? Agite igitur, date cuiq; quod suum est, summo, medio & infimo, adeoque omnibus qui vobis præsunt; solvite pensiones vestras, quascunq; è facultatibus aut mercibus vestris debetis; reveremini & honorate principem vestrum debito

more ac modo: ita & DEO & vobis ipsis satis facietis, publiceque constabit, ordinationes divinas à vobis magnifieri.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Si omnis anima potestatibus subjecta est; cur ergo Apostolus Paulus reprehendit Corinthios, quòd se judicio magistratus submiserint; ostendens quòd ipsi inter se negotia secularia componere potuissent: imò debuissent? 1. Cor. 6, 3.

Resp. Apostolus sibiipsi non contradicit: idcirco si hic Christianos inter Romanos remittit ad superiorem potestatem magistratus sui, licèt Ethnici; haud dubiè simpliciter & in se Corinthijs non prohibuit, ut magistratus sui, licèt infidelis, arbitrio imperioq; uterentur. Sed incidebat aliud quasi ex accidente, cur eos reprehendit. 1. quòd illatâ injuriâ, parti læsæ caussam dabant litigandi: quæ injustitia Christianos, qui fratres invicem sunt, minimè decet. 2. quod pars offensa nihil tolerare, nihil privatim componere, omnia etiam levissima ad judicem publicum deferre solebat, non sine dedecore Christianismi, in quo juxta Christi præceptum, condonatio mutua inprimis locum habere debebat Matth. 5. & 18. 3. quòd lites inter se exortas non ad judicium fratrum Cur Paulus Corinthios in 1. Cor. 6. reprehenderit.

Christianorum remittebant, sed ad Ethnicum Magistratum deferebant, omniaq; ad ἀκροβοδίκαιον exigebant; id enim non sine scandalo infirmorum Christianorum fiebat, & Ethnicis ridendi ansam præbebat. Hoc ergo suadebat eis, potiùs omitterent litigia, vel inter se privatim transigerent, quàm ut nō sine gravi ignominia Christiani nominis & certissimæ offensione fratrum infirmorum, coram Magistratu infideli litigarent. Aliàs judicia Magistratuum publica, istâ sua reprehensione nondum sustulit: concedit enim ipsis judicem & superiorem v. 5. neq; prohibet, quò minus ad magistratum infidelem, pro rei necessitate provocare liceat; hoc enim ipse fecit, cùm provocaret ad Cæsarem Act. 25, 10, 12. & Christus à servulo Pontificis injustè percussus, coram impio judice provocat ad legitimam caussæ cognitionem, Joh. 18, 23.

QVAESTIO II.

Quomodo omnis potestas à Deo esse potest, cùm tamen Deus ipse dicat de principibus populi sui Ose. 8, 4. Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi eos?

Resp. Potestas in se simpliciter considerata, non nisi à Deo est, qui superiores nostros quasi Deos constituit inter nos Exod. 4, Psal. 82. & per quem reges regnant, & legum conditores justa decernunt Prov. 8. sed respectu adquisitionis & usurpationis non semper est à Deo: multi enim malis artibus magistratum invadunt, multi etiam potestate, quam legitimè acceperunt, illegitimè utuntur. Et de his sanè verum est, quòd regnent absq; Deo, & quòd Deus de potestate taliter adquisita

quisita

quisita vel usurpata nihil sciat. Patet hoc in exemplo, ad quod respexit Oseas. Reprehendit enim Israelitas, quòd relicto Rehoboamo Salomonis filio, & legitimo in Regno Davidis successore, alium sibi Regem constituerint, Ierobeamum: id quod non sine rebellione & contemtu ordinis divini fiebat. Deus enim Davidem elegit regem, & omnes in familia sua sibi succedentes. Cùm ergo Israelitæ extra familiam Davidis alium sibi regem quærerent, id per seditionem fiebat, atq; sic malis artibus Ieroboam regnum ingrediebatur, quo respectu regnum ejus certè à Deo non fuit. Etsi enim Deus hanc decem tribuum rupturam à domo David prædixerat 1. *Reg.* 11, 1. *ego scindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi Ieroboamo decem tribus: tamen populus non debuisset rebellare legitimo regi, licèt aliquantò duriori: Ieroboam autem non debuisset populo rebelli obtemperare, sed expectare tempus, donec eum Deus legitimis mediis ad illam dignitatem eveheret.*

QUÆSTIO III.

Si nulli potestati resistendum est, ergo nec magistratui tyrannico licet resistere?

Resp. Magistratus tyrannicus est, qui contra æquum, bonum ac leges imperat, vel injustè invadendo, vel malè administrando principatum. Etiam tali Magistratui obtemperandum est ab iis, qui merè sunt subditi, quantum bona cum consciẽtia fieri potest. Qui verò resistit, Dei ordinationi resistit. Nam & tyrannus potestatem suam à DEO habet, vel puniente hoc modo hominum delicta: facit enim regnare hypocritam propter peccata populi Job. 43. vel invitante tyrannos hoc pacto ad pœnitentiam. Idcirco scriptura passim tyrannorum potentiam ad Deum refert autorem, ut Ose. 13. *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione*

Magistratus etiam tyrannicus à Deo est.

tione mea: & Sap. 6. A Domino data vobis est potestas, & cum essetis ministri regni ejus, non rectè judicastis. Et Christus de Romano præside dicit, Johan. 18. potestatem ei datam esse desuper: notum autem est, quantam tyrannidem Præsides Romani in populo Dei exercuerint. Proinde manifestus error est Pererij disp. 1. in hoc caput, ubi negat, tyrannos consilio aut voluntate Dei regnare, ipsisq; obtemperandum esse: quem errorem ex professo refutat Bellarminus lib. 3. de laicis cap. 8. ubi inter alia locum Augustini adducit ex lib. 5. de civ. Dei cap. 21. qui Pererio è diametro oppositus est. Qui dedit Mario, inquit Augustinus, ipse & Cæsari; qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasiano vel Patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino, ipse & Apostatæ Iuliano. Quæ cùm ita sint; rectè concludimus ex hoc Apostoli loco: quisquis etiam tyrannico magistratui resistit, Dei ordinationi resistit. Hic enim non persona aut modus regiminis attendendus est: hæc enim omnia vitiosa esse possunt: sed Regimen ipsum, quod ordinatio Dei, atq; ideò semper bona est, licèt ab iniquo aut indigno possessore usurpata. Idcirco David noluit resistere Sauli, licèt tyrannicè ipsum persequenti, quia sciebat ipsum esse unctum Domini 1. Samuel. 24, & 26. Quod si tamen tyrannus instar latronis in subditorum vitam aut salutem grassaretur, ibi nihil vetat, quò minus per magistratum vel superiorem vel inferiorem, ei resistatur, ne pars sceleratior destruat meliorem. Modo sit defensio extremæ necessitatis, ubi alia salutis media non adsunt: quo pacto defendit Abikam Jeremiam contra regem Iojakim, interficere volentem, Ierem. 26, 24. Etsi verò Magistratui Tyrannico simpliciter resistendum non est, attamen non statim in omnibus obtemperandum. Sed si edictum concernit

Pererius & Bellarminus committuntur invicem.

Quatenus liceat resistere tyrannico Magistratui.

cernit dispendium bonorum temporalium, toleranda vis est, tanquam ingens aliqua tempestas aut calamitas, qua Deus facultates nostras eripit. Si verò concernit fidem & religionem, eaq; qua contra expressum Dei mandatum sunt, ibi Deo magis obtemperandum est quàm hominibus: proinde absq; rebellione cedendum est furori, juxta consilium Christi Matth. 10. Si vos persecuti fuerint ex civitate una fugite in aliam. Interim precibus & suspiriis Deo committenda vindicta, & ad tribunal ejus provocandum, qui scit suos ex tentatione eripere, vel immutando animum tyranni, vel excitando Salvatorem, qui populum tyrannide pressum in libertatem afferat. Paulò aliter se res habet, quando subditi non omnino privati sunt, sed in inferiori magistratu constituti. Illi resistere possunt superiori magistratui, si degenerat in tyrannum; modò semper fiat juxta leges, cum moderatione inculpatæ tutelæ. Nam & inferiores Magistratus debent contra vim injustam, subditorum vitam & bona defendere: & ideò adjuncti sunt superiori magistratui, non saltem ut sint laborum socii, sed & ut coherceant ejus nimiam licentiam, sicubi opus fuerit: idq; exemplo centurionum & Principum populi, qui Athaliam Reginam tyrannicè gubernantem deposuerunt & interfecerunt 2. Reg. 11. & exemplo Ezechiæ, qui ab Assyriorum Rege, cui prius obstrictus erat (ut colligitur ex cap. 16. lib. 2. Reg.) defecit, & adversus eum se populumq; suum defendit 2. Reg. 18. Vbi tamen & hoc notandum, inferiori magistratui omnia prius tentanda, quàm ad arma veniendum, ne videatur rebellare, aut privata sua commoda quærere; quemadmodum Ezechias tentavit prius Assyrium muneribus ac pecuniis placare, ne quidem parcens sacro apparatui, modò ut sibi avitam Judæorum religionem relinqueret; sed cùm nihil obtineret, tandem ad arma ventum est. 2. Reg. 18, 14, 15. quin & Deus ipse pro Ezechia pugnavit 2. Reg. 19, 35.

Inferior magistratus superiori se interdum opponere potest.

QUÆSTIO IV.

Quia dicit Apostolus Paulus, omnem potestatem à Deo ordinatam esse; num fortasse talis ordinatio intelligitur, qua magistratus civilis subsit Ecclesiastico, hoc est, Imperator Pontifici Romano?

Resp. Ita quidem locum fraudulenter corrupit Pontifex Romanus, ut videre licet in constitut. Clementinis lib. 1. tit. 9. de juritur. & in extrav. communibus lib. 1. tit. 8. de majorit. in extravagant. Bonifacij VIII. unam sanctam, in quo posteriore loco inter alia hæc leguntur; Vterq; gladius est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subijcere potestati. Nam cùm dicat Apostolus; non est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt; non autem ordinatæ essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium ad suprema. *Hæc Bonifacius. Sed hæc glossa ad stabiliendum Politicum Imperium in summos mundi monarchas maximè coacta est, quæ Paulo certè in mentem non venit. Nam quando dicit, potestatem à Deo ordinatam esse, non intelligit ejusmodi ordinationem, ut gladius sit sub gladio; temporalis sub spirituali, sed simpliciter intelligit constitutionem, quasi dicat, omnes potestates à DEO sunt constitutæ, seu DEUM habent autorem & institutorem.*

Glossa Bonifacij pro potestate Papæ in temporalibus.

Agit enim Apostolus cum Romanis, qui non nisi Politicum habebant magistratum, nulli Pontifici subjectum: ergo ibi non poterat esse politicus gladius sub spirituali. Vult etiam omnem animam potestatibus subjectam, ubi ne quidem spirituales personas excludit; & sic non politicos spiritualibus, sed spirituales politicis, tanquam magistratui subijcit. Ideo Chrysost. scribit in ista verba Pauli: Vt ostenderet, quod omnibus ista præcipiantur, & sacerdotibus & Monachis, non secularibus tantùm, statim initiò manifestum hoc fecit, sic dicens: omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, etiamsi sit Apostolus, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta, sive quisquis tandem fuerit: Neq; enim pietatem subvertit ista subjectio.

Chrysostomi locus Papæ opponendus.

QVAESTIO V.

Si Ecclesiasticæ personæ etiam subjectæ sunt politico magistratui, sequetur, eas quoq; ad solvendum tributum obligatas esse, juxta hoc Apostoli nostri: reddite tributum, cui tributum debetis. Videtur autē obstare illud Christi Matth. 17, 26. filij regni sunt liberi à tributo: quod Augustinus ita exponit lib. 1. quæstion. Evangelic. quæst. 23 quòd, quemadmodū in omni regno filij regni sunt liberi, hoc est, non sunt vectigales; ita multò magis liberi debeant esse in quolibet regno terreno filij regni illius, sub quo sunt omnia regna

terræ. Filij autem regni cœlestis, sunt imprimis Ecclesiasticæ personæ?

Resp. Filij regni in dicto Christi, non sunt spirituales filij Ecclesiæ; alias omnes Christiani à tributo essent exemti, sed sunt hæredes & intimi regni: ab his enim tributum non solet exigi. Quòd autem Ecclesiasticæ personæ, quæ propria possident bona, & cum cæteris civibus jure civitatis fruuntur, liberæ non sint à tributo, Christus suo comprobavit exemplo, qui pro se & Petro solvit δίδραχμα, Matt. 17. ubi se politico magistratui subjecit in realibus; *alibi idem fecit* in personalibus, *ut quod coram Pilato fatetur, ipsum habere in se jus ac potestatem divinitùs. Vbi tamen notandum est, quòd propter reverentiam erga ministerium, hodiè Magistratus civilis hoc jus suum exequitur per judicia Ecclesiastica, coram Consistoriis & inspectoribus Ecclesiarum. Quod autem Augustinus de libertate filiorum regni differit, non ad civilem sed Ecclesiasticam libertatem pertinet, quod nimirum quicquid faciunt, non coactè, sed libero Spiritu præstant. Quo sensu & illud B. Lutheri intelligendum est (quod Pererius præter meritum carpit disp. 2. in hoc cap.) quando in libro de libertate Christiana scribit, hominem Christianum Dominum esse, omnium liberrimum, sed Dominum tamen officiosissimum, ideoq; per benignitatem & humanitatem subjectum omnibus, eumq; nihil agere ex obligatione, se agere omnia tantùm ex amore. Vbi obligationem servilem intelligit, sicuti multi subditi solvunt equidem tributa magistratui, sed vel maximè inviti, cum murmure & indignatione: hoc verè Christiani non faciunt, sed sciunt, se debere hoc magistratui ex ordinatione Dei; ideò ex amore faciunt, hoc est, promtè hilariq; animo: idq; veræ obedientiæ & spontaneæ*

Ecclesiasticæ personæ non sunt omnino liberæ à tributo, si propria possident bona.

Pererius præter meritum carpit Lutherum.

Quomodo Christianus nihil agat ex obligatione.

neæ subjectionis est indicium. Viderint autem Esauitæ, quã reverentiam suo exhibeant magistratui politico, dum non ex debito, sed in gratiam saltem suorum principum faciunt, quod jubentur: quemadmodum Gretserus, in colloq. Ratisbonensi judicem suum nominare jussus à Principe suo; id facimus, inquit, non ex debito, sed in gratiam Serenissimorum Principum. Mandato ergo principis sui noluit obligatus esse Gretserus, sed principi saltem gratificabatur. O hypocritæ! vide colloq. edit. Lav. pag. 35.

Aphorismi Theologici ex hac parte Capitis.

1. *AB obedientia magistratui Politico debita, nemo hominum est exemtus: omnis enim anima magistratui subjicitur. Qui ergo superiorem non agnoscunt, multò minus obedientiam alicui præstant, illi hoc ipso produnt, se esse homines absq; anima, hoc est, sine ratione, sine sensu communi, qui brutorum instar cæco feruntur impetu pro lubitu. Et cùm magistratus omnis a Deo sit, contemnunt non homines, sed Deum ipsum, cujus ordinatio est magistratus. Valeat ergo hic illud, quod ad Samuelem de populo Israelitico dixit Dominus: Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos 1. Sam. 8.*

2. *Obedientia subditorum non sit ficta aut fucatâ, non etiam coacta, sed ex animi sententiâ profecta, voluntaria & spontanea; iccircò* Animæ *subjectio in specie requiritur. Quemadmodum itaq; D. Paulus servis injungit, ne sit ipsorum servitus* ὀφθαλμοδουλία *&* ἀνθρωπαρέσκεια, *sed ex*

ſimplicitate cordis & vero timore Dei profecta Col. 3, 22: ita magiſtratui obtemperandum eſt ex ſimplicitate animi, tanquam Domino, qui introſpicit corda hominum, & cui voluntarium obſequium placet in omnibus.

3. *Quia anima etiam ſubjecta debet eſſe magiſtratui, ſequitur, Magiſtratum etiam earum rerum curam habere oportere, quæ ad animam pertinent, utpote Religionis, qua ſalus animæ promovetur. Idcircò infrà dicitur, quòd Magiſtratus Dei miniſter ſit nobis in bonum, hoc eſt, ut procuret bonum noſtrum civile & ſpirituale, & reddat nos quam optimos & feliciſſimos. Includit autem cura religionis magiſtratui commiſſa 1. ne patiatur confuſionem religionum, multò minus blaſphemias, ſacrilegia, idololatriam &c. ſed Eccleſiæ proſpiciat de idoneis doctoribꝰ 2. doctoribꝰ de neceſſaria ſuſtentatione. 3. videat, ne falſæ immiſceantur doctrinæ; quam ob cauſſam olim judicibus Iſraelis, cura legis Domini commendabatur Deut. 17. Ioſ. 1. 4. regat mores docentium & auditorum, ut reſpondeant doctrinæ. 5. deniq; curam habeat bonorum Eccleſiaſticorum. Ita optimè proſpicietur ſubditis in iis, quæ ad animam pertinent, exemplo piorum regum, Davidis, Salomonis, Aſæ, Joſaphati, Ioſiæ, Hiskiæ &c. & hoc eſt nutritium agere Eccleſiæ Eſ. 49. hoc eſt oſculari filium Pſal. 2, &c.*

4. *Imperium magiſtratus in ſubditos durat, donec anima eſt in homine, hoc eſt, uſq; ad mortem: in mortuos ergo nullum amplius jus habet, ſecundùm illud Chriſti Luc. 12, 4. nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent, quod faciant amplius. Barbarum itaq; eſt, cadavera defunctorum effodere & cremare.*

5. *Magiſtratus à Deo eſt, non per accidens, ſicut mors & morbi à Deo ſunt, ut pœna peccati; neq; etiã ex permiſſione*

quaſi

quasi permiserit saltem potentiores in multitudinem cæteram exercere imperium: sed ex ordinatione singulari. Ideò dicit Apostolus non simpliciter, potestates à Deo sunt, *sed* ordinatæ sunt, *ostendens, singulari Dei providentia ita constitutum esse, ut superiores præsint inferioribus. Unde colligimus, magistratum ordinem esse divinitus institutum, utilem, justum ac honestum; quæ omnia de iis, quæ ex accidente vel ex permissione fiunt, dici non possunt.*

6. *Magistratus divinitùs ornatur autoritate, in defensionem bonorum, coercionem autem malorum. Ideò Iosuæ dixit Dominus: Nemo poterit resistere tibi, ego tecum ero, non derelinquam te, Jos. 1, 5. Verè enim admirandum est quòd uni homini tot alij parent, interdum etiam inviti, cùm ad tollendum illum unus etiam sufficiat aut saltem alter: admirandum etiam est, quòd unus tot hominum ingenia, tanta diversitate invicem discrepantia regere, & sub unum idemq́ue jugum cogere potest. Arguunt isthæc omnia aliquid divini in hoc officio. Deus enim est in medio Deorum Psal. 82. qui & consilia illorum dirigit, successum largitur, & contra vim injustam defendit, quos ipse in istam sublimitatem evexit.*

7. *Magistratus est minister Dei; non sicut Ecclesiæ doctor, qui minister Dei est docendo, consolando, terrendo pro re nata: sed minister gubernationis, iræ, ultionis ac defensionis. Per magistratum enim Deus gubernat Rempublicam, sancit leges ac jura, punit rebelles ac contumaces, tuetur deniq́ue innocentes ac probos. Quod ut magistratui autoritatem conciliat apud subditos, ita vicißim modestos ipsos & ab omni injustitiæ specie alienos reddere debet: nam Altißimus interrogabit opera ipsorum, & cogitationes scrutabitur &c. Sap. 6.*

8. Glad

8. Gladius, quem Deus magistratui concessit, est gladius vindictæ, quæ exercetur in defensionem bonorum & pœnam malorum, vel in judicio, vel in bello. Vbi cùm legitimè usurpatur, non ad eum, qui gerit, sed ad Deum, qui gerendum dedit, respiciendum est. Et si enim Deus omnia gubernat ac defendit, tamen non nisi ministerio hominum id facit, quemadmodum homines docet, solatur, peccata remittit, sed per ministerium doctorum Ecclesiasticorum. Semper enim Deus ordinario modo, mediatè agit cum hominibus, propter imbecillitatem nostram, qui faciem Dei tolerare non possumus.

9. Bella gerere licet magistratui Christiano: accepit enim gladium à Deo in defensionem suorum, inprimis autem Ecclesiæ, & in vindictam malorum, quos Deus interdum bello punit, ut patet ex Levit 26, 17. Ierem 47, 6. Hinc est illud Augustini in lib. quæst. Iusta bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas plectenda est, quæ vel judicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est. Et in lib. de verb. Domini. Apud veros Dei cultòres etiam bella parata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, mali coercentur & boni sublevantur. Quæ autem sint caussæ justi belli, & quomodo gerendum, videatur Dn. Chemnitius part. 2. loc comm. loco de vindicta pag. 131. seqq.

10. Leges civiles obligant conscientiam, hoc est, vulneratur conscientia ejus, qui eas transgreditur, quia resistit ordinationi divinæ, & detrectavit imperium ejus, cui divinitùs subjectus est. Idcircò non tantùm propter evitandam pœnam obedire jubemur, sed & ut conscientiam salvam & illibatam retineamus.

11. Leges civiles, quibus parere jubemur, tales sint oportet,

tet, quæ conscientiam nostram non lædant, hoc est, non sint contra DEVM, non sint contra caritatem proximi, non sint contra publicam honestatem: contra hæc enim omnia nemo bona cum conscientia agere potest. Sed ibi valeat illud Act. 5. Oportet Deo plùs obedire, quàm hominibus.

12. *Obedientia magistratui debita extrinsecus declaratur pensione tributi & honoris: quorum officiorum præstatio ad justitiam pertinet, negatio ad injustitiam. Debetur enim tributum & honor magistratui pro laboribus ac vigiliis illis, quas in bonum publicum impendunt. Ideò non saltem* dare, *sed* reddere *jubemur tributum ac honorem, tanquam exiguam quandam gratiam & compensationem pro magno beneficio.* μεγάλων γὰρ εὐεργεσιῶν προϋπαρχουσῶν τὸ ἰσότιμον δυσέφικτον, *inquit Pertinax Imperator apud Herodianum lib. 2. magnis acceptis beneficiis paria referre inprimis est arduum.*

PARS ALTERA
TEXTVS.

Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾷν ἀλλήλους· ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, νόμον πεπλήρωκε.

Τὸ γὰρ, οὐ μοιχεύσεις, οὐ φονεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις, οὐκ ἐπιθυμήσεις, καὶ εἴτις ἑτέρα ἐντολὴ, ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, ἐν τῷ, Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν.

Ἡ ἀγάπη τῷ πλησίον κακὸν οὐκ

8. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit.
9. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.
10. Dilectio proximi malum non

opera-

ἐργάζεται· πλήρωμα οὖν νόμου, ἡ ἀγάπη.

Καὶ τοῦτο εἰδότες τὸν καιρὸν, ὅτι ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι· νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν.

Η νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν· ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους, καὶ ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ φωτός.

Ως ἐν ἡμέρᾳ, εὐσχημόνως περιπατήσωμεν· μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις, μὴ ἔριδι καὶ ζήλῳ.

Αλλ' ἐνδύσασθε τὸν κύριον Ἰησοῦν χριστὸν, καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας.

operatur: Plenitudo ergo legis, est dilectio.

11. Et hoc scientes tempus, quia hora est, jam nos de somno surgere: nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus.

12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis.

13. Sicut in die, honestè ambulemus: non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione.

14. Sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Altera exhortationis pars concernit caritatem, quā quisque proximo & sibypsi debet. Et dependet hac exhortatio à priore. Si enim unicuiq; reddendum est debitum, utiq; caritas etiam exigitur à nobis tanquam debitum. Cùm autem caritate indigeamus vel respectu nostri, vel respectu proximi: incipit à proximo, generali hoc Aphorismo v. 8. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. *Distinguit his verbis caritatem, tanquam debitum naturale & commune, à debito civili & singulari, quod in ære alieno*

consi

consistit. Hoc exsolvi potest, illud non item, sed manet debitum: nunquam enim caritas ad suam perfectionem in hac vita perveniet, semper aliquid solvendum restabit. Ideò hortatur nos, ut ejusmodi debitores maneamus. Rationem addit: quia qui proximum diligit, legem implevit; *legem nimirum secundæ tabulæ, cujus summa est, diliges proximum sicut teipsum: idq; per inductionem præceptorum ostendit, sexti, septimi, octavi, noni; quæ qui observat, is proximum non lædit, sed ad promovenda ipsius commoda omne suum studium confert, idq; est diligere proximum. Et hæc dilectio vocatur* plenitudo seu expletio legis, *v.* 10. *Nam summa præcepti consistit in caritate ex corde puro & fide non ficta, & conscientia bona. 1. Tim. 1. Verissimum itaq; est, legem ab eo impletam esse plenè ac perfectè, qui proximum dilexerit sicut seipsum, nihil operans mali, non lædens sed juvans proximum in omnibus. Sed quia hoc in imbecillitate hujus vitæ non est possibile, ideò intelligenda hic est perfectio Evangelica, qua homo fidelis incoata etiam sua caritate, quæ ex corde puro & bona conscientia fideq; non ficta proficiscitur, Deo placet, à quo cætera, quæ imbecillitati nostræ desunt, ex gratia teguntur, & propter filium non imputantur, juxta illud Augustini: Omnia mandata Dei tunc facta putantur, quando quicquid non fit, ignoscitur. Hæc habuit Apostolus de caritate respectu proximi.*

Summa secundæ tabulæ.

Dilectio est plenitudo legis.

Iam respectu sui ipsius Christianum hortatur, ne sibijpsi ægrè faciat, quod fit vel vitando scelera, quæ conscientiam lædunt. vel curando corpus, prout oportet. De priore talem instituit exhortationem v. 11. Surgite de somno, *Per* somnũ *intelligit desideria carnis, quæ spirituum agilitatem in bono*

impediunt, & quibus homo sibi ipsi nocet, etiamsi carni delitias facere videatur. *Ab isto somno* surgere *nos jubet*, *hoc est, vult ut nos ipsos excitemus ad opera Deo grata, nobisq; ipsis salutaria. Argumentum exhortationis petit* 1. *ab opportunitate temporis*; scientes tempus, *inquit*, quia hora est jam nos de somno surgere. *Per καιρὸν & ὥραν intelligit non quodvis tempus, sed tempus oportunum, tempus nimirum conversionis suæ, quod ipsos meritò admonere debet, ut dignè vivant. Evangelio, ad quod per Dei misericordiam vocati erant. Satis enim erat, quòd antehac viam gentium ambularunt in vanitate sensus sui: nunc autem conversi ad pastorem animarum suarum, vitam melius instituere debent. Argumentum secundum petit à metu periculi.* Scientes, *inquit, provocat ad communem notitiam, quòd in eo rerum statu jam versentur, quem non ampliùs Ethnica improbitas, sed Christiana pietas deceat. Caveant ergo sibi, ne scientes pœnas incurrant: servus enim, qui voluntatem Domini sui scit, nec facit eam, vapulabit multis Luc. 12. Argumentum 3. à dignitate temporis generalis Novi Testamenti.* Nunc enim propior est salus, quàm cùm credidimus. *Per salutem intelligit salvatorem mundi: hunc olim in Veteri Testamento* creditum *fuisse dicit, hoc est, cum desiderio expectatum, tanquam adhuc venturum: jam verò in N. Testamento habemus ipsum exhibitum: proinde æquum est, majori sanctimonia vitam nostram excolere, ut qui quasi in conspectu Salvatoris vivimus, quem inter nos habemus, cùm patres olim ipsum non nisi à longè intuiti fuerint.*

(Alij exponunt ita: quàm cùm credidimus, hoc est, cùm credere cœpimus; quasi conferat Paulus initia cum incrementis fidei, & exhortetur ad continuationem curriculi in stadio pietatis.)

Notandum igitur est, hoc loco τὸ πιςεύειν opponi τῷ ἔχειν. Veteres credebant Salvatorem mundi venturum in carnem; nos jam habemus eundem in carne jam exhibitum. Argumentum 4. ab honesto. Requirit hoc conditio nostra. Sumus enim filij lucis & diei, *quicunque ad agnitionem Christi tempore Novi Testamenti pervenimus: cæteri ante nos quasi sub obscura quadam nocte vivebant. Habebant enim non nisi umbram futurorum, & Christum in involucris sacrificiorum & typorum præsentem: nobis autem ortus est oriens ille ex alto, ita ut jam nobis omnia de Christo longè faciliora & lucidiora sint, quàm ijs, qui in Veteri Testamento vivebant. Proinde abijciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis.* Opera tenebrarum *vocat peccata contra conscientiam, quia plerumque in tenebris perpetrantur, juxta illud: qui male agit, odit lucem Ioh. 3, 20. & ex tenebris erroris & ignorantiæ oriuntur; tenebras etiam spirituales in animos hominum inducunt, & tandem facientes ea in æternas tenebras præcipitant. Hujusmodi operum recenset ordine quatuor. 1. Primum est* commessatio, *quando homines fruges consumere nati, ventri duntaxat & gulæ sacrificant. 2.* ebrietas, *quæ commessationis comes est, commune illud vitium, quod omnem ἀσωτίαν gignit. 3.* impudicitia & scortatio, *quæ in cubilibus plerumque exercetur: hoc enim non faciunt veri Christiani, sed Ethnici, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitijs Eph. 4, 19. 4.* contentio & æmulatio, *quæ preces impedit, Spiritum pacis contristat; omnem caritatem proximi extinguit, imò & ijs ipsis, qui huic vitio sunt dediti, tandem vitam abbreviat Gal. 5.* Arma lucis *vocat opera pietatis, quia originem habent à Christo, qui est vera illa lux, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, in luce publica etiam versantur,*

Opera tenebrarum.

Arma lucis.

judicia hominum non reformidant, & fidem nostram coram mundo lucidam conspicuamq; faciunt. Arma *vocat, quia defendunt hominem contra insultus Satanæ, qui quando hominem in bono occupatum invenit, re infecta discedere cogitur. Hæc arma* induere *jubet, quia vita nostra est militia, in qua nos semper in procinctu esse oportet adversus* Satanæ *insidias, quemadmodum pugna Christianorum describitur Eph.6. Gal.5. Quod autem modò dixit, arma lucis induere, id jam per ἐπεξήγησιν vocat* induere Christum Jesum *v. 13. Hunc quidem jam in baptismo induimus, cùm in nomen ejus ablueremur Galat. 3. per studia autem pietatis testatum facimus, eum à nobis indutum esse, testantur enim opera de fide. Neq; quidquam prodest nobis Christus in Baptismo indutus, nisi subsequatur sanctificatio vitæ: illud enim etiam malis contingit. Et hoc primum erat exhortationis membrum respectu sui ipsius. Alterum unico duntaxat verbo attingit:* carnis curam, *inquit,* ne feceritis in desiderijs. *Non prohibet omnem carnis curam, sed eam saltem, quæ fit in desiderijs, hoc est, excessum vitari vult, ne pravi adfectus naturæ nostræ adhærentes nobis irritamenta fiant ad lasciviam, qua extinguitur omnis fervor pietatis, omne studium honestatis. Conceditur ergo moderata corporis & valetudinis cura, per usum licitorum conviviorum, medicamentorum, vestimentorum etiam, cujusq; statum atq; ordinem decentium. In his omnibus quisq; sibi ipsi benefacere potest, imò debet: nemo enim proprium corpus odio habuit Eph.5. neq; vult Deus, ut maceratione corporis, detractione necessarij cibi & potus, nostri ipsius simus carnifices: neq; etiam sordes vestium Deo placent, in quibus aliqui peculiarem quærunt sanctimoniam: sed quæ unumquemq; in suo*

suo vitæ genere decent in victu atq; habitu, de ijs meritò sollicitus est, qui se ipsum non odit, modò id fiat absq; luxu & lasciva.

Paraphrasis hujus partis.

ET ne in quenquam reperiamini injurij, date non saltem magistratui, sed & æqualibus vestris, quod suum est. Ijs autem nil nisi officia caritatis Christianæ debetis; quod debitum nunquam exsolvetis, quàm diu vixeritis. Et dùm in solutione hujus debiti laboratis, eo ipso legem de diligendo proximo implebitis, siquidem Pater æternus etiam incoatam vestram dilectionem acceptabit ut perfectam, licèt in hac imbecillitate vitæ humanæ multi adhæreant nævi. Et quid ad diligendum proximum plus facere potestis, quàm si neq; matrimonium, neque corpus, neq; bona, neq; famam proximi, verbis, factis aut cogitationibus læseritis, sed potius in ijs omnibus ipsi re atq; opera suppetias ferre studueritis, hoc verè est diligere proximũ. A proximo cùm discesseritis, vestri quoq; rationem habete, ne vobis ipsis malum accersatis. Proinde antè omnia soporē excutite, & mortuis operibus hujus seculi valedicite: siquidem ignari esse non potestis tempus, in quo vivitis, hoc ipsum à vobis exigere. Eratis quondam alieni à conversatione sanctorũ, nunc autem adducti ad communionem fidelium: eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vivebatis olim in ignorantijs veræ salutis, & licèt majores vestri aliquid ea de re inaudierint, attamen non aliter ac per nebulam hoc ad ipsos pervenit: nunc autem omnia per DEI gratiam sole meridiano clariora sunt in mysterijs omnibus,

quæ

quæ ad ſalutem veſtram pertinent: proinde cogitate ipſimet: hoc certè tempus aliam vitam, alios mores poſtulat. Deponite ergò opera carnalia, quæ lucem fugiunt, & perpetrantes ea in tenebras exteriores præcipitant: operam date operibus pijs & honeſtis, quæ lucem amant, ac Chriſtum ſuo ſpiritu in vobis habitare declarant. Procul abſint à vobis ingurgitationes, ſcortationes, lites & contentiones; temperanter, piè & juſtè vivite in hoc præſente ſeculo, ut Chriſtus, quem in Baptiſmo induiſtis, in vobis vivus appareat. Neq; tamen, dum hæc moneo, omnē corporis curam interdico, ſed & hoc officij veſtri eſt, ut, quia caritas à ſe ipſo incipit, ante omnia valetudinis veſtræ & externæ honeſtatis rationem habeatis. Deus enim eſt autor munditiei, eſt & autor lætitiæ: poteſt itaq; & corporis mundam & moderatam recreationem ferre, modò abſit protervia, luxuries & ſpurcities, quæ omnem honeſtatis cultum, omnemq; Numinis divini reverentiam excutere ſolet.

Quæſtiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Videtur Apoſtolus docere hoc loco, impletionem legis homini in hac vita eſſe poßibilem: ita enim hinc argumentantur Pontificij.

Qui diligunt proximum, legem implent verſ. 8.
Omnes veri Chriſtiani diligunt proximum. Omnes

enim

enim Christiani diligunt Deum. Qui verò dixerit, se diligere Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. 1. Ioh. 4, 20.

Ergo omnes veri Christiani implent legem: ac proinde impletio Legis non est impossibilis homini verè Christiano.

Resp. Distinguendum est inter impletionem legalem & Evangelicam. Si aphorismum Paulinum intelligis de impletione Legali, hoc est, perfecta & omnibus numeris absoluta, non nisi cum conditione accipienda est: qui nimirum ita diligunt proximum, sicuti lex requirit, non saltem verbis & operibus, sed & omni cordis affectu, hi demum legem impleverunt: hoc verò qui fecerit, nemo uspiam monstrabitur: ergo hoc sensu minor falsa erit. Si verò intelligas de impletione Evangelicâ, qua proximus diligitur quidem secundùm omnia præcepta, non autem secundùm eam ἀκρίβειαν, quam lex requirit, & tamen Deus incoata illa dilectione contentus est, quia à persona fideli proficiscitur: tunc quidem minor vera est, sed hoc sensu est fallacia plurium interrogationum in argumento: non enim agitur de incoata illa proximi dilectione, cùm de impletione legis quæritur, sed de absolutissima illa, in qua homo sibi ipsi norma dilectionis proponitur, juxta illud: Diliges proximum sicut teipsum.

QUÆSTIO II.

Apostolus dicit v. 9. In hoc præcepto: Diliges proximum tuum, sicut teipsum; totam legem includi, seu juxta græcum textum ἀνακεφαλαιοῦσθαι recapitulari. Idē repetit Gal. 5,

14. lex tota uno verbo completur, diliges proximum, sicut teipsum. Aliter vero docere videtur Christus Matth. 22, 40. In his duobus mandatis, Diligas Deum ex toto corde, & diligas proximum, sicut teipsum, universa lex pendet & Prophetæ?

Resp. Non dissentiunt Christus & Apostolus ejus, Christus respicit ad utramq; tabulam decalogi distinctè: Apostolus ad nexum utriusq; tabulæ conjunctè. Verissimum enim est, quod scribit Apostolus Iohannes, neminem Deum diligere posse, qui non diligat & proximum. Qui ergo proximum diligit, ut seipsum, is directè secundam implevit tabulam, indirectè etiam primam; nam qui fratrem suum diligit, Deum odisse non potest. Et sic dilectio proximi perfecta, omnino totius legis impletio est. In quam sententiam scribit D. Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 7. Cùm duo sint præcepta, in quibus pendet lex & Prophetæ, dilectio Dei & proximi, non immeritò scriptura plerumq; pro utroq; unum ponit: sive dilectionem Dei, sicut est illud: scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; sive dilectionem proximi, sicut est illud: Omnis lex in uno sermone impletur, diliges proximum sicut te ipsum. Sed hoc ideo, quia qui proximum diligit, consequens est, ut Deum diligat: ex una eademq; caritate Deum proximumq; diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum. Et ut D. Iohannes scribit 1. Joh. 5. in hoc cognoscimus, quod diligimus fratres, cum Deum diligimus, & præcepta ejus servamus.

Quo

QUÆSTIO III.

Refertur hic æmulatio, ζῆλος, inter opera tenebrarum v. 13. alibi verò commendatur Christianis, ut singularis virtus, ut 1. Cor. 12, 31. æmulamini dona meliora; & 1. Cor. 14, 1. æmulamini dona spiritualia: sic 2. Cor. 9, 2. commendatur æmulatio Corinthiorum &c.

Resp. Duplex est æmulatio: Vna bona & laudabilis: altera mala & in vitio posita. Aemulatio bona nihil aliud est quàm honestum illud studium, quo accendimur alterius virtute ad imitationem, aut si fieri potest, ad superationem etiam. Et talis erat æmulatio Corinthiorum, qui beneficiis erga indignos certabant, & alios plures ad similem beneficentiā provocabant 1. Cor. 9. ita jubemur æmulari sanctos in donis spiritualibus, & ita unumquemq; nostrum decet, proponere sibi Virum Bonum, cujus virtutes pro virili imitetur; & hæc sancta ac laudabilis erit æmulatio. Aemulatio verò mala nihil aliud est, quàm invidia, seu dolor in alterius rectè factis, & hinc subsecuta felicitate aut prospero rerum successu, & talis æmulatio ab Apostolo passim prohibetur. Differunt hæ duæ æmulationes, Aemulatio bona & laudabilis est absq; odio ejus, quē imitamur: mala autem cū odio & invidia conjuncta: illa laudat & studet imitari rectè facta, hæc reprehēdit etiā optimè facta, tantùm ab est, ut imitari cupiat; illa quærit honorem ejus, quem imitatur; hæc non nisi propriū ac privatū commodū, proximi verò commodis invidet: illi deniq; nihil magis adversatur quàm φιλαυτία; qui enim alios imitari studet, seipsum non nimis miratur, sed imbecillitatē suam agnoscit: huic

Aemulatio duplex.

nihil magis adversatur, quam caritas proximi: quomodo e- nim is proximum diligere potest, in quo virtutes & recte fa- cta odit? Sed hæc hactenus.

(Græci vocabulis distinguunt: ζηλόω idem est quod μιμοῦμαι imitor; ζηλέω idem quod φθονέω, invideo. In Hebræo una vox est קָנָה *æmulatus est: verbũ tertiæ coniugationis, à radice* קָנָה *possideo. Qua etymologia significatur, zelum vel æmulationem hominem sibi non reliquere, sed extra se rapere ad opera alia, vel bona, ut in zelo bono, vel mala, ut in zelo vitioso.)*

Aphorismi Theologici ex hac parte Capitis.

1. Opera Renatorum non sunt arbitraria, sed debita & necessaria: Etsi enim libero fiunt spiritu, non coactè aut invitè, sed sponte & volenter: non tamen fiunt juxta arbitratum hominis, sed juxta obligationem Dei. Idcircò dicuntur necessaria, non necessitate coactionis, sed necessitate debiti & obligationis: & ita loquitur hic Apostolus, ubi caritatem proximi vocat debitum nostrum. Similes locutiones extant Luc. 17, 10. 1. Iob. 4, 11. Matth. 18, 33. 23, 23. Et hæc est Christianorum necessaria voluntas, & voluntaria necessitas.

2. Dilectio proximi est debitum indissolubile. Quantum enim de eo solvitur, tantum accrescit: idcirco ij proximum non verè diligunt, qui diligere desinunt. Nam ut Ambrosij verbis utar, nullum tempus est, in quo non sit caritas impendenda, nec cùm redditur, amittitur, sed potiùs reddendo multiplicatur, & quantò plus redditur, tantò magis augetur: quæ reddi non potest, nisi habeatur, nec haberi, nisi reddatur;

3. Summa

3. *Summa præceptorum omnium secundæ tabulæ consistit in dilectione proximi. Ea enim est, quæ hominem quàm proximè Deo adjungit, imò verè Christianos ab hypocritis discernit, teste Iohanne epist. 1. cap. 4. Dilectio sola (inquit Augustinus tract. 5. in epist. Iohan.) discernit inter filios Dei & filios Diaboli: signent se omnes signo crucis, respondeant omnes Amen, cantent omnes Alleluja, baptisentur omnes, intrent Ecclesias, impleant parietes Basilicarum: non discernuntur filii Dei à filiis Diaboli, nisi caritate.*

4. *Opera bona hominis Christiani non sunt meritoria: sunt enim debita. Constat autem solutione debiti nos nihil posse mereri, quod contra Pharisaicum fastum Pontificiorum notandum est: atq; sic Salvator discipulos suos instruxit Luc. 17, 10. Si feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus.*

5. *Dilectio proximi non operatur malum, inquit Apostolus v. 10. Hinc sequitur, eum procul esse à caritate, qui proximo invidet, maledicit, insidiatur bonis, vitæ aut famæ ejus: vicissim ubi dilectio proximi est, ibi cæteræ virtutes omnes sunt, quæcunq; verbis aut factis præstari queunt. Quam ob caussam caritas vocatur vinculum perfectionis Col. 3. 14. quia per caritatem cæteræ virtutes coalescunt & consolidantur.*

6. *Monitor omnium optimus ad pœnitentiam est Tempus, in quo vivimus. Illud enim malorum multorum ferax est, & iræ appropinquantis index: idcircò jubet Apostolus cautè ambulare, tanquam sapientes, & redimere tempus, quoniam dies mali sunt Eph. 5, 15. Non ergo decet Christianos in diem vivere, sed unaquæq; dies, sicuti plerumq; mali nuncia est, ita præco simul sit conversionis nostræ ad Deum; ne occinatur nobis illud Ierem. 8, 7. milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt*

tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit judicium Domini.

7. *Peccata inprimis mortalia comparantur somno. 1. quia sunt imago animæ spiritualiter mortuæ; sicut somnus imago mortis est. 2. convertunt hominem quasi in stuporem, ut non sentiat periculum, quod est præ foribus, quemadmodum somnus hominem ferè sensibus exterioribus exuit. & 3. deniq. faciunt hominem ferè brutescere, quemadmodum homo dormiens, quoad externa, à brutis parum differt. Singula hæc comparationis membra suppeditant argumenta dehortantia à peccato.*

8. *Illustre discrimen Veteris & Novi Testamenti hic notandum est 1. respectu hominum. In veteri salus procul erat à gentilibus, quorum pauci & non nisi extra ordinem ad populum Dei aggrebantur, hodiè verò in Novo Testamento ex postremis facti sunt primi; jam enim salus nobis facta est propior, postquam per Christum diruta est maceries inter Judæos & gentes. 2. respectu rerum. In veteri erat quasi nox, hoc est, umbra duntaxat rerum futurarum: in Novo res ipsæ, Christus nimirum, non modò quoad beneficia, sed & quoad substantiam corporis sui, quo carebant veteres. 3. respectu modi revelationis. In veteri omnia obscuriùs proponebantur de Christo, sub involucris typorum atq. sacrificiorum: in Novo autem omnia sunt clariora, cessantibus typis ac umbris. Unde apparet, quàm longè major sit felicitas nostra quàm patrum; ex quo loco Apostolus argumentum exhortationis deducit ad opera pietatis, ne tantam Dei gratiam frustra accepisse, aut adventu salvatoris nostri indigni videamur.*

9. *Lux & tenebræ sunt quasi Lydius lapis operum humanorum. Nam quemadmodum Christus ait Ioh. 3, 20. qui malè agit*

agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt. Apparet id in omnibus operibus carnis: qui ebrii sunt, noctu ebrii sunt, ait Paulus 1. Thessal. 5, 7. hoc est, noctu & in tenebris potissimum opera illa exercent, quæ ebrietatem comitari solent: scortatores quærunt diverticula, latrones quærunt tenebras & loca à publico strepitu remota. Viderint igitur, cujus spiritus filii sint, qui lucem fugiunt & hominum consortium, quo ipso actiones suas suspectas reddunt.

10. *Honestis actionibus Satanæ tentationes impedire possumus; ideo opera piorum vocantur Arma. Quemadmodum enim multa mala docuit otiositas Sir. cap. 33, 29. ita vicissim labor improbus omnia vincit, ipsum etiam Diabolum, qui loca quærit arida & scopis purgata, hoc est, animum hominis otiosum, ex quo sibi facit officinam exoptatam Luc. 11. Proinde res age, tutus eris; & ut Hieronymus hoc de suo mihi largiatur: Aliquid operis facito, ut te Diabolus inveniat occupatum: non enim facile capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio.*

11. *Cura corporis, quæ consistit in moderato cibo & potu, etiam ad voluptatem sumto, ut & in honesto vestitu, juxta cujusque conditionem, non est prohibita: sed Apostolus hic eam præcipit, & alibi Timotheo suo injungit, utatur modico vino propter stomachum & frequentes infirmitates 1. Tim. 5, 23. vestitum etiam decentem requirit à mulieribus 1. Tim. 2, 9. Proinde magna est hypocrisis monachorum, qui & data opera sordidi sunt, & item certis ciborum generibus abstinent, istaque sua sordicie & abstinentia bene de Deo mereri cupiunt: sed hypocritæ sunt, quorum sanctimonia Deo non placet: vult enim Deus honorem haberi corpori, nemoque est qui propriam suam carnem odio habet Eph. 5.*

12. In curando corpore vitetur Luxuries, ne delitiæ carnis impediant voluptates animæ, quas habet in Deo & studijs honestis. Ita igitur indulgendum est corpori, ut possit sufficere operibus animæ, quæ corporis beneficio expediuntur: non enim anima homini propter corpus, sed corpus propter animam datum est. Luxuries autem est, quæ corpus & animam simul perdit, in quam sententiam Beda eam pulcrè descripsit: Luxuries est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, pernitiosa potio, quæ humanum corpus debilitat, & virilis animi robur enervat &c.

CAPUT XIV.

Argumentum & Partitio Capitis.

IN tractatu de officijs Christianorum progreditur jam Apostolus ad ea, quæ debemus infirmis, quorum magnus ubique est numerus, quibus prospiciendum est, ne importunitate nostra offensi naufragium religionis faciant. Occasionem hujus tractationis præbuit Apostolo diversitas hominum, qui Romæ ad fidem Christianam erant conversi. Quidam enim erant Judæi, qui ceremonias Mosaicas, quibus à pueris erant assueti, nondum deponere poterant, quales erant inter cætera, discrimina ciborum, quorum in specie hic fit mentio. Quidam autem erant gentiles, quibus de ceremonijs illis nihil hactenus constiterat; idcircò promiscuum ciborum usum retinebant, & quidem pro libertate Christiana rectè. sed quia una pars alteram & contemnebat & offendebat, interdum etiam damnabat: Apostolus in hoc capite de recto usu libertatis Christianæ Romanos fideliter instituit, ut & contemtui mutuo & scan-

ſcandalo publico maturè occurratur. Etſi verò caput hoc uno contextu cohæret; tamen docendi gratiâ in duas partes dividi poteſt.

In prima parte *agit partim cum ÿs, qui quidem uſum libertatis Chriſtianæ rectè intelligebant, ſed non intelligentes contemnebant; partim cum ÿs, qui cùm Chriſtianam libertatem non rectè intelligerent, alios intelligentes, ac proinde adiaphoris rectè utentes, judicabant atq́ condemnabant. Vtrumq́ tanquam caritatis Chriſtianæ maximum impedimentum priùs removet uſq́ ad v. 13.*

Deinde *cùm non ſaltem ex illo ſupercilioſo contemtu & temerario judicio, verùm etiam ex incauto rerum etiam indifferentium uſu, orirentur ſcandala; diligenter hortatur, ut quiſq́ ita vivat, ne det offendiculum infirmioribus.*

PRIMA PARS
TEXTUS.

Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει, προσλαμβάνεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν.

Ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει.

Ὁ ἐσθίων τὸν μὴ ἐσθίοντα μὴ ἐξουθενείτω· καὶ ὁ μὴ ἐσθίων, τὸν ἐσθίοντα μὴ κρινέτω· ὁ θεὸς γὰρ αὐτὸν προσελάβετο.

Σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει. σταθήσεται δὲ. δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ θεὸς στῆσαι αὐτόν.

1. Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum.

2. Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducat.

3. Is qui manducat, non manducantem nõ ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet. Deus enim illum aſſumſit.

4. Tu, quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit; ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

Ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ᾽ ἡμέραν, ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν ἡμέραν. ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω.

Ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν, κυρίῳ φρονεῖ· καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, κυρίῳ οὐ φρονεῖ. ὁ ἐσθίων, κυρίῳ ἐσθίει· εὐχαριστεῖ γὰρ τῷ θεῷ. καὶ ὁ μὴ ἐσθίων, κυρίῳ οὐκ ἐσθίει, καὶ εὐχαριστεῖ τῷ θεῷ.

Οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ, καὶ οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει.

Ἐάν τε γὰρ ζῶμεν, τῷ κυρίῳ ζῶμεν· ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τῷ κυρίῳ ἀποθνήσκομεν· ἐάν τε οὖν ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τοῦ κυρίου ἐσμέν.

Εἰς τοῦτο γὰρ Χριστὸς, καὶ ἀπέθανε καὶ ἀνέστη καὶ ἀνέζησεν, ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ.

Σὺ δὲ τί κρίνεις τὸν ἀδελφόν σου; πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ.

Γέγραπται γὰρ, ζῶ ἐγὼ, λέγει κύριος· ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ θεῷ.

Ἄρα οὖν ἕκαστος ἡμῶν περὶ ἑαυτοῦ λόγον δώσει τῷ θεῷ.

Μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν· ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον, τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον.

5. Nam alius judicat die inter diē; alius autem judicat omnem diem. Unusquisq; in suo sensu abundet.

6. Qui sapit diem, Domino sapit: & qui non sapit diem, Domino non sapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias n. agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

7. Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur:

8. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus.

9. In hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & viuorum dominetur.

10. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.

11. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus; quoniam mihi flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur *Deo*.

12. Itaq; unusquisq; nostrum pro se rationem reddet *Deo*.

13. Non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.

ANA-

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

I*Nitium facit à præcepto generali de assumendis infirmis.* Infirmum in fide adsumite, non in disceptationibus cogitationum. v. 1. *Tria hic explicanda sunt* 1. *quid intelligat per infirmum*, ἀσθενοῦντα. 2. *quid sit assumere*, προσλαμβάνειν. 3. *quid sint disceptationes cogitationum*, διακρίσεις διαλογισμῶν. *Primum quod attinet, Apostolus ipse limitationem addit; loquitur enim de infirmo in fide. Iam verò dupliciter infirmari aliquis potest circa fidem: vel ita, ut in ipsis articulis fidei Christianæ nondum rectè sit institutus, quales sunt, qui errorem directè contra fundamentum fidei fovent: vel ut in ipsa doctrina Christiana rectè quidem sit informatus, in circumstantijs autem quibusdam fidei seu in* πράξει *Christiana impingit, dum usum rerum quarundam indifferentium adhuc ignorat. De prioribus non agit Apostolus; illi enim non molli brachio tractandi, sed graviter arguendi sunt; & si corrigi nolunt, tandem post unam atq; alteram admonitionem fugiendi: sed de posterioribus infirmis, quales multi erant inter Iudæos Romæ habitantes, qui usum ceremoniarum Mosaicarum nondum deponere poterant, licèt ad Christianismum conversi. Hos jubet* προσλαμβάνεσθαι, *amicè suscipere, benevolè invitare, & venientes molliter tractare, meliùs instituere. Talis enim assumtio intelligenda est, quæ non fiat ab invitis, sed volentibus, & omnia humanitatis officia offerentibus. Et sic occurrit hâc voce austeritati nonnullorum, qui infirmos omnes ex Ecclesia ejectos cuperent, quos potiùs etiã sponte nõ aggregantes sese sacris nostris, amicè invitandos esse præcipit. Modũ adsumtionis adhuc meliùs declarat addita ἐπεξηγήσει, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Διάκρισις est judiciũ & sentẽtia discreta de cõceptibus mentis:* διαλογισμοὶ

Infirmus in fide quid?

 sunt

sunt ipsi discursus animi. Vult itaq; ut infirmos illos ita adsumant & instituant, ne tamen animi ipsorum anxijs & perplexis disputationibus de rebus liberis magis magisq; perturbentur, sed ut quàm simplicissimè cum ipsis conversentur. Et hæc erat thesis hujus capitis. Iam transit ad hypothesin, & exemplo ciborum generale præceptum declarat. Alius enim credit se manducare omnia, *inquit*; qui autem infirmus est, olus manducat v. 2.

(*Vitiosa versio latina, manducet: non enim præcipit, sed quid fiat, recitat Apostolus, ἐσθίει; non ἐσθιέτω.*)

Casum ponit his verbis, ex diversitate Christianorum Romæ degentium: quorum aliqui firmi esse possunt in usu ciborum, hoc est, rectè instructi, qui sciunt, Christianis licere vesci omnibus, eosq; interdicto ciborum Mosaico non amplius teneri, quales plerumq; erant ex gentilitate conversi: aliqui autem in hoc capite infirmiores, quales plerumq; erant Judæi, legibus & ritibus Mosaicis assueti, quos ægrè deponere poterant; hi abstinent à quibusdam cibis, & alijs edentibus carnes, ipsi edunt olera, aut alia legumina. Iam tali in casu quid facto opus sit, exponit, ne lædatur caritas Christiana. Is qui manducat, *inquit*, nō manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet; *hoc est, firmi caveant sibi à contemtu infirmorum, quasi cum dedecore errantium; infirmi autem caveant sibi à temerario judicio & condemnatione præpropera firmorum quasi contra legem faciant vescentes cibis in Lege prohibitis. Interdictum itaq; tale est: Nolite vos invicem judicare, sive firmi sive infirmi sitis in fide: ex quo judicio temerario & contemtus ex una parte, & condemnatio ex altera parte oritur. Rationes sui interdicti addit: 1. ab æquo:* Deus eum adsumsit;

utrumq;

utrumq; nimirum, tam manducantem, quàm abstinentem, tàm firmum quàm infirmum Deus vocavit ad gremium Ecclesiæ, neutrum contemsit ut indignum, neutrum etiã damnavit, ut à regno suo alienum. Æquum itaq; est, ut & vos invicem à tali contemtus vel damnationis judicio abstineatis. 2. ab indecoro. Tu quis es, *inquit*, qui alienum servum judicas? Domino suo stat aut cadit. *Inhonestum est, vult dicere, & Christianum non decet, judicium sibi sumere in alterius conscientiam: hoc Dei est proprium, qui utrumq; adsumsit, cui & uterq; servit, alter edendo omnes cibos, alter quibusdam abstinendo. Cùm ergo is in verbo suo neutrum horum condemnet, indecens sanè esset, vel stantem vel cadentem, hoc est, vel rectè vel secus agentem temerè judicare. 3. ab inutili. Nam licèt alter alterum judicet, despiciat aut contemnat, nihil inde lucri habiturus est: Deus enim eum, qui errare visus est, erigere potest à lapsu suo, & sic confundet sinistra de eo judicia.* Stabit autem, *inquit Apostolus*, potens enim Deus est statuere illum. *Hoc est, frustra tu laborabis temerarijs de eo judicijs, nisi Deus erigat infirmum, quod ipse pro sua omnipotentia facere potest, etiam te eo nomine nõn laborante; nihil enim juvabis ipsum, sive condemnes sive contemnas proximum. Non autem curam pro salute proximi, sed temerarium illud judicium, quod ex intempestiva sollicitudine oritur, interdicit. 4. iterum ab inutili. Vterq; horum facit in usu rerum adiaphorarum, quod conscientiæ suæ satisfaciat: quorsum igitur opus est sinistrum interponere judicium? Argumentum hoc latet in his verbis,* unusquisq; suo sensu abundet. *Juxta græcum textum ita sonat; quilibet in suo animo certus esto, hoc est, nihil faciat dubitante cõscientia in rebus hisce, libertati Christianæ subjectis. Proponit itaq; argumentum formâ præcepti, nimirum, unum*

quemq; in rebus adiaphoris ita versari debere, ut sive utatur iis, sive non utatur, in conscientia sua certus esse possit, se Deum non offendere; quod quidem firmus facere potest, dum scit, se abstinendo à ceremoniis olim usitatis, facere, quod Christianis est concessum: infirmus autem, dum scit, se utendo ceremoniis, facere, quod Deus olim praecepit, licèt adhuc ignoret, ceremonias illas esse jam abrogatas Christianis: in ea enim fide quotidie proficere potest. Valet autem argumentum sub ratione praecepti propositum, quia monendo excitamus alios ad faciendum ea, quae ab ipsis requiruntur. Hoc argumentum connectit cum alia facti specie: hactenus enim de adiaphoro ciborum usu egerat, jam de dierum discrimine loquitur. Alius, *inquit,* judicat diem inter diem: alius judicat omnem diem; *quasi dicat, cùm Deus in populo suo olim discrimen esse voluerit, dierum festorum, neo-meniae, Sabbatorum &c. jam nonnulli inter Christianos dies illos festos observant, & ab aliis nefastis discriminant, nonnulli non observant: neuter damnandus est, uterq; modò videat, ne haesitet in conscientia, sed certò persuasus sit, se Deum neq; observantia illa colere, neq; neglectu hujus discriminis offendere. 5. Quintum porrò argumentum petitur ab inhonesto. Uterq; & qui edit & qui nō edit, & qui observat & qui non observat dies, facit hoc ad gloriā Dei, quā temerario judicio vel etiam damnatorio calculo impedire, inhonestum, imò impium est. Extat hoc argumentum v. 6. ubi utramq; facti speciem conjungit.* Qui curat diem, Domino curat, & qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo. *Phrasis Paulina est,* Domino curare, *hoc est, honorem Domini quaerere, vel curam in actionibus omnibus eò impēdere, ut gloria Dei per nos promoveatur. Hoc facit uterq; & qui utitur ceremonialibus Mosaicis, & qui abstinet: ille, quia scit, Deum ita olim praecepisse, licèt de abrogatione nondum*

Domino curat, &c.

dum plenè sit informatus, utitur tamen cum gratiarum actione, non animo offendendi: hic quia scit, Deo non displicere, si maximè pro libertate Christiana usum eorum intermittat. Quod uterque sibi propositam habea Dei voluntatem atque gloriam, probat à generali fine omnium eorum, quæ homini in hac vita ac morte obtingere possunt, hoc sensu: Piorum est, in omnibus ad voluntatem Dei respicere, etiam in ipsa morte; ut ipse glorificetur in nobis: ergò multò faciliùs usum vel abstinentiam ciborum eò dirigent, ut satisfiat voluntati divinæ, & promoveatur gloria Dei. Antecedens probat generali Aphorismo: Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo nostrum sibi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus v. 7. & 8. *insignis hæc & verè Apostolica est sententia, de vitæ mortisque nostræ scopo. Ubi 1. removet à vita & morte nostra omne privatum commodum, ne nostri lucri gratia, seposita gloria Dei, quidquam faciamus vel omittamus in vita, neque etiam eandem ob caussam exoptemus, vel detrectemus mortem. 2. ostendit verum vitæ mortisque nostræ scopum: is est Dominus, cui debent inservire omnia nostra, in cujus gratiam & gloriam & vivere debemus, licèt etiam cum tædio fiat nostro; & mori, licèt opinione nostra fiat citiùs, vel tardiùs. 3. rationem annectit, cur nos totos Domino subjici oporteat, quia ipsius sumus peculium: DOMINI sumus, ait S. Apostolus partim respectu creationis; ipse enim fecit nos oves pascuæ suæ Psal. 100. partim respectu redemtionis. Idcirco enim CHRISTUS mortuus est, & resurrexit, ut & vivis & mortuis dominetur vers. 7. hoc est, hic fuit finis passionis & victoriæ Christi, ut nos adquireret sibi in peculium, quorum curam ageret in vita ac in morte, quos defenderet, ac tandem ad se in glo-*

riam

riam reciperet. Huic itaq; fideli animarum pastori tutò nos nostraq; omnia in vita ac in morte subijcere possumus. Ipse enim curam nostri utrinq; habere omnium optimè potest; quia est Dominus noster, habens vitæ mortisq; imperium; vult etiam, quia est Christus & Redemtor noster, qui in nullum alium finem descendit de cœlis, & durissimo jugo passionis se subjecit; quàm ut nos sibi assertos è Diaboli tyrannide emanciparet.

(Domini sumus in nominativo & in genitivo casu. In genitivo, quia superiorem agnoscimus in cœlo, qui nos creavit & regeneravit in spem vivam. In nominativo, quia Christus nos fecit reges Apocal. 1. & fideles dominium habent. 1. in peccatum, cui dominium non permittunt in mortali suo corpore Rom. 6. 2. in mundum: fides enim nostra est victoria, quæ vincit mundum 1. Ioh. 5. 3. in diabolum, cui resistunt fortes in fide Eph. 6. 4. in mortem: nam qui credit in filium, transibit de morte in vitam Iohan. 5.)

Et hoc erat quintum argumentum, sub quo latet sextum, ab æquo. Si enim omnes, firmi ac infirmi unum recognoscunt Dominum, in vita ac in morte, æquum etiam est, ut ipsi unanimiter viventes, humero uno serviant Domino Deo suo, & à temerarijs illis judicijs abstineant. 7. petitur ab inhonesto: quia omnes sunt fratres tam firmi, quàm infirmi, à Spiritu sancto in unitatem fidei congregati. Inhonestum itaq; est & iniquum, propter res adiaphoras vinculum fraternæ caritatis rumpere, quod illo vel contemtu vel judicio mutuo fieri necesse est. Et hoc argumentum urget Apostolus ἀποστροφῇ directa ad utramq; partem. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu, quare spernis fratrem tuum? *agnoscit ex æquo fratres, sive Iudæi sint, qui judicabant & damnabant gentiles, quasi legem Mosis contemserint; sive gentiles sint, qui aspernabantur Iudæos, quòd libertatem Christianam non*

intelli-

intelligant. Vtrumq; alienum eſt ab iis, qui eundem habent in cœlis Patrem, qui ipſos in unum hæreditatis conſortium per Chriſtum, fratrem illum ſanctiſſimum, adſcivit. 8. argumentum deſumtum eſt à periculo: quia omnes ex æquo coram tribunali Dei rationem reddituri ſunt, ſui in alios iudicij: proinde caveant ſibi, ne quenquam temerè iudicent. Omnes, *inquit*, ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim; Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingva confitebitur Deo. Itaq; unusquisque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo, v. 11. & 12. *Introducit his verbis Chriſtum, ut generalem iudicem omnium hominum: cuius noviſſimum iudicium comprobat verbis Eſaiæ cap. 45, 23. ubi iudicium hoc Iehovæ tribuitur, Apoſtolus noſter Chriſto adſcribit, coram quo omnes homines ſiſtit. Tribuit autem his, qui coram throno iudiciali comparebunt, genuflexionem & oris confeſſionem, tanquam externa ſigna reverentiæ iudici debitæ. Pijs tribuit hoc in ſignum lætitiæ, quod adſpecturi ſint Redemtorem ſuum, quem lætis vocibus & cum iubilo excipiunt. Impijs verò in ſignum horroris, qui præ anguſtia cordium expaveſcent, & vel inviti hunc Ieſum iudicem ſuum fateri cogentur, quem verbis factisq;, dum in vivis erant, horribiliter fuerunt perſecuti. Coram hoc igitur judice, qui impijs erit terror, pijs exultatio, unusquisq; videat, ut pro ſe ſuisq; actionibus rationem reddere poſſit, ne de alijs ſollicitus, ſuæ autem ſalutis negligens iuſtum ipſius iudicium incurrat.*

Paraphraſis hujus partis.

CÆterùm cùm non omnes ex æquo inſtituti ſitis de uſu libertatis Chriſtianæ, ad quam vocati eſtis; ſed

multi ſunt inter vos infirmi, qui exiſtimant ritus Leviticos, quibus à pueris adſueti erant, adhuc in uſu eſſe: idcircò autor vobis ſum, ut ejusmodi infirmum in fide non modô non excludatis à communione veſtra, ſed & ipſi eum ſpontè ad vos invitetis ſummâ cum benevolentiâ, & remotis inutilibus diſputationibus de re in ſeſe libera, quibus conſcientia ejus turbari poſſet, amicè erudiatis: Neque hoc fruſtra moneo, ſcio enim diverſa inter vos eſſe ingenia. Quidam diſcrimen ciborum Judæis olim præſcriptum pro libertate Chriſtiana non obſervant, ſed cibis omnibus veſcuntur: quidam autem à cibis prohibitis adhuc abſtinent, & veſcentibus alijs carne, ipſi olera manducant, infirmiores adhuc circa hanc partem, quòd diſcrimen hoc ciborum Leviticum abrogatum eſſe ignorant. Vos igitur abſtinete à temerario & intempeſtivo judicio in hoc & ſimili caſu; neque vos, qui melius inſtituti eſtis, infirmiores contemnite; neque vos, qui verum uſum rerum liberarum adhuc ignoratis, cæteros, ut transgreſſores legis condemnate. Sed cogitate, quòd Deus utrumq; in conſortium ſanctorum Eccleſiæ ſuæ adſcivit, & in ſervitio ſuo fidos agnoſcit. Quid ergo tu tibi judicium ſumis in eum, in quem jus nullum habes? Domini eſt, judicare de ſervo ſuo, ſive rectè ſive ſecus agat. Et ſi maximè jam errare videatur, Dominus ipſum in viam reducere poteſt, imò ſolet, ita ut opus non ſit, ut à te protinus contemnatur. Accedit & hoc, quòd uterq; haud dubiè in conſcientia ſua certus eſt, ſe rectè facere; ſive qui à cibis prohibitis abſtinet, vel dies feſtos obſervat, ſive qui cibis & diebus promiſcuè utitur: ille enim facit hoc ex præſcripto legis Moſaicæ,

quam abrogatam esse adhuc ignorat, quæ ignorantia ejus fidem ejus non tollit, sed infirmat saltem: hic ex libertate Christiana, ad quam vocatum sese esse novit. Uterq; facit etiam hoc in gloriam Dei, non levi aliquo adfectu, aut studio singularitatis: ille dum facit ea, quæ legis sunt, eo ipso colere studet legislatorem suum Deum: hic, dum libertate Christiana utitur, colit itidem Deum cum gratiarum actione, qui ipsum ad libertatem illam vocavit, liberrimumq; usum rerum olim prohibitarum concessit. Quòd si enim omnia nostra ad Deum referre, in omnibusq; voluntati ejus nos subjicere debemus, quantò magis in hoc rerum indifferentium usu, ita ut nemo propterea habeat, cur alterum cavilletur. Certè neq; vita neque mors in potestate nostra est: sed Dominũ agnoscimus, vitæ mortisq; nostræ jus habere; ipsius sumus peculiũ, quos & ipse, ut nõ nostri sed sui juris simus, creavit; & Christus precioso suo sanguine redemit, ut haberet in nos viventes ac morientes dominium. Ad hunc ergo respiciendum est in omnibus actionibus nostris, quæ si voluntati divinæ satisfaciant, & gloriam Dei promoveant, non est, ut eas judicijs nostris tanquam iniquas traducamus. Præterea an nescitis, vos in Christo fratres esse, in unitatem fidei, per Spiritum sanctum congregatos; cur ergo mutuò vos contemnitis aut spernitis? Nolite hoc facere, ò vos mei: recordamini, destinatum esse diem judicij, in quo omnes homines coram judice Christo, quem & pij & impij judicem & Dominũ agnoscent & confitebuntur, sistentur, omnium suarum actionũ rationem reddituri. Maturè itaq; solliciti estote, ut unusquisq; pro se respondeat, non est, ut inutili sollicitudine in proximum fratrem tàm curiosè animadvertatis.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QUÆSTIO I.

Vult Apostolus Paulus, ut infirmos in fide amicè ad nos invitemus, humanissimè tractemus & erudiamus: cur autem ipse Apostolum Petrum, qui ad tempus fuit ex talium infirmorum numero, tàm asperè tractat? Nam cùm in usu rerum adiaphorarum D. Petrus recto pede non incederet, restitit ipsi D. Paulus in faciem, & coram omnibus ipsum gravissimè reprehendit Gal. 2, 11, 14.

Resp. Negari non potest, D. Petrum, ut & cæteros Apostolos aliquandiu circa fidem de abrogatione legis ceremonialis hæsisse, præsertim de libero ciborum usu, & conversatione cum gentilibus. Sed iam, cùm D. Paulo reprehenderetur, paulò alia videbatur esse eius ratio: Iam enim non ampliùs erat ἀσθενὴς, sed κατεγνωσμένος, reprehensione dignus. Erat iam edoctus visione cœlesti, sublatum esse discrimen ciborum & populorum in regno Christi Actor. 10. liberum esse ciborum usum etiam cum gentibus, & scivit, & contra eos, qui contradicebant, graviter defendit Actor. 11. ipse quoq; iam cum gentilibus cibum sumserat Galat. 2, 12. quin & in concilio Hierosolymitano ipse decreverat, gentiles ceremonijs Leviticis onerandos non esse Actor. 15. Atq; sic in doctrina de usu rerum adia-

adiaphorarum satis superq; informatus erat. Ingens itaq; discrimen est inter infirmos illos, qui nihil adhuc sciunt de vero usu rerum indifferentiũ, quos Paulus amicè tractari vult; & inter Petrum, cuius θεωρία in hoc negotio melior erat, quàm πρᾶξις. Et hoc reprehensionem in ipso merebatur; quòd, quæ ipse divinitùs didicisset, & in concilio publico alios docuisset, iam in πράξει non observaret ipse. Deinde *simulatio aderat, quasi Iudaica ciborum observatio ad salutem esset necessaria, quæ sanè in tanto Ecclesiæ doctore, D. Paulo magnopere displicebat, utpote, qua nonnihil suspecta videbatur reddi doctrina Apostolica.* *Præterea accedebat seductio Iudæorum, qui in simulationem illam Petri consenserunt, & doctorem suum imitati fuerunt, non sine perturbatione conscientiæ. Accedebat metus D. Petri, & magna illa pusillanimitas, quæ faciebat, ut apertè non incederet iuxta veritatem, quàm alios docuerat.* Denique, *erat res coniuncta magno cum periculo & scandalo Iudæorum & gentilium, qui existimare poterant, gentes à ceremonijs Mosaicis non esse liberas, siquidem videbant, Petrum in conversatione cum gentilibus eas strictè observare: quo pacto facili negotio convelli poterat articulus de libertate Christiana & Iustificatione, quasi sine observatione legis ceremonialis nemo coram Deo iustificari poßit. Hæc omnia in cæteris infirmis non concurrunt; ideo ad regulam hanc Paulinam erratum Petri æstimandum non fuit, sed tantò maiorem merebatur reprehensionem, quantò periculosiora solent esse vitia doctorum, quàm auditorum.*

Cur Petrus à Paulo fuerit reprehensus.

QUÆSTIO II.

Si observatio ciborum & dierum est ἀδιάφορος; cur Paulus alibi damnat Galatas, quòd

dies observarent; & Colossenses, quòd â quibusdam cibis abstinerent? Gal. 4, 10. Coloss. 2, 21.

Resp. Distingvendum est inter tempora. Observatio illa dierum & ciborum, adeoq; totius legis ceremonialis necessaria erat in veteri Testamento, indifferens tempore primitivæ Ecclesiæ, ubi Iudæi ab inolita illa consuetudine legum ceremonialium nondum planè erant liberati: condonanda itaq; eis erat hæc cunctatio, donec Iudæi quoq; inter gentes viventes, ad fidem Christianam adducerentur. Atq; tunc ceremoniæ illæ erant liberæ & indifferentes. Postquam autem progressu temporis synagoga Iudaica cum honore erat sepulta, tunc cessabat illa libertas, & à ceremonijs illis Iudaicis Christiani abstinere jubebantur; partim ne eas tandem in articulum justificationis intruderent, quasi ille absq; ista observatione constare non posset; partim ne gentiles quoq; isto jugo onerarentur, quibus tamen impositum olim non erat. Sic circumcisionis observatio erat in veteri Testamento necessaria; nam infans octavo die non circumcisus non habebat partem in populo Dei Gen. 17. in primitiva Ecclesia erat ἀδιάφορ@ & libera: Paulus enim Timotheum circumcidit Actor. 16. Titum non circumcidit Galat. 2, 3. jam verò post sepultam Synagogam Iudaicam observatio circumcisionis est prohibita, juxta illud: Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit Galat. 5, 2. Hoc est, quod scholastici olim dixerunt: Lex Mosis in veteri Testamento erat mortalis, hoc est, poterat mutari: in Ecclesia primitiva Novi Testamenti fuit mortua, sed non dum sepulta, sed cum honore sepelienda: hodie est mortifera, quæ sine peccato non reduceretur à mortuis. Hinc jam facilè responderi potest ad quæstionem. Observatio ciborum & dierum fuit libera in primitiva Ecclesia, inter eos, qui adhuc teneram

Lex Mosaica mortalis, mortua, mortifera.

neram

neram habent conſcientiam in praxi rerum ſacrarum nondum ſatis confirmatam. Damnantur autem Galatæ & Coloſſenſes, qui de uſu rerum adiaphorarum ſatis informati, reducebant eas & uſurpabant tanquam cultum quendam neceſſarium, ad ſalutis conſecutionem pertinentem. Etſi itaque lex ceremonialis complectitur res in ſe liberas: attamen quia ſcimus, legem illam abrogatam eſſe, & opinio neceſſitatis facilè accedere poſſet, jure meritoq; ab ijs abſtinemus, tanquam à ceremonijs mortuis, quas ſine periculo reſuſcitare non valemus. Eſt enim hæc pars libertatis Chriſtianæ, quòd per Chriſtum non modò à maledicto legis, ſed & ab intolerabili illo jugo Legum ceremonialium liberati ſumus.

QUÆSTIO III.

Si nemo judicandus eſt propter adiaphororum uſum vel neglectum, quemadmodum patet ex v. 3. annon malè faciunt, qui propter ceremoniæ in ſeſe adiaphoræ mutationem in Eccleſia cedere nolunt adverſarijs?

Reſp. 1. Diſtingvendum eſt inter ceremonias in ſe & cum conditione conſideratas. In ſe conſideratæ, utiq; ſunt adiaphoræ, & cuiq; liberæ, ut eas vel recipere vel rejicere poßimus, utpote, quæ neq; ſunt cultus, neq; pars cultus divini. Conditio autem mutat naturam adiaphororum. Conditionem illam voco, quando legitimo mandato totius Eccleſiæ præcipiuntur vel prohibentur. Tunc autem non amplius ceremoniæ ſunt liberæ, ſed naturam rerum neceſſariarum induunt, quia ab univerſali totius

Eccle-

Ecclesiæ consensu deflectere non licet. Ecclesiæ enim integrum est, ceremonias recipere, quas viderit esse utiles ad ordinem & εὐσχημοσύνην, & ad ædificationem idoneas: eas ceremonias communi Ecclesiæ consensu introductas, nemo privato ausu corrigere debet; sed sicut penes totam Ecclesiam fuit introductio; ita & penes eandem est, si caussæ sufficientes adsint, earundem abrogatio.

[***Caussæ sufficientes sunt: si postulat publica Ecclesiæ utilitas vel respectu ordinis, vel respectu ædificationis proximi: si fiat absq; offendiculo, si ratio habetur infirmorum: si fiat absq; ulla læsione libertatis Christianæ.***]

Qui autem in ceremonijs singulares esse volunt, dum publicæ & universali totius Ecclesiæ constitutioni repugnant, seipsos suspectos reddunt, quasi eandem illius Ecclesiæ religionem non colant. Quam ob caussam D. Ambrosius D. Augustino consuluit, ut ritus eius in Ecclesia observet, ad quam venerit: & Augustinus ipse Ianuario suo hoc præceptum præscribit epist. 119. » *Nulla disciplina est melior gravi prudentiq; Christiano,* » *quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam-* » *cunq; fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem ne-* » *que contra bonos mores iniungitur, pro eorum, inter quos vivi-* » *tur, societate est servandum. Hinc facilè æstimare licet, non in cuiusvis gratiam quidquam in ceremonijs mutandum esse: obstant enim constitutiones Politicæ atq; Ecclesiasticæ, quæ propter certas circumstantias ritum hunc vel illum, licèt in se indifferentem, retinere jubent: cessantibus autem illis circumstantijs, ipsum etiam mandatum vel constitutio cessat. Deinde distinguendum est inter statum Ecclesiæ liberum, & inter statum confessionis. Extra statum confessionis Ecclesia jure suo liberrimè uti potest in retinendis vel abrogandis ceremonijs, prout viderit illud esse ex usu publico, absq; scandalo infirmorum, quod*

inprimis præcavendum est. Sed in statu confessionis Ecclesia jam tyrannide hostium pressa est, ubi homines pertinaces vellicare audent fidem nostram, mutatione ceremoniarum, sub prætextu rei adiaphoræ, quæ mutari vel retineri possit liberè. Ibi verò ne latum unguem cedendum est adversarijs, non quidem propter ritum ipsum, sed propter libertatem Christianam, quæ convellitur, & propter scandalum, quod datur multis infirmioribus; imò propter præceptū Christi & Apostolorum. Nam qui me negaverit coram hominibus, hunc & ego negabo inquit Christus Matth. 10, 33. & non jugū est trahendū cū infidelibus, neq; commercium habendū cum infrugiferis operibus tenebrarum 2. Cor. 6, 14. Eph. 5, 11. Ita Paulus propter falsos fratres, qui urgebant circumcisionem, tanquam ad salutem necessariam, & ingressi erant ad explorandam libertatem ejus, quam habuit in Christo Iesu, ut ipsum in servitutem redigerent; Titum non circumcidit, licèt ea ceremonia tunc temporis esset indifferens Galat. 2. & hoc suo exemplo docet Galatas, stent in libertate, in qua vocati sunt, & non patiantur se jugo servitutis subjici Galat. 5, 1. Quo exemplo & nos hodiè in abrogatione Exorcismi, in mutatione vestium sacrarum, in remotione cereorum, in introductione fractionis Eucharisticæ, & alijs similibus nihil quidquam concedimus Adversarijs, qui & nostram libertatem exploraturi interdum ad nos ingrediuntur: sed in tali casu Adiaphora habemus ut necessaria, quæ sine vulnere conscientiæ & scandalo Ecclesiæ mutari non possunt; præsertim cùm sciamus, quòd, juxta Augustini sententiam, ipsa mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.





QUÆSTIO IV.

Estne satis firmum argumentum Apostoli v. 4. Deus potest infirmum stabilire, ergo stabilit: nam à posse ad esse etiam in rebus divinis non valet consequentia?

Resp. Paulus loquitur ex regula caritatis Christianæ. Benè sperat de infirmorum informatione, & suo exemplo docet, nuspiam magis abesse debere suspicionem sinistram, aut omen minùs gratum, quàm inter ejusdem fidei & confeßionis socios. Caritas enim omnia credit, omnia sperat. 1. Corinth. 13. Aliàs omninò non valet argumentum à potentia Dei ad ,, ipsum factum. Multa enim potest Deus, quæ non fiunt. Dei ,, posse, velle est; Dei non posse, nolle, inquit Tertullianus adversus ,, Praxeam, Potuit, si voluisset. Deus pennis hominem ad volandum ,, instruxisse potuit, quemadmodum & milvis præstitit; ,, non tamen quia potuit, statim fecit. Si tàm abruptè in his ,, præsumtionibus nostris utamur hac sententia, quidvis Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit.

QUÆSTIO V.

Si unusquisque suo potest abundare sensu, ut Paulus loquitur v. 5. numquid ergo liberum est, in religione credere, quidquid velis?

Resp.

Resp. 1. *Latina versio est vitiosa, ut in explicatione textus notatum fuit. Nam* ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορεῖσθαι *non est abundare suo sensu, sed in animo suo certò persuasum esse.* 2. *loquitur Apostolus non de articulis fidei & religionis, in quibus sanè non licet* ἐπέχειν, *sed unusquisq; certus esse debet, cui credat: sed agit de rebus medijs & indifferentibus, quæ circa fidem sunt & ne quidem de his promiscuè, ita ut cuivis integrum sit servare, quod ipsi visum fuerit, id enim absq; scandalo non futurum: Sed vult unumquemq; in conscientia sua certum esse, sive servet aliquas ceremonias, sive non servet, rem tamen Deo gratam facere. Quamprimum autem de eo dubitat, jam peccare incipit: nihil enim in rebus divinis fieri debet, titubante conscientia. Multa ex hac regula dijudicari possunt: e. g. accedit quis ad Missam; utitur Eucharistia sub una saltem specie; abstinet die veneris ab esu carnis; abstinet à matrimonio, quia Ecclesiastica persona est; & quæ sunt his similia. Hic semper auribus insonet hoc Paulinum,* ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω; *quilibet certus sit in animo suo, quid faciat. Illa verò certitudo unde meliùs peti potest, quàm ex verbo Dei, in quo quicquid fundamentum non habet, id neq; conscientiam pacatam reddere potest.*

QVAESTIO VI.

Apostolus Paulus hoc loco usum vel abstinentiam certorum ciborum facit liberum; atqui in synodo APOSTOLICA abstinẽtia

ab idolothytis, à sanguine & suffocatis, refertur inter ea, quæ Christianis sunt necessaria? Act. 15, 28.

Resp. Repetendum hic est discrimen temporum, de quo suprà quæst. 2. Necessaria erant illa, quæ Apostoli præceperunt gentilibus ad fidem conversis, non præcisè, sed pro re natâ, hoc est, pro ratione illorum temporum, non ut pars cultus divini, sed ut facilior esset Iudæorum cum gentibus conversatio: dandum erat aliquid Iudæis, qui ceremoniis illis erant adhuc assueti, donec eas absq; offendiculo & scrupulo conscientiæ deponerent. Constat hoc ex Actis 16, 4. ubi Paulus Timotheum circumcidit, propter Iudæos illius loci, ne eos offenderet, & tamen alibi, ubi citra offendiculum fieri potuit, circumcisione non ampliùs opus esse docuit Acto. cap. 21, 21. Ita in 1. Corinth. 8. (quam epistolam toto sexennio post hoc concilium scripsit) fatetur, non esse illicitum edere idolothyta, nisi scandalum inde oriatur. Ex quibus facilè colligitur, ea quæ natura sua sunt adiaphora, fieri posse necessaria, si conscientiam vel nostram vel proximi quovis modo lædunt, aut infirmioribus offendicula præbent.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

1. Ecclesia non constat puris putis sanctis, aut perfectis, sed semper suos habet infirmos. Infirmitas illa est vel in moribus, vel in fide. De infirmitate morum agit Apostolus Galat. 6, 1. Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, confide

considerans teipsum, ne & tu tenteris. *Infirmitas fidei est vel in ipsis articulis fidei, vel in applicatione meriti Christi, vel in ceremonijs.* *Infirmitas in articulis fidei eorum est, qui ab aliis seducti, falsam doctrinam fovent, etiam in fundamento; interdum privatim, nemini præbentes scandalum, qualis erat Gamaliel Actor. 5. & hodiè multi Politici; interdum publicè defendunt, magno quidem cum zelo, sed absq; scientia.* *Tales maturè monendi & erudiendi sunt: si semel atque iterum moniti non emendantur, sed insuper malo exemplo alios seducunt, degenerant in hæreticos: sin autem emendantur, Errantes fuerunt, & credentes hæreticis, non hæretici; ita enim vocantur ab Augustino lib. 3. de baptis. cap. 19. Infirmitas fidei in applicatione meriti Christi est in afflictis & tentatis, in quibus fides perpetuò luctatur, suaq; modò incrementa, modò decrementa habet: & hæc sanari potest auscultatione verbi, usu Eucharistiæ, precibus & similibus exercitijs pietatis.* *Infirmitas deniq; in ceremonijs est, quando quis in usu rerum in sese indifferentium nondum est rectè institutus: tales cum benevolentia suscipere, & amicè tractare jubet hic Apostolus. Omnes hi reperiuntur in Ecclesia, omni tempore, in quibus quotidiè laborandum est, ut ad perfectionem contendant: Nam in vijs Domini non progredi, est regredi.*

2. Correptio infirmorum debet esse moderata atq; tempestiva. Nam plus proficitur mansuetudine & lenitate, quàm arguta disceptatione aut rixosa contentione. Idcircò D. Paulus discipulo suo inculcat, ut abstineat à λογομαχίαις, unde oriuntur invidiæ, rixæ, blasphemiæ, suspiciones malæ &c. 1. Tim. 6, 4. & alibi vult servum Domini alienum esse à litibus, & erga omnes mansuetum, 1. Tim. 2, 23.

3. Cibi sunt ex eo adiaphororum genere, quæ ex natura

sui simpliciter æstimata neque bona neq; mala sunt, quibus vel benè vel malè uti, vel etiam abuti possumus: Idcircò perinde est Apostolo, sive quis manducat omnes cibos, sive tantùm aliquos, abstinens à quibusdam ex libertate Christiana, non ex necessitate. Impia itaq; & dæmoniaca doctrina est, docere, necessariò abstinendum esse carnibus, certis diebus, vel quia carnes sunt à malo Deo, ut quondam Manichæi, Encratitæ ac Tatiani blasphemabant; vel quia sunt libidinis seminarium, quod dicunt hodiè Pontificij. Quibus os obturat Apostolus 1. Timoth. 4, 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione accipitur; sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

4. *Communis nostrum omnium adsumtio in gremium Ecclesiæ deberet esse vinculũ pacis ac concordiæ mutuæ; ne quis spernat alterum ob meliorem in fide profectum, aut alia dona. Nemo enim propter dona sua receptus est, sed ex mera gratia Dei, qui cognitionem mysteriorum suorum, ut & alia dona distribuit, prout vult 1. Cor. 12. Deus autem fidelis est, qui unicuiq; tribuit, quantum ei ad utilitatem propriam & ædificationem proximi videt esse necessariam Ephes. 4.*

5. *Temeraria judicia de aliorum moribus aut vita rapiunt hominem extra limites vocationis suæ. Dei enim est judicare de nobis, tanquam de servis suis; nos autem invicem conservi sumus unius Domini, cui ut quisq; placeat, sibi prospiciat; in alterum sibi jus non affectet: is enim alienus nobis est hoc est, non nostri juris, sed Deo subditus, nisi is legitimè ipsum in potestatem nostram tradiderit. Illud igitur, quod de temeritate judiciorum dicitur, de privatis judicijs intelligatur, quæ Christus prohibuit Luc. 6. De ordinaria potestate superiorum in inferiores cap. præcedente dictum est.*

6. *De homine lapso non facilè est desperandum. Deus enim potest eum erigere & stabilire v. 4. Numquid qui cadit, non resurget? & qui aversus est, non revertetur? dicit Dominus Ierem. 8, 4. Promisit sanè hanc felicitatem justis Psalm 37, 24. cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Proinde opera danda est, ut erigamus lapsum, quàm ut deprimamus & collidamus vixdum labentem.*

7. *Discrimen dierum festorum, quoad genus, à Deo est: non enim temerè factum, quod dies diem superat, cùm tamen sol omnium dierum in anno autor sit; sed à Domino factum est, cujus scientia separati sunt: ipse immutavit tempora & dies festos &c. Sir. 33, 9. Species tamen festorum fluunt ab humana ordinatione, atq; hac ratione discrimen non est inter diem & diem: possunt enim festa mutari & in aliam diem transferri, si ita ex usu Ecclesiæ esse videbitur, quemadmodum ab Apostolis mutatione sabbati factum est. A consuetudine tamen totius Ecclesiæ non facilè discedendum est.*

8. *Nihil debet fieri titubante conscientia, etiam in rebus adiaphoris. Oportet enim hominem certum esse, quòd usu vel intermissione rei alicujus, Deum non offendat. Hæc est πληροφορία illa, quam Paulus hic ab unoquoq; requirit in usu rerum adiaphorarum v. 5. quantò magis tali πληροφορία opus erit in rebus fidei, aut in operibus necessarijs. Hoc igitur dicto quisq; in animo suo certus sit, damnatur omnis ἐθελοθρησκεία, de qua certitudo nulla esse potest, quia caret verbo.*

9. *Gratiæ debentur Deo in omni fortuna, lautiore vel tenuiore, quia ipse nihil nobis debet quidquid autem habemus, gratuitò è manibus ejus accepimus: proinde gratiæ agendæ ipsi &*

matura

maturè adsuefaciendi sunt animi ad utramq. fortunam, ut discamus cum Paulo in omnibus contenti esse, & egere & abundare, & satiari & esurire Phil. 4, 12.

10. *Omnia nostra Deo debemus, ad cujus gloriam conferendum est, quicquid possidemus: quin & ea, quæ debentur proximo, propter Deum ei debentur, ut Ipse glorificetur in omnibus. Quicquid ergo in bonis animi, corporis aut fortunæ impenditur ad res illicitas, aut ad privatum saltem commodum, neglecto publico, est abusus bonorum divinorum, de quo Deo ratio reddenda erit.*

11. *Dominus in vita ac in morte nostri curam habet: ipsius enim sumus peculium, sive vivimus sive morimur. Ipse prospicit nobis in vita de victu, de honesto vitæ genere, de honoribus, de opibus, quantum satis est: prospicit etiam in morte de viribus, quibus superare possumus tentationes & cruciatus mortis, de hominibus, qui honestè de nobis post mortem & sentiant & loquantur: prospicit etiam de meliore statu in altero seculo. Proinde in omnibus locum habet illud Psaltæ: Iacta in Domino curam tuam, ipse faciet Psal. 55. & Petri: omnem solicitudinem vestram projicite in Dominum, quoniam ipsi cura est de vobis 1. Petr. 5, 7.*

12. *Vivimus & morimur Domino, quando agnoscimus nos vitam habere à Deo, ipsumq. habere in nos vitæ mortisq. potestatem; quando etiam actiones vitæ nostræ ad nutum ejus instituimus: vitam nostram non ipsi abbreviamus quacunq. ratione: omnem fiduciam in laboribus vitæ in ipsum collocamus: in ipsa deniq. morte animam ipsi nostram commendamus, & meliorem vitam speramus. Non igitur Domino vivunt, qui in peccatis vitam transigunt, sunt in periculis impatientes,*

patientes, asperi in laboribus: non moriuntur Domino, qui mortem sibiipsis imprecantur vel inferunt, nullam in Deo fiduciam ponunt, meliorem vitam non credunt, & cum desperatione misellam animam exhalant.

13. *Servitus Christianorum, qua Christo Domino suo sunt obligati, ne quidem in morte desinit. Nam & tunc Christi sumus peculium, quem & morte nostra glorificamus, si in fide hinc discedimus, & à quo tandem ad lætissima ministeria filiorum Dei in altero seculo resuscitabimur. Proinde mortui nostri, qui in Domino discedunt, non sunt amissi; à Christo enim sunt custoditi, & in peculio Dei asservati; sed præmissi sunt, & ad patres collecti in loco Beatorum, in quo non tangit eos tormentum: ideò suprà dixit Apostolus noster, quòd electos ne quidem ipsa mors separare possit à dilectione Christi Rom. 8.*

14. *Iudicium extremum certò expectandum est omnibus hominibus, quod scriptura multis in locis magna cum adseveratione docet Act. 17. Matth. 24, & 25. 1. Cor. 4. &c. in quo quisque pro se suisque dictis ac factis rationem reddet; ideò pro se quisque sit solicitus, ut intrepidè coram judice comparere possit: qui autem ex temeritate judicij in aliorum vitam libenter inquirunt, propriæ plerumque negligentes fiunt.*

15. *Christus est judex universalis, cui Pater omne tradidit judicium, quatenus filius hominis est Iohan. 5. idcircò Christus dicit: videbitis filium hominis sedentem in nubibus cæli Matth. 26, 64. & Apostolus Paulus ait, Deum statuisse virum, in quo judicaturus sit orbem terrarum, Act, 17, 31.*

16. *Christo ut filio hominis debetur honor adorationis, quia omne genu coram judice mundi flectetur, & omnis lingua ipsum adorabit, quemadmodum hic ex Propheta Esaia*

adducitur. Blasphemia itaq; est, denegare Christo secundùm humanitatem cultum adorationis: quem tandem omnes tribuent inviti, & cum magno suo malo, qui hic magno suo cum emolumento tribuere ei potuissent, imò debuissent.

17. *Christus est verus Deus: nam is, de quo hæc scribit Paulus, apud Esaiam vocatur Jehova, quod est nomen veri Dei. Est ergo judex ille universalis* θεάνθρωπος, *sed in natura sua visibili, hoc est, humana, apparebit in judicio, in consolationem piorum, quia videbunt fratrem suum, à quo redemti sunt; & in terrorem impiorum, quia videbunt, in quem pupugerunt Zach. 12. &c.*

PARS ALTERA TEXTUS.

Μηκέτι οὖν ἀλλήλους κρίνωμεν· ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον, τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ, ἢ σκάνδαλον.

13. NOn ergò ampliùs invicem judicemus: sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.

Οἶδα καὶ πέπεισμαι ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ, ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ· εἰ μὴ τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινόν.

14. Scio & confido in Domino Jesu, quià nihil commune per ipsum; nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est.

Εἰ δὲ διὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται, οὐκ ἔτι κατὰ ἀγάπην περιπατεῖς· μὴ τῷ βρώματί σου ἐκεῖνον ἀπόλλυε, ὑπὲρ οὗ Χριστὸς ἀπέθανε.

15. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas; noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.

Μὴ βλασφημείσθω οὖν ἡμῶν τὸ ἀγαθόν.

16. Non ergo blasphemetur bonũ nostrum.

17. Non

Οὐ γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις, ἀλλὰ δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη, καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

17. Non est enim regnum Dei esca, & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto.

Ὁ γὰρ ἐν τούτοις δουλεύων τῷ Χριστῷ, εὐάρεστος τῷ Θεῷ, καὶ δόκιμος τοῖς ἀνθρώποις.

18. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, probatus est hominibus.

Ἄρα οὖν τὰ τῆς εἰρήνης διώκωμεν, καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους.

19. Itaque quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt invicem.

Μὴ ἕνεκεν βρώματος κατάλυε τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ· πάντα μὲν καθαρά· ἀλλὰ κακὸν τῷ ἀνθρώπῳ τῷ διὰ προσκόμματος ἐσθίοντι.

20. Noli propter escam destruere opus *Dei* : omnia quidem sunt munda : sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.

Καλὸν τὸ μὴ φαγεῖν κρέα, μηδὲ πιεῖν οἶνον, μηδὲ ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει, ἢ σκανδαλίζεται, ἢ ἀσθενεῖ.

21. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur aut infirmatur.

Σὺ πίστιν ἔχεις; κατὰ σαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. μακάριος ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν ἐν ᾧ δοκιμάζει.

22. Tu fidem habes : penes temetipsum habe coram *Deo*. Beatus qui non judicat semetipsum in eo, quod probat.

Ὁ δὲ διακρινόμενος ἐὰν φάγῃ, κατακέκριται· ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως· πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν.

23. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est : quia non ex fide : omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

HActenus generali exhortatione cum Christianis tàm firmis, quàm infirmis, promiscuè egit Apostolus, ut à temerariis judiciis in usu rerum indifferentium abstineant: jam in specie agit cum firmis, quos exhortatur, ne intempestivo usu suæ libertatis scandalum præbeant infirmioribus. Propositio hujus partis est hæc: Date operam, ne, dum libertate vestra utimini, scandalo sitis nondū rectè institutis. Extat propositio v. 13. & deducitur ex priore tractatione de vitandis temerariis judiciis. Non ergo amplius judicemus: sed hoc judicate potius, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. *Prohibet judicare alios, & jubet judicare nosmetipsos, ne simus aliis scandalo in usu promiscuo ciborum: Hunc enim exempli loco & quasi in hypothesi proposuit, intelligens totum complexum rerum indifferentium. Est autem offendiculum ponere fratri, nihil aliud, quàm turbare ipsum in conscientia, dubium in religione reddere, animumq; ejus ita implicare, ut nesciat, num rectè vel secus credat faciatve. Probibet autem non tantùm offendiculum, sed & scandalum, quæ duo ita differunt, ut offendiculum tribuatur ei, qui impingit, nondum autem labitur; scandalum autem ei, qui non saltem impingit, sed & omninò corruit. Vult igitur Apostolus, ne intempestivo usu rerum liberarum, infirmis occasio detur resiliendi à Christianismo. Argumentum exhortationis primum petitur ab iniquo. Est enim contra legem caritatis Christianæ, turbare conscientiam fratris infirmi, quod hac ratione futurum esset, si coram ipso vescereris tali cibo, quo ipse vescendum non esse putaret. Argumentum hoc cum præoccupatione conjunctum est.* Scio & confido in Domino Iesu, quòd nihil commune est,

per

per seipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas. v. 14. & 15. *Illud τὸ κοινὸν vocat cibum immundum & in lege probibitum, phrasi Levitica, qua & Petrus utitur, eamq; interpretatur per ἀκάθαρτον Act. 10, 14. Commune autem est, inquit Hieronymus super 15. cap. Matth. quod cæteris hominibus (præter Iudæos) communiter in usu est.* *Potuit itaq; firmus aliquis dicere: cur mihi interdicis quolibet cibo uti, cùm tamen hodiè in Christianismo cibus amplius nullus impurus sit & probibitus? scio hoc, per Dei gratiam, inquit Apostolus, quòd naturâ sua cibis omnibus vesci liceat, præsertim jam post Christi adventum, ubi omnes cibi sancti sunt, & Leviticum illud ciborum discrimen sublatum est. Atqui & hoc scio, si vescaris cibo coram eo, qui existimat illum probibitum, te peccare: conturbas enim ejus conscientiam, ut dubitare incipiat, num rectè fecerit an secus, quòd hactenus ab ejusmodi cibo abstinuerit, quo vesci jam videt religionis suæ socium: id verò contra caritatem Christianam est, quæ proximum non offendere solet, sed ædificare studet. Secundum argumentum à periculo: quia scandalum illud caussa fit interitus ejus, qui tua importunitate offenditur.* Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est, v. 15. *Ita verò perditur frater infirmus, quia vel ipse exemplo aliorum vescitur cibo, quem in conscientia sua existimat esse probibitam, & sic lædit conscientiam: nemo autem sauciata conscientia vitam ingredietur æternam: vel quia Christianismo valedicere cogitur, siquidem impium esse judicat, conversari cum ejusmodi hominibus, qui licentia (ut ipse quidem putat) illicitâ legem Dei de cibis immundis transgrediuntur. Hoc autem quam grave peccatum sit, innuit addita αὐξήσει,*

Commune quid sit Paulo.

quia perditur hac ratione is, quem Christus sanguine ac morte sua ab interitu redemit: atq; sic injuria, non tam in fratrem infirmum, quàm in Christum ipsum redundat: quod facinus non fore impunitum, quilibet æstimare potest. Tertium petitur ab inhonesto: quia intempestivo illo usu suspecta reddetur libertas Christiana; quasi ea nihil prosit, quam ut conscientiam infirmorum lædat, imò prorsus perdat. Non blasphemetur bonum nostrum, *inquit v. 16. Bonum intelligendum hic est, pro subjecta materia, de Bono libertatis nostræ, quam habemus in Christo Jesu. Jllud bonum blasphematur, hoc est, malè audit, apud hostes nominis Christiani, si absq; discrimine, etiam cum lapsu aut offendiculo infirmorum fratrum, libertate nostra uti libeat. Quartum argumentum petitur à natura rerum mediarum. Ita enim comparatæ sunt, ut non pertineant ad beneficia regni Dei, sed ad hunc mundum; ideò bona cum conscientia in gratiam infirmorum ab eorum usu abstinere possumus.* Non est enim regnum Dei esca & potus, *inquit*, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. *v. 18.* R*egnum Dei considerat, quatenus vel regnum gratiæ est, in hoc seculo, vel regnum gloriæ, in altera vitâ. Vtrobiq; nihil promovetur usu vel esu cibi in Lege olim probibiti; nam ut alibi Christus loquitur: regnum Dei non venit cum externa observatione Luc. 17, 20. Sunt verò alia longè majora, in quibus regnum Dei consistit, quorum tria hic recensentur. 1. justitia, ea nimirum, qua coram Dei judicio justi reputamur, quamque non nisi fide in CHRISTVM obtinemus. 2. pax, quam habemus coram DEO per CHRISTVM. 3 gaudium, per quod intelligit tranquillitatem conscientiæ, quæ est*

initio

initium vitæ æternæ, & ex prioribus resultat. Nam qui justificati sunt fide, pacem habent cum Deo Rom. 5. inde est perpetua exultatio etiam in adversis: tales enim gloriantur in tribulationibus, quia juge convivium habent in bonâ conscientia, quâ de re suprà cap. 5. dictum fuit. In his tribus igitur retinendis occupatum debet esse studium nostrum; id nos & coram DEO gratiores, & coram hominibus acceptiores reddere potest, quàm si nullo cum respectu infirmorum cibis omnibus indifferenter utamur. Ideò quæ pacis sunt sectemur, *addit Apostolus,* & quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus: *quæ verba propositioni correspondent, & simul indicant, intempestivo illo usu rerum adiaphorarum concordiam Christianam, & ædificationem proximi impediri. Porrò, quintum argumentum petit Apostolus ab inhonesto:* Noli destruere propter escam opus Dei v. 20. *Non decet Christianum destruere opus Dei. Id verò fit, quando intempestivo ciborum usu scandalum præbetur infirmis, qui, uti suprà dixit, hac ratione in salute sua impediuntur, quam Deus magno labore atq; precio Filij sui procuravit. Intelligit itaq; per opus Dei, salutem hominis in fide infirmi. Cùm autem nihil difficilius fuerit firmis illis, quam intelligere, quomodo usu earum rerum, quæ natura sua sunt liberæ, perdere possint alios; idcirco iterum per occupationem occurrit objectioni ipsorum, sicuti, suprà:* Omnia quidem sunt munda: *inquit*, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat: *quæ verba suprà sunt explicata v. 14. Sextum argumentum addit v. 21. petitum à contrario:* Bonum est non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. *Ibid. Bonum est, opponit illi, quod suprà dixit: Noli destruere opus Dei, Quod si*

enim

enim per intempestivum esum ciborum perditur proximus, utiq; per tempestivam abstinentiam ædificabitur. Loquitur autem in genere de carnium esu & vini usu, non in specie de carne immunda & lege olim probibita, neq; de vino idolis libato. Docere enim vult, potiùs ab omni carne, & ab omni vino abstinendum, quàm ut quoquo modo, infirmo occasio lapsus aut scandali præbeatur. Nam quod per se malum non est, malum fieri potest per accidens, si per illud alij offendantur.

His igitur argumentis exhortationem suam stabilivit Apostolus.

Regulæ in usu rerum adiaphororum necessariæ.

Jam quæ restant in hoc capite aliquot continent regulas in usu adiaphororum necessarias. Prima *est: Notitia rerum indifferentium non nocere debet ijs, qui ea carent. Extat hæc regula v. 22.* Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo: *προληπτικῶς hæc regula proponitur. Nam si diceret firmus quispiam: ego scio quomodo utendum sit rebus in sese liberis, cur ergo non hac mea scientia utar? Respondet Apostolus; utaris sanè ea, sed absq; detrimento & offendiculo proximi. Per fidem intelligit hic non fidem dogmatum, multò minus fidem salvificam, sed, secundùm subjectam materiam, notitiam libertatis Christianæ in rebus adiaphoris. Ea non debet esse fraudi proximo, qui eam notitiam nondum habet: ideò celanda potiùs est, quàm cum scandalo infirmi publicè usurpanda. Poteris autem nihilominus ea notitiâ tecum frui, & lætari in Domino, quòd ad verum intellectum libertatis Christianæ perveneris. Et ita uteris ea coram Deo, tranquilla cum conscientia, qui introspicit cor tuum, & omnium optimè scit, num sit illud rectum coram ipso.* Altera *regula sic habet: In rebus adiaphoris nihil faciendum est hæsitante conscientia. Aphorismum hunc ita effert, v. 22.* Beatus, qui non judicat semetipsum in eo, quod probat,

hoc est,

hoc est, is benè profecit in schola Spiritus sancti, qui nullum sentit scrupulum conscientiæ in usu earum rerum, quarum usum scit esse concessum. Tertia *regula dependet à præcedente: Qui facit aliquid hæsitante conscientiâ, gravissimè peccat. Verba Apostoli hæc sunt v.23.* Qui discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide: *hoc est, qui edit talem cibum, de quo dubitat, num eo vesci liceat, malè facit; non enim habet certam notitiam & persuasionem cordis sui, num rectè faciat nec ne, quæ notitia & persuasio cordis ex solo verbo Dei petenda est.* Quarta *regula talis est:* Quicquid non est ex fide, peccatum est, *hoc est, Deo servire velle, & tamen adhuc ignorare, num servitium illud ipsi placeat, nec ne, non servitus est Deo grata, sed opus vel maximè Deo displicens. Et hanc regulam fundamenti loco ponit cæterarum omnium. Nam fidem, seu certam animi persuasionem ex verbo Dei conceptam præcedere necesse est, si quid juxta verum usum libertatis Christianæ, non hæsitante conscientia fieri debeat.*

Paraphrasis hujus partis.

QVod si omninò judicare vultis, judicate, quæso, vosmetipsos & de eo solliciti estote, ne intempestivo rerum indifferentium usu occasionem præbeatis fratri vestro, nondum in hoc capite doctrinæ rectè informato, vel dubitanti de rebus fidei, vel resilienti à Christianismo. Etsi enim non ignoro, Dei beneficio, quòd in sese cibus nullus ampliùs sit immundus, sicut olim ante adventum Christi: attamen & hoc scio, immundũ fieri posse per accidens, si manducetur coram

eo, qui eum immundum esse existimat, quod infirmi faciunt. *P*roinde, si coram tali vesceris cibo in sese non prohibito, quem ipse prohibitum esse putat, labefactas ipsius conscientiam, ut incertus fiat in fide; quod sanè non est hominis Christiani, qui ædificare potiùs quàm infirmare in fide debet proximum. Proinde noli, quæso, intempestiva libertatis tuæ usurpatione fratrem tuum, quem Christus sanguine suo redemit, in periculum salutis adducere; quod certò futurum est, si vel à te, tanquam legum Mosaicarū contemtore deterritus, Christianismo valedixerit; vel tuo exemplo etiam cibo illo, quo tu, usus fuerit, de quo tamen in conscientia dubitat, num rectè fecerit. Hoc nimirum est, non tantùm periculum animæ fratri accersere, sed & libertatem Christianam, in quam vos vocavit Dominus, prostituere, alijsq; maledicendi occasionē dare, quasi doctrina illa Christiana non erigere, sed deprimere possit infirmos. Neque existimetis vos isto promiscuo ciborum usu regnum Dei magnopere promovere: alia sanè sunt, in quibus illud consistit, non in edendo & bibendo, sed in credendo in Christum, unde pax & tranquillitas conscientiæ, cum vera lætitia cordis accensa à Spiritu sancto. Ea in re vos exercete, si Deo servire cupitis, & proximo vestro prodesse: in ciborū usu vel abstinentia sanè exiguus cultus est. Proinde, operam date, ut ædificetis potiùs proximum vestrum, & instruatis in ijs, in quibus adhuc non satis instructus est: hoc multò melius & laudabilius est, quàm quòd ipsius salutem, quā Deus tanto cū labore atq; pretio unigeniti filij sui procuravit, importunitate vestra in dubiū vocetis, & tantùm non intervertitis. Etsi enim vos rectum libertatis

usum

usum scitis; tamen, uti dixi, ipsis adhuc ignotum est, quid juxta eum facere liceat: ac idcirco magno suo cum malo te imitabitur, edendo cibos, quos tu edis, de quibus tamen ipse dubitat, num vesci eis liceat, quia in lege ipsorum usum prohibitum esse meminit. Multò satius est, ab omni abstinere carnis aut vini usu, quàm proximi salutem in præsentissimum adducere periculum. Quapropter, si maximè tu scias, quid ex libertate Christiana liceat hac in parte; attamen hoc suadeo, ne coram omnibus istâ tuâ scientiâ utaris: sed fruere potiùs ea tecum in conscientia tua, Deoque gratias age, & ex animo lætare, quòd rectè sis in his rebus instructus. Itaq; tecum æstima, felices in schola Spiritus sancti progressus fecisse eum, qui nihil facit in rebus adiaphoris hæsitante conscientia. Conscientia autem hæsitat apud eum, qui de licito usu ejus, quod edit, dubitat, quia nondum satis persuasus est, quòd ejus usum libertas Christiana concedat: quidquid autem absque tali persuasione seu scientia certa fit, peccatum est. Malè itaq; faciunt, qui ejusmodi homines adhuc hæsitantes non potiùs instituunt rectiùs, quàm quòd eos importuno adiaphororum usu magis magisq; perturbant.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QVÆSTIO I.

Si ad evitandum offendiculum fratris infirmi non licet vesci carnibus, aliàs concessis,

ut ex v. 15. & 21. colligitur; num igitur ijs Lutheranis, qui in Papatu vivunt, die veneris necessariò abstinendum est à carnibus, ne offendantur infirmiores in Papatu, quibus cum conversantur?

Resp. Minimè: quia regula Pauli agit de talibus infirmis, qui fratres sunt, hoc est, qui in cæteris capitibus religionis Christianæ nobis sunt ὁμόψηφοι; in usu verò rerum indifferentium nondum rectè instituti: Tales autem Pontificij non sunt, sed in multis articulis fidei non saltem à nobis dissentiunt, verùm etiam à certis cibis diebus prohibitis abstinent, opinione cultus atq; meriti. Quo quidem in genere nihil ipsis gratificandum est, ne alienorum peccatorum reddamus nos participes. Deinde prohibitio illa certorum ciborum non est legis divinæ, sed autoritatis meræ humanæ, hoc est, Papisticæ, quæ in scriptura vocatur doctrina dæmoniorum 1. Tim. 4. proinde non est periculum, ne transgressione talis interdicti violetur conscientia infirmorum, aut offendiculum ijs ponatur. Quia leges humanæ, quæ verbo Dei sunt contrariæ, conscientiam obligare non possunt; ergo neq; vulnerare, si non observentur: quo referatur locus Apostoli Col. 2, 16, 22. Quod si tamen offendantur Papistæ, scandalum erit acceptum saltem, non datum. Scandalum enim datum tum demum locum habet, quando aliquid fit contra mandatum vel interdictum divinum, aut divino consentaneum. Longè autem gravius vulneratur conscientia ejus, qui abstinet ab eo, cujus usum licitum esse novit. Præterea abstinentia illa Lutherani à carnibus die prohibito faceret ipsum hypocritam, aut

certè

certè apud alios suspectum, quasi in aliis quoq; capitibus doctrinæ Christianæ sentiret cùm Pontificiis, quia communio rituum est quasi symbolum communionis in religione: idq; tantò periculosius est, quòd abstinentia à carnibus loco cultus divini habetur in Papatu. Proinde si cui in locis Papistico veneno infectis vivendum est, utatur libertate Christiana, vel vescendo vel abstinendo, semper cogitans illud Salvatoris: quod ingreditur in os, non polluit hominem Matth. 15, 11. & mundis omnia sunt munda 1. Tim. 1. In gratiam autem Pontificiorum, non abstineat, sed si infirmiores sint, & non tam præfracti ac cæteri, tunc quo ad ejus fieri potest, de libero rerum indifferentium usu eos erudiat; vel quod consultius est, occasionem omnem cum ipsis conversandi fugiat, ne jugum cùm infidelibus trahere videatur. 2. Cor. 6.

QUÆSTIO II.

Rectène dicitur, eos pro quibus Christus mortuus est, perire posse, respectu sui, respectu Satanæ, & respectu scandalorum mundi: non autem posse, respectu consilii Dei, qui eos ab æterno elegit? Contra Paræum.

Resp. Locus Apostoli: Noli perdere cibo fratrem tuum, pro quo Christus est mortuus; satis illustris est ad ostendendum, quòd Christus etiam pro reprobis ac pereuntibus mortuus sit. " *Quæ ut eludat Paræus, scribit dub. 9. in cap. 14. Rom. perire posse* " *eos, pro quibus Christus mortuus est 1. ratione sui, quia nihil* " *eis est in hac vita infirmius. 2. ratione Satanæ, cujus potentia etiam electis est formidabilis. 3. ratione scandalorum,* "

quæ pÿs etiam obÿciuntur, sæpè insuperabilia, nisi sustentarentur à Deo: Sed non posse perire, quoad Dei consilium, quia sunt ab æterno electi, sunt oves Christi, sustentantur intercessione Christi &c. Hæc Paræus, in quibus non unus error est. Primùm enim confundit Redemtos & Electos, quos scriptura ita distinguit; quòd omnes sint morte Christi redemti, pauci verò electi. Christus enim dedit semetipsum λύτρον pro omnibus 1. Tim. 2. Christus mortuus est pro omnibus 2. Cor. 5. & sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ Rom. 5. In quo postremo loco nulla prorsus specie veri obtrudi nobis potest futilis distinctio inter genera singulorum, & singula generum. Sicut enim delictum Adami transiit in singulos generum; ita & justicia Christi parta est singulis generum, non saltem generibus singulorum. De electis igitur concedimus, quòd perire non possint, propter rationes allegatas, quæ nequaquam ad omnes atq; singulos redemtos applicari possunt. Deinde fingit Paræus ejusmodi potentiam, quæ nunquam & in nullo individuo deducatur in actum; qualem potentiam etiam schola philosophorum ignorat. Dicit enim eos, pro quibus Christus mortuus est, perire posse, & tamen nullum eorum unquam periÿsse. Præterea μέγα λίαν αἴτημα est, dicere, quòd Deus omnes, pro quibus Christus mortuus est, ita præservet, ne ullus eorum pereat: Contrarium testatur scriptura, de Pseudoprophetis, de quibus D. Petrus scribit, quòd Dominus eos redemerit; ipsi autem sibi inducant celerem perditionem, quodq; judicium eorum non cesset, & perditio non dormitet. 2. Petr, 2, 1. 3. Et quorsum opus esset exhortatione Apostolica ad Corinthios, ut sibi caveant, ne gratiam DEI frustra recipiant. 2. Cor. 6, 1. quomodo etiam dicere posset Paulus, gratiam DEI eis fieri frustraneam, si sermonem Evangeliÿ non reti-

retinuerint 1. Cor. 15, 2. Ex quibus sane locis apparet, passionem Christi in aliquibus, quoad redemtionis fructum fieri posse otiosam. Præterea, si, qui pereunt, per Christi mortem redemti non sunt, sequitur decretum Dei de hominum salute, particulare saltem esse, & electos duntaxat concernere; reprobatorum autem salutem Deum nunquam voluisse: id verò blasphemum est, & expressis scripturæ dictis contrarium. Deus enim ita dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret toti mundo: non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: vult neminem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti &c. Ex quibus omnibus sequitur, etiam hanc fuisse ejus voluntatem ac decretum, ut meritum & efficacia mortis Christi, sine qua nulla est redemtio, extenderet se etiam ad eos, qui pereunt &c.

Iohan. 3. Ezech. 33. 1. Tim. 2. 2. Pet. 3.

QUÆSTIO III.

Si juxta doctrinam Pauli, rebus etiam licitis non est utendum, si scandalum proximi accedat: videtur magna rerum confusio subsequi: ita enim nec propria possidere, nec abalienata repetere possem, si proximus offenderetur, atq; dubitaret, num rectè facerem?

Resp. Scandalum illud, quod ex usu rerum licitarum proximus accipere potest, est vel malitiæ vel infirmitatis. Scandalum malitiæ proprium Empectarum est, qui vel intelligunt rem, & tamen, ut libidini

suæ

suæ satisfaciant, contradicunt;quales multi hodiè litem inutilem movent, ludentes interdum dictis Christi; nolite judicare; gratis accepistis,gratis date; nolite possidere aurum vel argentum vel pecuniam in zonis vestris &c. *Vel si non intelligunt, institutionem tamen meliorem admittere nolunt: quales erant olim Pharisæi, qui licèt Christus ipsis diceret, quod os ingreditur, non coinquinare hominem, ipsi tamen intelligere nolebant, sed offendebantur isto sermone. Tale scandalum contemnendum est,ne cedatur malitiæ hominum;quemadmodum Christus de Pharisæis illis dicebat ad discipulos: sinite eos,cæci sunt, & duces cæcorum, Matth. 15, 14. Scandalum infirmitatis est eorum, qui de rei licitæ usu nondum rectè sunt informati, quales sunt inter Christianos,pueri & juniores alij, de quibus Christus dicit: Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; item qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, & demergatur in profundum maris Matth. 18. Tales etiam multi sunt in cœtu Anabaptistarum, qui in multis Christianæ religionis articulis non rectè sunt instructi. Hi ne offendantur, rebus etiã licitis,inter ipsos ita utendum est,ut simul de usu licito ipsi rectè informentur; quòd si meliora edocti, nihilo minus in scandalo suo permanent, tunc sanè curandi ampliùs non sunt,quia jam scandalum infirmitatis degeneravit in malitiosum atq; Pharisaicum.*

QUÆSTIO IV.

Recténe ex hoc loco Pauli: Regnum Dei non est cibus aut potus: impugnantur leges

Canonicæ in Papatu de abstinentia certorum ciborum, diebus certis?

Resp: Rectissimè; non tantùm, quia cibos illos prohibent, quos Deus sanctificavit per preces & verbum; verùm etiam, quia tali abstinentia regnum Dei non parùm promoveri autumant. Docent enim in ea abstinentia ciborum hac ratione consistere regnum Dei, quia per eam subjicimur Deo, cupiditates carnis frenamus; quæ in Deum deliquimus, per abstinentiam in nobis ipsi vindicamus; Spir. nostrum ad cultum Dei alacriorem reddimus, iram Dei placamus, Deo pro peccatis satis facimus, misericordiam impetramus: quæ omnia vide apud Pererium disp. 3. in hoc cap. Etsi vero non negamus, temperantiam in cibo & potu hominem ad preces & alia exercitia pietatis expeditiorem reddere; quo nomine eam & suademus & commendamus in nostris Ecclesiis: fieri tamen potest, ut ea cedat homini in peccatum, ut 1. quando ad certos dies & cibos restringitur sub lege necessitatis; id enim contra scripturam est Coloss. 2. 1. Timoth. 4. & ratio Papistica, quòd carnes sint incendium libidinis, frivola est; id enim de multis delicatis piscibus longè verius est. 2. quando leges illæ canonicæ de abstinentia ciborum æquiparantur divinis, & tamen dispensatio in eis conceditur, imò pro pecunia venditur; cùm aliàs dispensatio contra legem divinam locum non habeat. 3. quando à cibis abstinetur opinione cultus divini, cùm tamen Deus frustra colatur mandatis hominum Matth. 15. 4. quando abstinentiæ illi tribuitur satisfactio & placatio iræ divinæ, meritumq; salutis: hoc enim in meritum Christi summè blasphemum est & injurium. Ideò Paulus noster διαρρήδην fatetur, regnum Dei non consistere in cibo & potu, sed justitiam merito Christi partam, pacem & lætitiam conscientiæ fatere eivem regni Christi: temperantia autem

illa ad hoc tantum est utilis, quod hominem ad exercitia pietatis promtiorem reddit; si verò opinio singularis cultus atq; meriti accedat, non saltem ad regnum Christi non pertinet, sed & ab eo excludit: quia regnum Dei non venit cum externâ illâ observatione Luc. 17.

QUÆSTIO V.

Numquid ex Aphorismo Paulino; Quicquid absq; fide est, peccatum est; rectè infertur: Ergo omnia opera infidelium, quia sine fide & speciali auxilio gratiæ facta, sunt peccatum?

Resp. Ita ex hoc loco infert inprimis Augustinus libr. 4. contr. Iulianum cap. 3. & multi ex scholasticis, Gregor. Ariminensis, Capreolus, Ruffensis, Ambrosius Catharinus & c. quos Pererius, ut Apostolo Paulo contradicat, refutare instituit disp. 5. & seqq. in hoc caput. Decisio autem quæstionis facilis est, si distinguatur inter virtutes Ethicas & Bona opera Christianorum. Illæ fieri possunt etiam naturali instinctu, absque singulari gratia Spiritus sancti: hæc non item. Quæstio autem est, num illæ virtutes Ethicæ peccatum appellandæ sint an bona opera. Sanè B. Augustinus peccatum nominare non dubitavit, non quòd in suo genere & materialiter actiones malæ sint, sed partim quia non recto fine fiunt, neq; etiam à persona Deo grata: nihil autem personam Deo gratam & acceptam facere potest, quàm fides in Christum: ex quo fundamento virtutes illæ Ethnicorum peccata vocantur, nimirum non

intrinsecè & in natura sua, sed extrinsecè in judicio Dei considerata, quia absq; fide facta. Idcirco Glossa ordinaria super hoc dictum Apostoli dicit, omnem infidelium vitam peccatum esse: & Bellarminus agnoscit, ante fidem nihil boni fieri posse, lib. 1. de justific. cap. 21. Etsi verò locus hic directè loquatur non de fide justificante, sed de persuasione certa cordis, quòd ea, quæ fiunt Deo non sint ingrata: valet tamen ratio, quòd opera eorum, qui in Christum non credunt, Deo non placeant. Nam si ea, quæ absq; ista fide fiunt, qua credimus aliquid esse concessum in rebus adiaphoris, peccatum sunt; multò magis peccata erunt, quæcunque fiunt absque certa fiducia cordis in Christum. Atq; sic dictum hoc Apostoli ab hypothesi ad thesin, vel etiam ab inferiore specie fidei ad superiorem rectè accommodare possumus. Est enim generalis Aphorismus de omni fide verus: Quicquid absque fide fit, peccatum est; sive intelligatur fides historica, sive fides conscientiæ, sive fides in Christum &c. Nihil igitur obstat, quò minùs etiam de fide justificante hoc dictum explicari queat, licèt hic ad aliam speciem applicetur. Quod si observetur, facilè solvi potest σόφισμα Bellarmini, quod nectit lib. 5. de liber. arbitr. cap. 10. quod ibi vide, & ea confer, quæ hic dicuntur.

Aphorismi Theologici ex hac parte capitis.

I. Scandalum est vel datum vel acceptum. Scandalum datum est vel dictum vel factum malum, quo quis alium reddit deteriorem. Acceptum est, vel dictum vel factum indifferens, quo alius deterior redditur suo vitio. Illud simpliciter damnatur Matth. 18. & hic ab Apostolo nostro prohibetur; hoc verò damnatur quidem in accipientibus, non autem in iis, qui dicto vel facto adiaphoro tempestivè utuntur; quale fuit scandalum Pharisæorum, quod acceperunt ex dictis & miraculis Christi Matth. 15.

2. *Commune & immundum scripturæ phrasi ferè sunt συνώνυμα; quia Iudæi, tanquam peculium Dei, peculiares habebant sanctiones, juxta quas vivebant, inter quas quoque erant ciborum & animalium discrimina Levit. 13. à quibus cæteræ gentes erant separatæ, quæ promiscuè utebantur cibis omnibus. Ita quoq; Christiani suas habent proprias leges, in quibus multa sunt prohibita, quæ gentilibus extra Ecclesiam sunt communia & vulgaria, puta, odium inimici, privata vindicta, flammæ libidinum, ebrietates & similia, quæ multis extra Ecclesiam vitiosa non videntur. Hoc ergo Christianorum quasi peculium est, quod pro virili custodiendum, tanquam infallibilis tessera, quâ separantur ab infidelibus.*

3. *Nullus cibus natura sua est immundus, quemadmodum olim volebant Marcionitæ & Manichæi, qui vinum vocabant fel Principis tenebrarum, & vescentes carnibus dicebant similes fieri ijs animalibus, quorum carnes fuerint, referente Augustino in libro de hæres. & Epiphanio hæresi 66. Contrà D. Paulus hîc dicit, se persuasum esse, nullum cibum in sese communem aut immundum esse. Rationem alibi addit, quia omnes sunt à Deo conditi in usum hominum, nihilq; rejiciendum, modò cum gratiarum actione accipiatur, quia sanctificatur per verbum & preces 1. Timoth. 4.*

4. *Caritas Christiana rationem habet infirmæ ac imbecillis conscientiæ, quæ de usu rerum liberarum nondum satis est instructa. Proinde eam informare prius conatur, quàm rebus etiam indifferentibus coram infirmo fratre utatur. Omnia enim ad ædificationem, nihil ad offensam fratris facienda sunt.*

5. *Passio & mors Christi est universale meritum perti-*

 nens

nens ad omnes singulosq; homines, eos etiam qui pereunt. Nam & hi reconciliati sunt Deo, ratione actus reconciliationis, qui respectu fructus factus est in ipsis irritus non culpa Christi, sed propriæ incredulitatis. Caveamus itaque, ne tantam Dei gratiam frustra accipiamus.

6. Finis mortis Christi primarius est Reconciliatio Dei cum hominibus: hoc fine nunquam frustratur Christus, licet nullus hominum convertatur, quia vult Deus omnes salvari per Christum, ideò dicitur Christus restaurasse omnia, quæ sunt in cælo & in terra. Finis secundarius est, reconciliatio hominis cum Deo, qui finis deficit in ijs, qui pereunt, quia ista reconciliatio fieri absq; fide nequit, quæ in illis deest.

7. Regnum Dei spirituale est, non de hoc mundo, sed in mundo colligitur prædicatione verbi & legitimo usu Sacramentorum, quibus medijs applicatur homini per fidem justitia Christi; unde sequitur tranquillitas conscientiæ & gaudium etiam in ipsis ærumnis: & in tali regno esse possunt etiam pauperrimi, qui & esuriunt & sitiunt: regnum enim Dei non est esca & potus, &c.

8. Servitus in regno Christi est Deo hominibusq; grata. Consistit enim in fideli apprehensione meriti Christi, & studio novæ obedientiæ, juxta mandata Christi: & hæc est libera Christianorum servitus & serva libertas, qua quis juxta mandata Christi Domini sui vivit, libero spontaneoque spiritu absq; coactione: de qua Paulus noster supra etiam docuit cap. 6, 18.

9. Lites non necessariæ de rebus fidei procul esse debent à Christianis, quales sunt disputationes, quibus non hæreticis resistitur, sed infirmorum conscientiæ turbantur, & opus Dei destruitur, quod in infirmorum conversione & ædificatio-

catione incepit. Ideò vult D. Paulus, ut ea quæ pacis sunt, sectemur v. 19. Dissidia autem cum hæreticis habere non est contentionis sed pietatis, inquit Chrysostomus.

10. *Professio rerum divinarum non semper utilis est: quia praxis ejus sæpè nocet infirmis, in quorum gratiam melius est scientiam abscondere, quàm intempestivè profiteri. Exempli gratia; Exorcismum posse abrogari, multi orthodoxi sciunt, sed si coram rudioribus multa de abrogatione Exorcismi disputare volunt, intempestiva scientiæ jactantia est, cui occinendum est hoc Apostoli nostri: Tu fidem habes? hoc est, scis verum usum hujus adiaphori, sed quæso penes temetipsum habe coram DEO: væ enim qui offendit fratrem pusillum!*

11. *Quicquid fit in rebus non saltem adiaphoris, sed & aliis omnibus, non hæsitante conscientia fieri debet. Quod si enim cor nostrum nos non accusat, fiduciam habemus ad Deum 1. Iohan. 3. v. 21. Exempli gratia; qui sacra cæna uti volunt sub una saltem specie, certi esse debent in conscientia, num rectè & juxta institutionem Christi faciant: qui imagines aut sanctos adorant, itidem certi debent esse de præcepto divino: aliàs conscientia ipsos coram DEO perpetuò accusabit, aut ad minimum in dubio relinquet, num rem DEO gratam fecerint.*

12. *Certitudo in rebus divinis aliunde peti non potest, quàm ex verbo DEI. Illud enim est fundamentum fidei, sive ea quoad notitiam, sive quoad fiduciam consideretur. Quicquid ergo in verbo non reperitur, nec quoad genus nec quoad species singulas, id nullo modo conscientiam pacare potest.*

13. *Opera cultusq; infidelium omnes Deo placere non possunt, quia fides est anima bonorum operum; quâ deficiente, ni-*

te, nihil bonum opus appellari potest. Aliter igitur judicandum est de operibus infidelium in judicio Dei, quàm in judicio hominum. Potest enim id, quod coram hominibus summam meretur laudem, vitiosum esse, juxta illud Hieronymi: Omnis virtus absq; Christo in vitio est. Unde apparet, quàm magnum sit discrimen inter virtutes fidelium & infidelium: illæ vix inchoatæ Deo placent, quia ex fide factæ; hæ etiam in excellenti gradu displicent, quia absq; fide. Unde rectè contra Pontificios inferimus: non opera fidem, sed fidem informare opera, &c.

CAPUT XV.

Argumentum & Partitio.

BIpartitum hoc caput est. In priore parte continuat Apostolus exhortationem suam de non offendendis infirmis, productis in medium argumentis alijs longè gravissimis, imprimis autem exemplo Christi, cujus ministerium inter infirmos magnopere prædicat, usq; ad v. 13. In altera parte præparat se ad Epilogum totius Epistolæ, excusatione suæ in loquendo libertatis, promissione sui adventus, & petitione, ne preces pro ipso fundere unquam intermittant.

PRIMA PARS

TEXTUS.

Ὀφείλομεν δὲ ἡμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν, καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν.

1. DEbemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.

2. Unus

Ἕκαστος γὰρ ἡμῶν τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν, πρὸς οἰκοδομήν.

Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν, ἀλλὰ καθὼς γέγραπται, οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σε, ἐπέπεσον ἐπ' ἐμέ.

Ὅσα γὰρ προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη· ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν, τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν.

Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως δώῃ ὑμῖν τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις, κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν·

Ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν Θεὸν καὶ πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς προσελάβετο ἡμᾶς εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ.

Λέγω δὲ Ἰησοῦν Χριστὸν διάκονον γεγενῆσθαι περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ, εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων.

Τὰ δὲ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν Θεόν· καθὼς γέγραπται, Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἔθνεσι καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ.

2. Vnusquisq; vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.

3. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me.

4. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.

5. Deus autem patientiæ & solatij det vobis id ipsum sapere in alterutrum, secundum Iesum Christum:

6. Vt unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

7. Propter quod suscipite invicem, sicut & Christus suscepit nos in honorem Dei.

8. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum;

6. Gentes autem super misericordia honorare Deum: sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.

Καὶ πάλιν λέγει, Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ.

Καὶ πάλιν, Αἰνεῖτε τὸν κύριον πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐπαινέσατε αὐτὸν πάντες οἱ λαοί.

Καὶ πάλιν Ἡσαΐας λέγει, Ἔσται ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαί, καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν, ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν.

Ὁ δὲ θεὸς τῆς ἐλπίδος πληρώσαι ὑμᾶς πάσης χαρᾶς καὶ εἰρήνης ἐν τῷ πιστεύειν, εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι, ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου.

10 Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe ejus.

11 Et iterum: Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.

12 Et rursus Esaias ait: Erit radix Iessæ, & qui exurget regere Gentes, & in eo Gentes sperabunt.

13 DEUS autem spei impleat vos omni gaudio & pace in credendo: in hoc ut exuberetis in spe, per potentiam Spiritus sancti.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Repetit ab initio capitis, propositionem superiùs tractatam, de non offendendis aut contemnendis infirmis. Debemus autem nos firmiores, *inquit,* imbecillitates infirmorum sustinere, & nō nobis ipsis placere, *v. 1. Termini suprà explicati sunt. Firmos vocat Christianos eos, qui in articulo de usu rerum indifferentium rectè sunt instituti: infirmos, qui de abrogatione ceremoniarum Mosaicarum adhuc hallucinabantur: imbecillitas ipsorū est ignorantia istius abrogationis, & quæ inde fluit, abstinentia à rebus non ampliùs prohibitis. Hos jubet* sustinere: *in græco est* βαστάζειν, *quod significat, instar sarcinæ alicujus portare. Docet itaq; tolerandos esse infirmos, licet id non sine molestia fiat, dum suis partim disquisitionibus, partim etiam temerariis judiciis de iis rebus, quas ipsi non intelligunt, negotium nobis facessunt. Potest autem hæc generalis esse admonitio de tolerandis quibuslibet*

 buslibet

buslibet infirmis, etiam de ijs, qui infirmam habent fidem, cum dubitatione misericordiæ Dei conjunctam, & de ijs, qui aliquantò morosiores, quorum semper magnus est numerus in Ecclesia. Argumentum primum suæ exhortationis petit Apostolus à necessario. Debemus hoc facere. Exigit enim lex caritatis Christianæ, ut alter alterum non destruat, sed ædificet. Est igitur hæc species illius debiti, quod suprà à nobis exigebat Apostolus cap. 13, 8. Secundum argumentum petitur à fine donorum, quæ habemus à Deo. Ideò enim à Deo sapientia ac intellectu in rebus divinis præditi sumus, non ut nobis ipsis placeamus, hoc est, nō ut donis illis superbientes, contemnamus alios; sed ut proximi juvemus utilitatem. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat, *inquit*, in bonum, ad ædificationem v. 2. *Aliud est placere proximo, aliud placere in bonum. Illud est φιλαυτίας, quam versu præcedēte prohibuit, quâ quis suis duntaxat commodis intentus, laudem quærit apud proximum: hoc est caritatis, quâ quis proximum juvare studet, quod urget hoc loco Apostolus tanquam finem ordinarium, cujus gratia bona nostra à Deo accepimus. Tertium argumentum desumtum est ab exemplo CHRISTI.* Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: improperia improperantiū tibi ceciderunt super me. *v. 3. Pertinet hoc exemplum ad utrumq;, quod modò dixerat, nimirum 1. unumquemq; tolerare debere infirmos: nam & hoc Christus fecit, qui non modo imbecillitatem, sed & malitiam hominum tolerare potuit patienter, sputa, probra, scommata & convitia, quæ hostes in ipsum magna copia, tempore passionis suæ, evomuerunt, id quod testimonio Psal. 69, 10. qui totus de Christo loquitur, comprobat. 2. neminem sibi ipsi placere, aut sua saltem commoda quærere debere. Nam & hoc Christus fecit, qui non sibi sed nobis passione suâ profuit*

fuit. Quod argumentum sanè longè firmissimum est, quia Christus passione suâ exemplum nobis reliquit, ut sequeremur vestigia ejus 1. Petr. 2, 23. Ne tamen objici posset, exemplum Christi tanquam μονότροπον καὶ ἐξαίρετον, nihil ad nos; Apostolus occupatione occurrit, à generali fine totius scripturæ v.4, Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. *Nihil eximit in scriptura a nostro usu; ergo nec exemplum Christi patientis. Recitat autem usum scripturæ divinitus inspiratæ triplicem. 1. prodest πρὸς διδασκαλίαν, ad doctrinam nostram, hoc est, ad scientiam verè Theologicam, quæ consistit partim in agnitione DEI & nostri, quæ duo capita omnes articulos doctrinæ Christianæ uno quasi complexu continēt, partim in informatione vitæ & morum, quam D. Paulus alibi vocat παιδείαν ἐν δικαιοσύνῃ, 2. Tim. 3. v. 2. 2. prodest πρὸς ὑπομονὴν, ad patientiam in adversis, quæ fluit ex recta institutione: ideò dicit, prodesse scripturam ad doctrinam, ut per patientiam spem habeamus; est enim doctrina fons omnium cæterarum utilitatum. 3. prodest πρὸς παράκλησιν, ad consolationem, quam abundè suppeditat scriptura dictis & exemplis sanctorū: & oritur illa ex patientia, cui etiam postponitur. 4. prodest, πρὸς ἐλπίδα, ad spem melioris vitæ & fortunæ, quam gignunt patientia & consolatio ex scripturis hausta. Nam patientia non frangitur in adversis: consolatio felicem promittit exitum: hinc suscipitur spes melioris boni, quæ non pudefacit. Hæc ergo generalis fuit sententia de utilitate scripturæ, ex qua ita concludere videtur Apostolus. Nihil est in scriptura in dictis vel exemplis, cujus non usus esse possit aliquis in vita humana, vel ad doctrinam vel*

Usus scripturæ triplex.

ad patientiam vel ad consolationem: ergo & passionem Christi in nostrum usum conferre possumus, non tantum quatenus doctrina & consolationis plena est, sed & quatenus eximium patientiæ exemplum exhibet. Huic præoccupationi aliam adjungit. Dicere enim poterant Romani *: Unde petenda est patientia & consolatio, quam scriptura quidem monstrat in exemplis; penes me verò non est ea felicitas, ut Sanctos illos imitari valeam? respondet Apostolus, à DEO petendam eam esse felicitatem. Ideirco votum addit v. 5.* DEVS autem patientiæ & consolationis det vobis id ipsum sapere in alterutrum, secundùm Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & *Pa*trem Domini nostri Iesu Christi. *Remittit nos ad DEVM, quem vocat Deum patientiæ & consolationis, quia is est, qui per ministeriũ scripturæ sanctæ eam nos docet, & per S. Sanctum in nobis operatur. Ab hoc precatur Romanis verũ consensum in doctrina, & quæ exinde est, concordiam mutuam, ut patienter alter alterum toleret exemplo Christi, in hunc finem, ne impediatur gloria Dei, quæ unitate fidei, conjunctione Spiritus & precum vel maximè promovetur. Cùm ergo hoc argumentum ab exemplo Christi maximi sit momenti, jam paucis illud repetit Apostolus v. 7.* Propter quod suscipite invicem; sicut & CHRISTVS suscepit vos in honorem *DEI.* ἐνθυμηματικῶς *proponit prius argumentum. Christus dignatus fuit, vos multis modis languidos ac imbecilles assumere in gloriam Patris: ergo & vos invicem adsumite, & infirmitates vestras patienter tolerate. Antecedens probat per distributionem totius generis humani in duas classes, Iudæorum ac Gentilium, propter quos in mundum venit, ut utrosque in gloriam Patris adsumeret. De Judæis loquitur v. 8.* Dico enim, Christum ministrum fuisse

circum-

circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. *Vocat Christum ministrum circumcisionis, hoc est, Iudæorum, apud quos se in statu exinanitionis suæ ad quævis servitia subjecit, inprimis autem, quod Evangelij doctrinam ipsis primùm revelavit, ægrotos ipsorum curavit, & miracula alia edidit, quibus ad salutem converti poterant: idq́ fecit ex destinato Dei consilio, qui Patribus Iudæorum hanc felicitatem jam pridem promisit Gen. 12; 15. 2. Sam. 7. Psal. 110. cujus promissionis veritatem Christus hac ratione stabilire debuit. Atque sic Christus Iudæos adsumsit, licèt quàm plurimis infirmitatibus obnoxios: unde tacitè inferre vult, ipsos à gentilibus propter varia vitia contemnendos non esse. De gentilibus agit v. 9. seqq. eosq́ à CHRISTO non minus adsumtos in gloriam DEI, ex merâ bonitate ac misericordia, absq́ ullo ipsorum merito, probat testimonijs Propheticis Psal. 18, 50. Deut. 32. Psal. 117, 1. Esa. 11, 10. quibus vaticinijs satisfactum est, postquam Christus gentes etiam pro gratuita sua misericordia respexit: unde inferre vult, ipsos etiam à Judæis, tanquam extraneos, non despiciendos esse. Testimonia Prophetica, quæ hic allegantur, clara sunt. Primum ex Psalmo 18. prædicat ἐξομολόγησιν Dei inter gentes, quæ fit partim prædicatione verbi, partim invocatione veri Dei. Talis etiam inter gentes prædicta est: ergo & gentes à Christo sunt adsumtæ, & ad gremium Ecclesiæ vocatæ. Secundum ex Deut. 32, 45. ubi jubentur gentes lætari cum populo Dei: ergò certò futura erat conjunctio horum populorum in Ecclesia. Tertium ex Psalmo 117. prædicat effectum istius conjunctionis, nimirum honor & gloria Dei inter omnes populos. Quartum ex Esa. 11. quia radix Iessæ, hoc est, Messias ex prosapia Isai oriundus, erit imperator atq́ spes gentium: ergò & gentes à beneficijs*

Christus minister circumcisionis.

Meßiæ non sunt exclusæ. Hoc erat argumentum Pauli ab exemplo Christi petitum: jam claudit totam illam exhortationem suam pio voto. Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & virtute Spiritus sancti. *Tria ipsis precatur 1. concordiam mutuam in credendo, hoc est, consensum in doctrina fidei, quæ non admittit alterius contemtum. 2. verum gaudium & tranquillitatem conscientiæ perpetuam, quæ esse non potest inter illos, quorum animi dißidijs & rixis sunt disjuncti. 3. abundantiam spei, hoc est, incrementum fiduciæ, quam habemus in Christo. Et hæc omnia precatur eis à Deo spei per virtutem Spiritus Sancti, quia Deus Pater & spem illam & cætera beneficia operatur in nobis, & per Spiritum sanctum tempore tribulationis in animis nostris obsignat.*

Paraphrasis hujus partis.

Ex his omnibus, quæ hactenus dicta sunt, intelligitis, nostri esse officij, ut qui rectius in rebus fidei instituti sumus, cæterorum qui imbecilliores sunt, rationem habeamus. Requirit hoc caritas Christiana, quam alter alteri debemus: requirit & finis donorum, quæ à Deo accepimus, non ut ex φιλαυτίᾳ quadam alios non ita divinitùs ornatos despiciamus, sed potius in usum eorum ea conferamus: requirit etiam hoc nomen nostrum, quod à Christo accepimus, quod admonere nos debebat, nos imitatores Christi esse oportere. Christus autem non sui commodi gratia, sed in salutem hominum non saltem infirmiorum vitia, sed & malitiosorum con-

convitia, opprobria & sarcasmos patienter pertulit, tantum abest, ut imbecilles spreverit, aut à facie suâ abjecerit. Quod exemplum scriptura nobis ad imitationem proposuit, quemadmodum aliàs omni sua parte institutioni, patientiæ ac consolationi nostræ succurrit, ne spes futuræ felicitatis nobis inter tot hujus seculi ærumnas, intercipiatur. Sed quia non est vestrarum virium, ad exemplum illud sanctissimum vos conformare: Deum pro vobis supplex veneror, Deum nimirum illum omnis patientiæ ac solatij autorem, ut consensum sanæ doctrinæ vobis clementer largiatur, quò ad exemplum Christi infirmiores patienter inter vos toleretis, atque sic uno corde ac ore honoretis verum illum DEUM, qui Pater est Domini nostri JESU CHRISTI. Quapropter, carissimi, implete hoc votum meum, nolite vos invicem spernere, dignamini vos honore ac amore mutuo, quemadmodum & Christus vos honoravit, non dedignatus vos coram DEO Patre acceptos reddere ac gloriosos, qui honore isto eratis sanè indignissimi. Vos inquam, Iudæos pariter & gentiles. Iudæorum enim minister factus, ut satisfaceret promissionibus patribus olim factis, præco fuit justitiæ inter ipsos, alliciens eos ad se & verbis & miraculis, nihil deterritus incredibili ista pertinacia ac contemtu, quo se tanta Dei gratia & tam sanctis filij sui servitijs indignos reddebant. Gentiles etiam nil tale merentes ex mera sua gratia ac misericordia respexit, ac in Ecclesiæ gremium recepit, ut satisfaceret vaticinijs Prophetarum, in quibus tanta gentilium felicitas prædicta erat. Faxit Altissimus, DEUS, ille in quem speramus, & à quo

sub

ſub cruce ſpem ac patientiam expectamus, ut exemplum hoc Chriſti Domini noſtri feliciter imitantes, repleamini per Spiritum ſanctum vera pace ac tranquillitate conſcientiæ, quotidieq; in fide incrementa faciatis: id quod impetrare non poteſtis, niſi ſincero conſenſu in fide ac converſatione indies proficiatis, veſtrasq;, quibus utrinq; non caretis, infirmitates ex animo vobis invicem condonetis.

Quæſtiones ex hac parte capitis.

QUÆSTIO I.

Vult Apoſtolus v. 2. ut quilibet placeat proximo: alibi verò contrarium videtur ſentire, quando ſcribit; ſi hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem Galat. 1, 10.

Reſp. Duplici diſtinctione explicari poteſt hæc φαινομένη *ἀντιλογία. i. phraſis illa,* placere alicui, *dupliciter accipitur. Vel enim includit* φιλαυτίαν, *quâ quis ſuam duntaxat quærit gloriam apud alios, quibus placere ſtudet, quod eſt ſtultorum proprium, ab ore vulgi pendentium; quo pacto non vult aliis placere Apoſtolus, quia vulgi de ſe judicia parùm curat. Vel includit ſtudium inſerviendi aliis: & ita debemus placere aliis in omnibus vitæ noſtræ actionibus. Non enim nobis ipſis nati ſumus, ſed partem ſtudiorum noſtrorum patria, partem parentes, partem amici ſibi vendicant. Et hoc pacto vult Apoſtolus, ut quiſque ſtudeat placere proximo, hoc eſt, inſervire & prodeſſe, id*

quod

quod adjecta limitatio ostendit, qua vult, ut placeamus, proximo in bonum seu ædificationem: Qui finis esse debet omnium actionum nostrarum. Deinde: aliud est placere hominibus, aliud placere proximo. Hominum enim vocabulum generale est, & sæpè promiscuum vulgus notat, cujus popularem auram captare non decet. Proximus autem est, quisquis ope nostra indiget, ut apparet ex parabola Christi Luc. 10, de eo, qui inter latrones ceciderat. Huic igitur placere decet, quia omnia nostra studia ac officia proximo nostro inservire debent.

QUÆSTIO II.

Scribit Apostolus v. 3. Christum sibi non placuisse, hoc est, passione sua sibi nil profuisse (ea enim de re ibi loquitur) sed quomodo hoc convenit cum eo, quod alibi dicit, Christum propter passionem atq; mortem gloria coronatum fuisse? Hebr. 2, 9. ibi enim passio atq; mors quasi caussa subsecuturæ gloriæ, & gloria quasi meritum antegressæ passionis statuitur?

Resp. Ita quidem textum Epistolæ ad Hebræos corruperunt Pontificij, Bellarm. lib. 5. de Christo cap. 9. & Busæus thes. 44. cont. Gerlach. quos inter Sacramentarios hodie sequitur Iohannes Piscator, quasi Christus humilitate, obedientia & passione sua promeruerit exaltationem atq; glorificationem humanitatis. Quod si verum esset, utiq; Christus perpetiendo

opprobria hostium placuisset, hoc est, promeruisset aliquid sibiipsi, quod negat noster Apostolus. Alius igitur sensus est loci Apostolici ex Epistola ad Hebræos allegati, ubi præpositio διὰ, PROPTER, non est caussalis, sed ordinis, hoc sensu: Christi passio atque mors via fuit ac medium illud, per quod Christus evectus fuit ad plenariam gloriæ usurpationem. Hanc enim non demum morte sibi adquisivit, sed in prima unione carnis suæ cum λόγῳ accepit, cujus plenarium usum tempore humiliationis suæ inhibuit ac suspendit. Eodem planè sensu Paulus noster scribit Phil. 2. Christum humiliasse seipsum, obedientem factum usque ad mortem crucis, propter quod Deus illum exaltaverit: ubi itidem illud; διὰ propter quod, ordinem atque medium notat, non originem aut meritum exaltationis.

QVÆSTIO III.

Precatur Apostolus Romanis suis, ut idem sentiant omnes inter se invicem secundùm IESVM CHRISTVM, v. 5. id verò, quomodo possibile est, cùm Ecclesia nunquam caruerit dissensionibus, secundùm illud: Oportet esse hæreses inter vos, 1. Cor. 11. &, Inter sanctos suos Deus dona sua non dispensavit æqualiter, 1. Cor. 12?

Resp. Primùm sciendum est: Votum hic esse Apostoli non assertionem facti. Optandum enim est omnino, ut ex omni parte consensus sit in doctrina, inter ejusdem Ecclesiæ membra:

Sed

Sed sperare non licet, propter Diaboli malitiam & hominum imbecillitatem, qui & novitatis sunt studiosi, & ad decipiendum faciles. Orandum tamen est, ut Deus animos hominum in unitate fidei magis magisq; conjungat. Deinde distinguendũ est inter articulos fidei, & ea quæ sunt circa fidem, seu res indifferentes. *In articulis fidei non dissentiunt ij, qui vero fraternitatis Christianæ vinculo sunt conjuncti: & hoc est idem sentire,* secundum Iesum Christum, *hoc est, in ijs rebus, quæ fundamentum salutis nostræ concernunt. Possunt autem dissentire in ceremonijs & circumstantijs fidei, quæ unitatem religionis, multò minùs fraternitatem Christianam non tollunt. Viderit autem Paræus, quo jure ab ijs, quæ ad salutem sunt necessaria, removeat disputationes de præsentia corporis Christi, in cæna de manducatione indignorum, de majestate carnis Christi, quam ipse ubique præsentiam nominat, de prædestinatione salvandorum, de regeneratione hypocritarum; quæ omnia ipsi quàm longißimè abesse coguntur à doctrina salutis, cùm tamen nucleus doctrinæ illius in istis ferè capitibus consistat. Deniq; sciendum est, D. Paulum dicere quidem, hæreses semper esse inter Christianos, non autem ipsos Christianos esse hæreticos: sed coguntur ista inter se tolerare zizania usq; ad diem meßis, licèt ipsi per Dei gratiam ab hæresi prorsus sint alieni.*

Paræus pag. 1554. sui commentarij.

QUÆSTIO IV.

Quando Paulus scribit; quicquid scriptũ est, in nostram doctrinam scriptum est, ut per patientiam ac consolationẽ scripturarũ,

 spem

spem habemus: rectène hinc infertur, scripturam non esse regulam fidei, sed saltem commonitorium quoddam utile, ad conservandam & fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam?

Resp. Ita quidem ex hoc loco argumentatur Bellarminus lib. 4. de verbo Dei non scripto cap. 12. sed valdè ineptè. Si enim ad doctrinam nostram utilis est scriptura, utiq; finis ille non exclusus est, ut doctrina ex scriptura probetur & dijudicetur. Primarius ergo finis iste scripturæ est, quòd est norma doctrinæ: idcirco Apostolus, quoties de utilitate scripturæ loquitur, doctrinam semper primo loco ponit, ut patet ex hoc loco & 2. Tim. 3. v. 16. Deinde concedimus, scripturam esse etiam commonitorium nostrum: id enim Apostolus infrà fatetur ver. 15. hujus capitis, ubi scribit, se Epistola sua commonefacere Romanos de iis, quæ didicerant: & D. Petrus scribit 2. Petr. 1. v. 12. se semper commonere velle auditores suos. &c. Sed hic finis scripturæ neq; solus est, neq; primarius. Pueriliter igitur concluditur: scriptura commonefacit nos; ergo non docet, neq; est norma doctrinæ: nam fines subordinarii se mutuò non excludunt, multò minus secundarius principalem tollit.

QUÆSTIO V.

Optat Apostolus Paulus, ut Deus per Spiritum sanctum impleat Romanos omni gaudio & pace: ergóne Spiritus Sanctus non

est verus Deus, sed minister ac instrumentum Dei?

Resp. Præpositio PER non semper significat instrumentum, sed sæpè caussam efficientem: idcirco interdum per aliam propositionem Ex, exponitur, ut Rom. 3. Vnus est Deus, qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem: & ipsi Deo Patri interdum tribuitur, quem nemo unquam instrumentum aut caussam ministerialem effectus dixerit, ut Rom 6. Christus resuscitatus est PER gloriam Patris, hoc est, gloriosa potentia Patris. Ita hîc quoq; quando per Spiritum Sanctum impleri dicimur à Deo gaudio ac pace, non notatur instrumentalis sed efficiens caussa salutaris illius effectus. Scriptura autem non sine caussa ita distinctè loquitur, sed 1. ut ostendat discrimen personarum in SS. Trinitate. Agit igitur Deus per S. Sanctum, non tanquam Dominus per ministrum, sed tanquam persona per personam: ubi una eademq; est ἐνέργεια Patris & Spiritus Sancti, Personæ autem sunt distinctæ: ita Deus Pater per filium creasse dicitur omnia, non quasi filius non sit creationis principium, sed quia distincta à Patre est persona. 2. in Spiritu Sancto peculiaris accedit ratio: quia enim is est σφραγὶς & arrba hæreditatis nostræ, qua obsignatur in cordibus nostris pax & gaudium vitæ æternæ, ideo rectè dicitur Deus per Spiritum Sanctum nos adimplere omni gaudio: hoc enim dedit pignus in cordibus nostris, quòd simus FILII DEI: id quod nulli personæ in scriptura, quàm Spiritui Sancto adscribitur Rom. 8, 16.

Cur scriptura de personis S. Trinitatis in operibus ad extra distinctè loquatur, à Patre, per filium, in Spiritu sancto?



Aphorismi Theologici ex hac parte Capitis.

1. *φιλαυτία turpe & perniciosum est vitium, quod laborantem eo, melioribus infensum, & quibus inservire debebat, inutilem & otiosum reddit. Nam qui sibi ipsi placet, ei cæteri omnes displicent, tantùm abest, ut errantem in viam reducere studeat, quod studium homine Christiano dignum, vel inprimis commendat hoc loco D. Paulus v.1. & D. Jacobus cap.5,19.*

2. *Imbecillitas infirmorum in fide, non est absq; magna molestia aliorum: ideò hic comparatur oneri, quod portare debeamus. Molestum enim est, suspendere actiones in sese licitas & nobis utiles. Sed utilitas proximi anteferenda est commoditati propriæ si absq; vulnere conscientiæ fieri potest: ideò jubemur alterius onera portare, quod qui facit, legem CHRISTI implevit, dicente Apostolo nostro Galat. cap. 6. ver. 2.*

3. *Christi actio est nostra institutio: quin & passio ejus est luculentum speculum multarum maximarum virtutum, inter quas præcipua est patientia, quæ tolerat plagas & convitia etiam injusta, eoq; nomine commendatur imitatio Christi & hic, v.3. & Phil.2,3. Qui ergò convitia fert patienter, Christum imitatur; qui infert, Antichristum: quò refer locum Christi Matth.5,11. & 10,25.*

4. *Dicta & exempla scripturæ non tantùm scientiæ, sed & conscientiæ nostræ inserviunt. Nam & erudiendi sumus in fide, & consolandi in cruce, quod nulla disciplina meliùs præstare potest, quàm quæ divinitùs est inspirata, & in scripturis Prophetarum & Apostolorum deposita. Quilibet igitur videat*

videat, quomodo audiat & legat scripturam, quomodo etiam applicet exempla sanctorum. Ea enim, quæ vitiosa sunt in sanctis, ita legenda sunt, ut inserviant 1. doctrinæ, videlicet, sanctitatem nostram in hac vita imperfectam, neq; legem Dei ab ullo hominum impletam esse, Ecclesiamq; non constare puris putis sanctis, & quæ sunt similia. 2. consolationi, quando pœnitentiam ipsorum consideramus, qua misericordiam Dei sunt consecuti. 3. patientiæ in ærumnis, quibus Deus interdum peccatores etiam post pœnitentiam exercere solet.

5. *Patientia & vera consolatio in adversis non est opus humanarum virium, sed Dei donum, qui propterea vocatur Deus patientiæ & consolationis: à quo & petendum est hoc beneficium: & ut impetrare valeamus, cavendum est, ne nobis ipsis crucem accersamus, sed expectemus, donec eam Deus imponat. Is enim & premit & erigit: qui autem semetipsos premunt, hos interdum deserit.*

6. *Concordiæ duo sunt principalia effecta, 1. mutua officiorum promtitudo, de qua v. 5. 2. precum & laudum divinarū communio, de qua v. 6. Ea omnia rumpuntur distractione animorum. Nam ubi odium regnat & invidia, ibi pietatis officia exulant, preces etiam negliguntur; siquidem eos, qui lites alunt conscientia accusat, quod non possint invocare DEVM, qui pura mente colendus, & absq; iracundia sanctis manibus adorandus est. 1. Tim. 2, 8.*

7. *Incarnationis Christi maximus fructus est, quòd ipse Dei filius adsumsit nos in gloriam Dei, ver. 7. Quod factum est 1. quando carnem nostræ carni ὁμοούσιον sibi personaliter univit, & in unitatem personæ suæ adsumsit,*

eamq; gloria & honore planè divino coronavit. 2. quando nos naturâ filios iræ fecit filios Dei, æternæq; felicitatis hæredes. 3. quando nos deniq; faciet æternæ & cœlestis gloriæ, cum omnibus sanctis angelis consortes, ubi videbimus gloriam Dei sine fine: id quod in transfiguratione Christi præfiguratum fuit Matth. 17.

8. Iudæi ex consilio Dei in regno Christi semper primas tenere debuerunt. Idcircò & Christus minister circumcisionis vocatur, quia ex Judæis natus, ut Judæus circumcisus octavo die, inter Iudæos educatus, Judæis etiam primùm omnium concionatus est, & tamen à nemine crudeliorem perpessus est persecutionem quàm ab his ipsis popularibus: venit enim in sua, & Sui eum non receperunt. Propterea & damnatio Iudæorum erit durior in novissimo die, quemadmodum Christus ipsis prædixit Luc. 13. Matth. 23. &c.

9. Christus est Iudæorum & gentilium Mediator, licèt initium prædicationis fuerit inter Iudæos ob promissiones ea de re patribus factas Gen. 15, 22. &c. tamen mediationis beneficium adæquè omnes attingit, & suo tandem tempore etiam gentilibus annunciatum fuit, ex quibus tanquam postremis tandem facti sunt primi. Hinc illud Apostoli doctoris gentilium Rom. 3, 29. An Iudæorum Deus tantum? nonne & gentium? imò & gentium, quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

10. Misericordia Dei est, quòd gentes quoq; ad gremium Ecclesiæ vocavit, super quo honorare debent Deum, monente Apostolo nostro: quod fit non solùm verbis, sed & facto & vita: ne indignos præstemus nos vocatione nostra, per quam in locum Iudæorum recepti sumus: aliàs pœna in nos lon-

nos longè gravior cadet, quàm in Judæos: quod & suprà cap. 11. v. 21. docuit Apostolus.

11. Spes interdum latiore significatu idem est ac fiducia. Ita de gentibus hic dicitur; in ipso sperabunt, hoc est, credent in ipsum, fiduciam in eo ponent. Atque sic accipiendum est hoc vocabulum, quotiescunq; ei salus in Scriptura tribuitur, quo sensu in Psalmis crebrò dicitur: sperate in Domino: in te Domine speravi: beati qui sperant in eo. Similia extant loca Act. 42, 25. Rom. 8, 42. Col. 1, 23. Matth. 12, 12. Iohan. 5, 45. 1. Timoth. 6, 17. &c.

12. Deus est spes nostra, quia est Deus spei. In ipso itaque solo sperandum, non in sanctis: ipse solus spem facit firmam, & non vacillantem: homines etiam spem facere possunt, sed sæpè absq; re. Deus autem non est homo, qui mentiatur, Num. 23. sed ipsius dicere vel promittere, est facere & præstare.

13. Gaudium perfectum est, quod perpetuò sibi constat, nullisq; hujus mundi turbis interrumpitur. Tale gaudium est bona conscientia, quæ suam in Deo collocavit fiduciam: huic omnes adversitates sunt vice cotis, acutum reddere quæ ferrum valet, expers ipsa secandi. Homines enim mali, qui affligunt bonos, ipsi quidem ignorant Deum & bonitatem ejus: faciunt autem eam hominibus dulcescere, qui iis affliguntur. A Deo autem tale gaudium petendum est, cujus est & conservare bonam conscientiam, & sanare vulneratam.

PARS ALTERA
TEXTUS.

Πέπεισμαι δὲ, ἀδελφοί μου, καὶ αὐτὸς ἐγὼ περὶ ὑμῶν, ὅτι καὶ αὐτοὶ μεστοί ἐστε ἀγαθωσύνης, πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως,

14. CErtus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia,

δυνάμενοι καὶ ἀλλήλους νουθετεῖν.

Τολμηρότερον δὲ ἔγραψα ὑμῖν, ἀδελφοί, ἀπὸ μέρους, ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς διὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ.

Εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

Ἔχω οὖν καύχησιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τὰ πρὸς θεόν.

Οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τι ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστὸς δι' ἐμοῦ, εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, λόγῳ καὶ ἔργῳ.

Ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων, ἐν δυνάμει πνεύματος Θεοῦ, ὥστε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ.

Οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, οὐχ ὅπου ὠνομάσθη Χριστός, ἵνα μὴ ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομῶ.

Ἀλλά, καθὼς γέγραπται, Οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται· καὶ οἳ οὐκ ἀκηκόασι, συνήσουσι.

ita ut possitis alterutrum monere.

15. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi à DEO.

16. Vt sim minister CHRISTI JESU in gentibus, sanctificans Evangelium DEI, ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu sancto.

17. Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum.

18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus, in obedientiam gentium verbo & factis.

19. In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi.

20. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.

21. Sed, sicut scriptum est; Quib. non est annunciatū de eo, videbūt: & qui non audierunt, intelligent.

22. Pro

Διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην τὰ πολλὰ τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς.

22. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos.

Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις, ἐπιποθίαν δὲ ἔχων τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν,

23. Nunc verò ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis.

Ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς· ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς, καὶ ὑφ᾽ ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ, ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ.

24. Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos & à vobis deducar illuc: si vobis primùm ex parte fruitus fuero.

Νυνὶ δὲ πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλήμ, διακονῶν τοῖς ἁγίοις.

25. Nunc igitur proficiscor in Jerusalem ministrare sanctis.

Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία καὶ Ἀχαΐα κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι εἰς τοὺς πτωχοὺς τῶν ἁγίων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ.

26. Probaverunt a. Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Jerusalem.

Εὐδόκησαν γάρ, καὶ ὀφειλέται αὐτῶν εἰσιν· εἰ γὰρ τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν ἐκοινώνησαν τὰ ἔθνη, ὀφείλουσι καὶ ἐν τοῖς σαρκικοῖς λειτουργῆσαι αὐτοῖς.

27. Placuit n. eis; & debitores sunt eorum; nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.

Τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας, καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον, ἐπελεύσομαι δι᾽ ὑμῶν εἰς τὴν Σπανίαν.

28. Hoc igitur cùm consummavero & assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam.

Οἶδα δὲ ὅτι ἐρχόμενος πρὸς ὑμᾶς ἐν πληρώματι εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ ἐλεύσομαι.

29. Scio autem, quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam.

Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς ἀδελφοὶ διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ πνεύματος, συναγωνίσασθαί μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεόν.

30. Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christũ, & per charitatem Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.

Ἵνα ῥυσθῶ ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις.

Ἵνα ἐν χαρᾷ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς διὰ θελήματος Θεοῦ, καὶ συναναπαύσωμαι ὑμῖν.

Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης μετὰ πάντων ὑμῶν· ἀμήν.

31\. Vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis.

32\. Vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, ut refrigerer vobiscum.

33\. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

F*Inita exhortatione de tolerandis infirmis in fide & suspendendis temerarijs judicijs, jam de sua persona aliquid attexit, ne affectata quadam arrogantia sibi imperium sumere videatur in Romanos orbis dominatores & alieni imperij impatientes. Tria autem sunt, quæ hac in parte de persona sua attingit. 1. excusat suam in loquendo libertatem. 2. suum promittit adventum. 3. Romanorum pro se preces expetit. Excusationis propositio hæc est: Nolite mihi vitio vertere, quòd liberius hactenus vobiscum egi. Constat hæc Propositio* περίληψις, *quæ extat v. 14. & 15.* Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, quòd & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vobis revocans, propter gratiam quæ data est mihi à Deo. *Tribuit Romanis dilectionem & scientiam* ἀγαθωσύνην καὶ γνῶσιν: *illa facit, ut velit alter alterius commoda quærere; hæc, ut posit. Ac proinde dicere vult: scio vos & velle*

velle & posse vos mutuò exhortari in iis, quæ vestrum ordinem decent: Ego tamen nihilominus aliquantò liberiùs vobiscum agere volui in hac Epistola, non ut vos aliquid novi docerem, sed ut ea, quæ iam antè intelligitis, in memoriam vobis revocarem. *Hujus suæ libertatis, qua in scribendo usus fuerat, has caussas affert. 1. ab utili: ait enim se hoc facere commonefaciendi, quin & confirmandi gratiâ, ut videant, se non errare, si mutuis exhortationibus sibi invicem succurrant; idem enim ab Apostolo quoq; fieri. 2. à necessario: hoc enim sibi est injunctum à Christo, qui ipsum constituit Apostolum gentium.* Gratia mihi data est à Deo, *inquit*, ut sim minister Christi Jesu in gentibus; sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. *Rationem suæ vocationis reddit, in qua ostendit primùm vocantem, nimirum Christum Jesum: Is enim in conversione ad Ananiam dixit de Paulo: Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel. Officium vocationis est* sanctificare Evangelium. *In græco vocat se* ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, *hoc est, ministrum sacrum doctrinæ Evangelicæ; non quasi eam demum sanctificare possit suâ prædicatione; sed quia prædicatio Evangelii in sese est sacrum officium Deo longè gratissimum. Finis hujus officii est, ut* gentes fiant oblatio munda & sanctificata in Spiritu sancto. *Loquitur metaphoricè de rebus mysticis, & sacrificium novi Testamenti vocat ipsa gentilium corda per prædicationem Evangelii ita præparata atque adornata ut, DEO placere possint, tanquam victimæ puræ, quia per fidem in Christum, qui prædicatur in Evangelio, sunt purificatæ à Spiritu sancto Actor. 15. Respicit haud dubiè Apostolus ad locum Malach. cap. 1, 11. ubi de sacrificio solenni agit Propheta, quod*

tempore novi Testamenti Deo in omni loco, & quidem inter gentes offeretur; id quod Apostolus noster de prædicatione verbi interpretatur, qua credentes in omni loco instar victimarum consecrantur & offeruntur Deo. 3. tertiam denique exhortationis suæ caussam affert, petitam itidem à necessario, hoc est, à singulari instinctu Dei, ex quo tam liberè ad ipsos fuerit locutus. Habeo igitur gloriam in CHRISTO JESV ad DEVM. Non enim audeo, *inquit*, aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti vers. 18 19. *Iterum provocat, ad Christum, quem omnium suarum actionum autorem facit, earum nimirum, quæ ad Deum & ædificationem Ecclesiæ ex gentibus collectæ pertinent. Harum duo facit genera, Dicta & Facta. Dicta sunt omnes ejus conciones, quas paßim ubique inter gentes habuit. Facta vicißim sunt duplicia, naturalia & præternaturalia. Naturalia sunt labores ipsius in Ecclesia hinc inde suscepti & exantlati. Præternaturalium duas constituit species, signa & prodigia. De præternaturalibus priùs agit,* Signa *vocat miracula sua in morbis sanabilibus edita, quorum exempla extant Actor. 28.* Prodigia *sanationem defectuum incurabilium, cujus exemplum extat, Act. 14. 9. Signis tribuit virtutem, hoc est, efficaciam & operationem in animis spectantium, qui hac ratione ad fidem faciliùs sunt adducti. Alibi addit insuper tertiam speciem, nimirum,* Virtutes *2. Cor. 12, 12. per quas intelligit imperium in Diabolos, quo Paulum nostrum etiam valuisse constat Act. 13. & 14. cap. Hæc omnia facta dicit ex virtute Spiritus sancti notans originem & caussam efficientem istarum actionum. De naturalibus suis actionibus, seu laboribus*

vocationis

vocationis suæ, agit jam in exemplo v. 19. 20. A Ierusalem *inquit*, per circuitum usque ad Illyricum replevi Evangelium Christi. *Hæc est, brevis delineatio bonæ parti curriculi Paulini in munere Apostolico, in quo certè non otiosus sedit, sed spacio 18. annorum (nam decimo octavo anno à tempore conversionis suæ hanc scripsit Epistolam) loca circa mare mediterraneum omnia, Syriam, minorem Asiam, Troadem, Macedoniam, Græciam, Achajam, Peloponnesum, Cretam peragravit, & doctrina Evangelij complevit. Et hæc fuit laborum suorum aliqua specificatio; jam de difficultate eorum addit aliquid:* Sic autem prædicavi Evangelium hoc, *inquit*, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est: Quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent v. 21. 22, *Ostendit, se doctrinâ Evangelij in locis à nullo Apostolo præventum fuisse, sed primam jecisse aleam, ideòque laborem periculosum in se recepisse, & hac ratione implevisse vaticinium Esaiæ cap. 52. 15. cujus verba adducit. Rationem hujus sui instituti addit; ne super alienum fundamentum ædificaret. Per fundamentum intelligit, initium ministerij Evangelici, docens, se ijs in locis prædicare voluisse, ubi de Christo nihil adhuc innotuit, ne in aliorum labores ingressus, & ornamenta saltem aut incrementa addedisse videatur; quibus omnibus difficultatem sui muneris satis expressit.*

Et hac ratione transit jam ad alterum membrum hujus partis; in quo suum adventum Romanis promittit; eum enim ista sua circuitione & peragratione locorum peregrinorum hactenus impeditum fuisse indicat, versu 23. propter quod impediebar plurimùm venire ad vos.

Adventum

Adventum autem suum promittit v. 24. seqq. his verbis: Nunc autem ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniẽdi ad vos, ex multis jam præcedentibus annis: cùm in Hispaniã proficisci cœpero, spero, quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si tamen vobis primùm ex parte fruitus fuero &c. usq; ad v. 30. *Tria autem de adventu suo annunciat, 1. caussam ejus, quæ gemina:* una, *quia non amplius locum habeat in regionibus illis; vel quia Apostolus erat, cujus officium non erat in uno loco subsistere, sed pluribus prædicare; vel quia, uti fit, homines istos Evangelicæ doctrinæ (quæ non est πρὸς τὰ ἄλβιδα) tædium cepit: altera, quia magno teneatur desiderio Romanorum, quod ipsum cogat ad maturandum iter: cujus sui desiderij etiam suprà mentionem fecerat cap. 1, u. 2. occasionem sui adventus exprimit, v. 24. quam refert ad iter Hispanicum, in quo Romam sit transiturus: unde comitantibus Romanis in Hispaniam se migraturum indicat; quod an factum sit, hic non indicatur, sed saltem promittitur. 3. dilationem adventus illius ejusq; caussam indicat v. 25. 26.* Nunc proficiscar Hierusalem, ministrare sanctis: probaverunt enim Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. *Eleemosynam pro pauperibus in Macedonia & Achaja collectam se Hierosolymam deferre, obiter inspergit, & hâc digressiuncula ipsos quoq; ad munificentiam in pauperes tacitè hortatur: præsertim ad ejusmodi munificentiam, quæ non ab invitis proficiscatur: laudat n. Macedonios, quòd cum εὐδοκίᾳ, h. e. promto hilariq; animo hoc fecerint; ideo bis repetit, εὐδόκησαν. Commendat insuper hoc ipsorum officium pietatis à debito:* Placuit eis, *inquit,* & debitores sunt eorum. Nam si spiritualia eorũ participes

cipes facti sunt gentiles : debent & in carnalibus ministrare illis. *Debitum hoc deducit à collatione spiritualium & corporalium bonorum. Spiritualia sunt quæ communicantur per prædicationem verbi, puta fides, Spiritus Sanctus, patientia & cæteræ virtutes homine Christiano dignæ; corporalia sunt, quæcunque ad sustentationem hujus vitæ pertinent, idcirco vocantur σαρκικὰ, quia carnem, non animam sustentant. Hæc igitur concionatoribus suis Auditores debere docet Apostolus, non ut mercedem pro beneficiis illis spiritualibus; nulla enim hic est proportio: sed ut qualemcunque compensationem laborum, ex grato animo profectam. Hæc enim est natura comparatorum, ut iis minora beneficia non denegemus, à quibus longè majoribus affecti sumus. Hæc omnia faciebant ad exhortandos Romanos ad similem munificentiam. Solent enim aliorum laudes excitare torporem nostrum. Iis igitur rebus apud Hierosolymitanos expeditis, iter suum ad Romanos se directurum promittit v.28.* Hoc igitur cùm consummavero, *inquit*, & assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. *Quod de assignatione, vel potius, obsignatione fructus addit, intelligendum est de traditione Eleemosynarum, quas sanctâ fide, & quasi traditâ arrha, sive pignore apud ipsos se depositurum promittit. 4. denique utilitatem addit sui ad ipsos adventus vers.29.* Scio autē, quoniā veniēs ad vos, in abūdātia benedictionis Christi veniam. *Hebraismus est, abundantia benedictionis, pro abundante seu plena benedictione: quæ consistit in incremento doctrinæ, in meliore Ecclesiæ constitutione, in impetratione majorum donorum à Deo inflammatione ad studium pietatis, & quæ sunt his similia, quæ omnia se simul allaturum promittit. Benedictiones enim ministrorum verbi non sunt absque fructu. Et hæc erat adventus sui promissio.*

Postremò, preces ipsorum desiderat & vehementer flagitat pro se suiq; muneris curriculo. Obsecro, vos fratres, *inquit*, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum. *Constat & hoc membrum suis articulis. 1. seriò intercessionem Romanorum efflagitat per Christum & per Spiritum Sanctum, quos duos non divellit, sed potius in unitatem effectus conjungit. Intelligit enim unitatem fidei in Christum, & unitatem caritatis, quam Spiritus Sanctus operatur in credentibus. Propter hanc itaq; animorum suorum conjunctionem, qua non saltem ut doctor & auditores, sed & ut Christiani invicem sunt conjuncti, obtestatur eos, ut pro se orent, vel potius ut preces suas cum ipso conjungant, & orando cum ipso certent: συναγωνίαν enim expetit, non nudam δέησιν: non enim ipse alienis duntaxat intercessionibus uti vult, sed suas quoq; preces addere. 2. exponit id, cujus gratia intercessione ipsorum opus habeat;* ut liberer ab infidelibus in Judæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis. *Infideles in Iudæa erant inprimis Pseudoapostoli, qui multum negotij facessere solebant Apostolo: ab his liberari petit, & hîc & alibi 2. Thess. 3. Obsequij sui oblationem vocat partim ministerium in genere, quod non carebat multorum invidia, quam ut vel tandem avertat Dominus, orare jubet: partim etiam in specie, ministerium illud, quod præstabat Ecclesiæ Hierosolymitanæ, oblatione munerum, quæ à fratribus acceperat. Ea ut & grata sint, & salutaria sanctis in Hierusalem, optandum & orandum esse docet. 3. deniq; fructum istius intercessionis adnectit:* ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem DEI, ut refrigerer vobiscum *v. 32. Vbi inter cætera notandum, quòd adventum suum voluntati*

Dei

Dei in solidum committit, à quo etiam felicem itineris & negotiorum successum petere jubet. His omnibus ergò expeditis, generalem addit Epistolæ clausulam, qua Romanos præpotenti Deo commendat. Deus pacis sit cum omnibus vobis, Amen v. 33. *Epitheto pacis inprimis digitum intendit ad exhortationem proximam de suscipiendis infirmis: eam enim sub finem adhuc inculcare voluit, innuens, eos benedictione gratuitaq; præsentia Dei dignos haud esse, qui vinculum pacis inutili contentione rumpunt.*

Paraphrasis hujus partis.

SEd quorsum isthæc omnia, inquies? putanse nos ab omni vel caritate vel scientia Christiana adeò alienos, ut mutuò nos ipsos exhortari nolimus vel nequeamus, ita ut aliorum commonefactionibus nobis opus sit? Hoc equidem de vobis, ò vos mei, certò persuasum mihi habeo, quod id facere & possitis & velitis; ego tamen liberiùs hoc in genere vobiscum agere volui hactenus hâc Epistolâ, de quibusdam Christianismi vestri partibus, non quasi diffiderem vestræ pietati, sed saltem ut ea, quæ vos scire non dubito, in memoriam vobis revocarem: id quod officij ratio à me exigebat. Ad hoc enim per gratiam DEI vocatus sum à CHRISTO, ut ministerium Evangelij exerceam inter gentiles, eosq; prædicatione verbi tanquam victimam mundam & sanctam, Deo gratã faciam. Quicquid igitur hac in parte facio, non proprio motu, sed publica autoritate facio. Neq; enim quidquam ausim

vel dicere vel facere absque mandato Christi Domini mei, qui virtute Spiritus sancti efficaciam dedit & felicem successum concionibus, miraculis & laboribus meis omnibus in ædificationem gentium: quemadmodum publicè constat ex ijs, quæ hactenus per Syriam, Asiam, Thraciam, Græciam & vicinas regiones à Ierosolymis usq; ad Illyricum, dixi & feci. In quibus omnibus sanè non exiguum, sed valde periculosum & ferè insuperabilem laborem exantlavi. Neque enim illis in locis quisquam Apostolorum ante me Christum prædicavit, sed primus ego fui, qui gentes illas idololatricas ad agnitionem Salvatoris adduxi, ut & pro mea parte implerem vaticinium Esaïæ, quo prædictum fuit, ijs etiam annunciandum esse Evangelium, quibus hactenus de eo nihil constitit. Et hæc fuit caussa, quòd meus ad vos adventus huc usque fuit impeditus. *Iam* verò postquam his in regionibus diutiùs commorandi locus non datur, implebo desiderium meum, quod me jam pridem tenuit, & in itinere *Hispanico* vos videbo, vestraq; consuetudine me recreabo. Interim expediundũ adhuc mihi est negotium *Hierosolymis*, quod mihi commẽdavit Ecclesia Macedonẽsis & Achaica, quæ eleemosynas in usum pauperum magna cum liberalitate & animorum promtitudine, quam se sacro sancto ministerio debere agnovit, collectas, mihiq; *Hierosolymam* transferendas commisit. Quam primùm itaque hoc expediero, ad vos me conferam, & inde in Hispaniam: eaq; quæ Spiritus Domini hactenus in vobis incepit, benedictione mea Apostolicâ in vobis adimplebo. Vos autem ô carissimi, per misericordiam Domini nostri Iesu Christi, & illud quo nos conjunxit spiritus

ritus Sanctus vinculum dilectionis, oro ac obtestor, ut vestras pro me ad Deum preces meis conjungatis, ut tandem aliquando liberer ab hostibus veritatis, qui in Iudæa hactenus negotium mihi facessere non desierũt, & ut ea, quæ in ministerio meo, non sine multorum invidia peragenda sunt, felici cum successu expediam: ita volente Domino, ad vos majori cum alacritate me conferam. Quod restat, Dei præpotentis patrocinio ac tutelæ, ex animi sententia vos commendo: qui vos in vera pace conservet, & omni benedictione locupletet. Amen.

Quæstiones ex hac parte Capitis.

QVÆSTIO I.

Quomodo Paulus certus esse potest, quòd Romani pleni sint dilectione, repleti omni scientia: cùm tamen cap. 12. & 13. ipsos aliquoties ad dilectionem exhortatus fuerit, & cap. 14. scripserit, multos inter ipsos esse infirmos in fide?

Resp. 1. Verba hæc Apostoli συνεκδοχικῶς intelligenda sunt, de ijs, qui scientia rerum divinarum & caritate Christiana pollebant; quemadmodum in exordijs Epistolarum suarum D. Paulus eos, ad quos scribit, sanctos & electos vocat, inter quos tamen multi sunt reprobi. 2. repletio scientiæ & dilectionis est secundùm partes intelligenda, non secundùm

gradus; hoc est, tribuit eis scientiam omnium partium doctrinæ Christianæ, licet non summo perfectionis gradu: is enim nemini in hoc seculo conceditur, ubi ex parte prophetamus omnes: sic & dilectionem eis tribuit secundum omnes partes officiorum hominis Christiani, licet non summus adsit gradus: dilectio enim etiam est hac in vita imperfecta, sæpeq; fit languida. 3. propter hanc imperfectionem & languorem exhortatur eos, qui jam bene currunt, ut faciant quod jam faciunt, ne languori incrementa permittant, sed tantò alacriùs ad perfectionem contendant, quantò magis in incepto curriculo impediri possunt.

QVÆSTIO II.

Scribit Apostolus, se prædicasse Evangelium ijs in locis, ubi nondum nominatus erat Christus v. 20. at verò suprà cap. 1. 8 de Romanis scripserat, quòd eorum fides jam tum celebrata fuerit in universo mundo: ergò aliquis ante Paulum Romæ prædicavit Evangelium: & de Apostolo Petro scribit Eusebius, quòd Romanos primùm in Ecclesiam Christi inseruerit, lib. 2. histor. Eccles. cap. 14. & 15. & alij hoc tribuunt Barnabæ, quòd regnante Tiberio primus Romæ prædicaverit?

Resp. Certum est, ante Pauli adventum ad Romanos innotuisse ipsis aliquid de Christo, ex conversatione cum Iu-

dæis

dais fidelibus, inprimis ex familiaritate Aquilæ & Priscillæ, quos Paulus coadjutores suos vocat Rom. 16. v. 3. hi enim aliquandiu Romæ vixerunt, donec à Claudio ejecti sunt. Sed Apostolus hoc loco de Apostolis & publicis ecclesiæ doctoribus agit: quales ante Paulum Romæ fuisse, nihil certi constat. Nam illud de Petro vel Barnaba conjecturis saltem nititur, ex scriptura nihil ea de re habemus: imò hunc Apostoli locum meritò conjecturis illis opponimus. Si enim Paulus ijs in locis Christum annunciavit, ubi nondum publicè prædicatus fuit, utique neque Petro neque Barnabæ, sed Paulo Ecclesiæ Romanæ fundatio est tribuenda.

QVÆSTIO III.

Estne veri doctoris Ecclesiæ nota prædicare Evangelium ijs in locis, ubi Christus nondum annunciatus fuit?

Resp. Hoc quidem subindè crepant Pontificij, præsertim moderni Jesuitæ, quòd novas Insulas in Japonia peragrarint, ibique homines ad agnitionem CHRISTI *adduxerint: idemque ab ijs requirunt, qui veri esse volunt Ecclesiæ doctores, ut gentes ad Ecclesiam convertant. Sed enim, quod Iesuitas attinet, faciunt illi, quod olim Pharisæi, qui mare & aridam circumibant, ut facerent unum proselytum Matth. 23, 15. ut autem hoc faciant, mandatum nullum habent, nisi à Pontifice Romano. Quo ad cæteros Ecclesiæ ministros, distinguendum est inter Apostolos & hodiernos doctores. Apostolorum erat, plantare Ecclesias: nostrorum doctorum est, plantatas confirmare, collapsas ins*

psas instaurare pro cujusq; vocatione. Nam Apostoli in omnem terram emissi erant: nostrorum autem doctorum missio particularis est, ad certam Ecclesiam, certumq; locum adstricta. Illi seminant Ecclesias: nos seminatas propagamus. Idq; docuit Apostolus 1. Cor. 3, 10. Vt peritus Architectus, inquit, fundamentum posui, alius autem superædificat: videat autem quisq;, quomodo ædificet &c. Apostoli igitur fundamenta jecerunt Ecclesiarum, quæ sunt in universo orbe: nostrorum doctorum officium est, non fundamentum novum ponere, sed posito ab ipsis superstruere, hoc est, doctrinam Apostolicam de Christo, unico illo fundamento Ecclesiæ, tueri, propagare, conservare, & ab omni hæresi defendere, in eo loco, in quo quisq; vocatus est: nam ad exteras excurrere Ecclesias, & gentes convertere, non vulgarium doctorum Ecclesiæ, sed Apostolorum est officium.

QUÆSTIO IV.

Quomodo potuit D. Paulus Romanis polliceri adventum suum, & quidem cum plenaria benedictione, cùm tamen ad ipsos venerit captivus, nullius prorsus cum ipsis recreationis compos, ut patet ex Actis 28?

Resp. Loquitur Apostolus magis de desiderio suo, quàm de rei eventu. Hoc enim unicè in votis habebat, ut Romanis cum gaudio jungeretur, plenamq; benedictionem ipsis impertiretur, absq; ullo impedimento: sed eventum sciebat esse in manibus Domini. Quanquam quod adventum ipsum attinet,

attinet, eum certò polliceri poterat. Habuit enim hoc ex divina revelatione, quod apparet ex Actis 19, 20. neq; etiam omni conversatione & recreatione cum Romanis caruit in carcere: sed D. Lucas testatur, ipsum ad se admisisse, & conversatum cum quibusvis. Mansit enim biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Iesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione Act. 28, 31.

QUÆSTIO V.

Rectène probatur invocatio sanctorum ex hoc loco, ubi Paulus orat Romanos, ut se in precibus suis ad Deum adjuvent? v. 30.

Resp. Hoc argumento utitur Bellarminus lib. 3. de Pontifice Romano cap. 21. ubi hoc quasi exemplo Pauli probare conatur, ad sanctos tanquam opitulatores in miseriis confugere licere. Sed valdè pueriliter ineptit. Primùm enim aliud est, pro aliquo intercedere: aliud, ut hoc faciat, ipsum adorare. Petit Apostolus intercessionem Romanorum fidelium; ipsos tamen nō adorat fideles: sic, licèt angeli preces suas nostris conjungant, & ad DEUM deferant; ipsi tamen propterea invocandi non sunt, sed ad DEUM nos remittunt Apocalyp. 19. Potes (inquit Lutherus in articul. smalcald.) ut Christianus & sanctus in terris pro me orare, non in una tantùm, sed in omni necessitate; propterea autem non debeo te invocare, ferias, jejunia, oblationes, missas in tui honorem & cultum celebrare, & fidem ad sa-

lutem meam tibi mancipare; cùm alijs modis te honorare, diligere, & tibi gratias agere in Christo possim. Deinde non licet argumentari à Sanctis inter nos viventibus, ad sanctos, qui in cœlum recepti sunt. Possum pium & fidelem in his terris rogare, ut precibus suis me includat; imò ut hoc fiat, præcipitur Jac. 5, 14, 16. & D. Paulus intercessiones exigit pro omnibus hominibus 1. Tim. 2. Cæterum autem sanctorum, qui in cœlum recepti sunt, opem implorare non possumus; ipsi enim non amplius versantur inter nos: ignorant res nostras Es. 63, 16. neq; preces nostras exaudire possunt; nisi eis divinam majestatem tribuere velis, quasi exaudiant eos, à quibus in omni loco invocantur, quasi preces etiam discernere possint veras ab hypocriticis, quasi etiam corda scrutari & gemitus nostros percipere possint: quæ omnia solius Dei sunt, qui etiam hunc invocationis honorem nulli creaturæ tribuit, &c.

Aphorismi Theologici ex hac parte Capitis.

1. D*VO sunt hominis verè Christiani requisita: scientia articulorum fidei, & amor proximi. Vtrumq; facit, ut alijs benè velimus & faciamus. Aliàs nuda scientia inflat; sed cum dilectione proximi conjuncta, ædificat 1. Cor. 8, 1. magis enim quærit commodum publicum quàm privatum.*

2. *Vita nostra, etiam cùm est optima, est imperfecta; ideo mutuis admonitionibus opus semper habemus.*

Quod ut faciant, qui meliora sapiunt, præcipit Apostolus Jacobus cap. 5, 19. & ut patiantur, qui lapsi sunt, suo docet exemplo Regius Propheta Psal. 140, 1.

3. Ministrorum verbi est liberè agere cum Auditoribus, in corrigendis ipsorum moribus, absq; ullo personæ respectu: non tamen ut affectibus satis fiat, sed in ædificationem proximi: ideò admonitio sufficit interdum & commonefactio. Quam ob caussam mansuetudinem in redarguendo commendat Apostolus 2. Tim. 2, 24. seq.

4. Sacrificia Novi Testamenti non sunt corporalia, qualia olim erant apud Judæos, & sacrificium Christi in ara crucis: sed mystica, puta fides Phil. 2, 17. studium bonorum operum Rom. 12, 1. preces Apoc. 5, 8. elemosynæ Hebr. 13. inter quæ hic etiam refertur prædicatio Evangelij. Non igitur opus habemus sacrificio Missatico Pontificiorum.

5. Ministerium verbi est singulare donum DEI. Nam Apostolus Paulus fatetur, se gratia Dei esse quicquid est, non modo hic, verùm etiam 1. Cor. 15. Deus enim est, qui dat doctores Justitiæ Ioel. 3. & contra ipsum peccant, qui ministerium contemnunt, vel persequuntur: nam qui contemnit, non hominem contemnit, sed Deum, qui Spiritum suum dedit in eis, 1. Thess. 3.

6. Apostolorum autoritas est sacrosancta: non enim ex suo proprio motu, sed divino instinctu loquuntur, quicquid nimirum in ipsis efficit Spiritus Christi, quo uncti sunt. Idcircò D. Petrus scribit: non voluntate humana allatam esse Prophetiam, sed sanctos Dei homines Spiritu Sancto inspiratos, locutos fuisse. Et D. Paulus Thessalonicenses suos commẽdat, quòd verbum suum acceperint, non ut sermonem hominum, sed ut sermonem Dei, 1. Thess. 2, 13.

7. D. Pauli autoritas est verè Apostolica. Magnus enim fuit in sermone, in signis, prodigijs & virtutibus Spiritus Sancti; quæ omnia aliàs tanquam γνωρίσματα Apostolica celebrantur Hebr. 2, 4; proinde audet ipse ad αὐθεντίαν doctrinæ suæ provocare, ita ut, si & angelus de cœlo aliud Evangelium prædicaverit, ei anathema dicat Gal. 1.

8. Signa & prodigia sunt necessaria doctrinæ Apostolorum adhuc plantandæ. Fecerunt enim introitum ad fidem ijs, qui nondum crediderunt, ut Augustinus loquitur; vel, ut Paulus noster: signa data sunt propter infideles 1. Cor. 14: jam verò postquam doctrina Apostolorum propaganda est, signis indigemus nullis; jam enim Christus creditus est in mundo 1. Tim. 3, 16. Proinde, si quis prodigium jam quærit, ut credat, credente jam mundo, magnum erit ipse prodigium, dicente Augustino lib. 22. de civ. DEI cap. 8.

9. Deus nulli genti suum invidit Evangelium, quod ex unius Apostoli Pauli laboribus apparet, qui totum occidentem peragravit in circuitu usq; ad Illyricum; atq; sic hoc ipsius curriculo Evangelium ad fines Germaniæ nostræ pervenit: id quod gratis mentibus agnoscendum, & cum Osea fatendum, quod perditio ex nobis sit, si qui nostrum pereunt, salus autem ex solo Deo, Ose. 13.

10. Verè dicere potuit Apostolus, plus laboravi cæteris Apostolis 1. Cor. 11: nulli enim alij tantus tribuitur laborum & concionum circuitus. Atque hoc est, quod Theodoretus de Pauli laboribus scribit; quòd ipse cum cæteris Apostolis ad legem Evangelicam non Romanos solùm, & qui sub Romano viverent imperio, sed Scythas quoq; & Sauromatas, Indos, Æthiopes, Persas, Seres, Hircanos, Britannos, Cimmerios,

rios, Germanos, deniq; omne genus hominum & omnes nationes induxerit. Ex quibus omnibus constat, quanta fuerit humilitas Apostoli Pauli, qui se minimum vocat Apostolorum omnium 1. Cor. 15. cum in rei veritate fuerit maximus.

11. Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, IESVS Christus 1. Cor. 3. id posuerunt primùm Apostoli: positum inveniunt hodiè cæteri Ecclesiæ doctores, quotquot Ecclesias ab Apostolis plantatas propagant. Videant itaq; ne stipulas humanarum traditionum aut fœnum fabularum superstruant.

12. Laudabile est desiderium conversationis inter doctores & auditores Ecclesiæ; id quod Paulus commendat in suis Galatis, quod exceperint ipsum ut angelum Dei, Gal. 4. 14. Sed quantò carius est, tanto rarius, siquidem fideles ministri plerumq; sunt catharmata mundi, ex singulari odio Diaboli, qui infensissimus est hostis ministerij. Quod quò frequentius accidere solet inter homines, eò magis operam dare debent concionatores, ne ex sua parte desiderium invisendi & docendi auditores extinguatur. Debet enim malum vinci bono Rom. 12.

13. Præclarum pietatis Christianæ opus & fidei testimonium est, beneficentia erga pauperes etiam absentes & exteros: quemadmodum commendatur hic liberalitas Macedoniorum erga Hierosolymitanos: Simile quid prædicatur in Corinthijs 2. Cor. 9. Hoc est omnibus benefacere, inprimis autem domesticis fidei Gal 6. 10. Et talia exempla inculcanda sunt, quando eleemosynæ colligendæ sunt pro peregrinis.

14. Sustentatio ministerij & pauperum non est retributio beneficiorum, quæ per ministerium nobis conferuntur, sed qualiscunq; compensatio laborum, quos ministri verbi exant-

larunt, & gratæ mentis exigua declaratio. Vix enim ænea pro aureis dantur; siquidem rerum spiritualium, quæ ad animam pertinent, vix collatio est ad beneficia corporalia, quæ unà cum mundo tandem pereunt. Huc referatur locus 1. Cor. 9, 11. Gal. 6, 6.

15. *Dispensatores bonorum Ecclesiasticorum inprimis decet fidelitas. Cogitandum enim ipsis est, sibi bona illa tanquam sub signaculo esse concredita; quemadmodum Apostolus Paulus hic loquitur, se obsignaturum, hoc est, sub signaculo depositurum eleemosynam sibi commissam. Caveat igitur unusquisq; ne quã defraudet ærarium Ecclesiasticum: nam væ qui spolias, quia spoliaberis Es. 33.*

16. *Benedictiones Papales nihil commune habent cum Apostolicis. Gloriatur quidem Papa, se cum plena benedictione advenire, sicut civitati gratiosum suum adventum annunciat: sed ubi neq; doctrina neq; vita est Apostolica: quæ ibi benedictio expectanda? Proinde sufficit nobis ea benedictio Apostolorum, quæ per verbum eorum nobis annunciatur, neq; dubitemus, quoties ipsorum scripta vel legimus vel audimus cum attentione, quin Apostolicæ benedictionis reddamur participes.*

17. *Precibus mutuis quasi certandum est. Vita enim nostra est militia, in qua arma Ecclesiæ sunt preces & lacrymæ. Intercessionibus, itaq; nostris mutuis instandum est in necessitatibus; monente Apostolo 1. Tim. 2. & Jacobo cap. 5. Et hac ratione coimus in cœtum precantes, & quasi manu facta Deum vincimus; & hæc vis DEO grata est, dicente Tertulliano.*

18. *Malitia & invidia hominum nunquam carebit ministerium verbi. Ideo precatur Apostolus Paulus,*

inter-

intercedant pro se Romani in precibus suis, ut tandem liberetur ab illis hominibus, qui sibi molestias creant, & labores impediunt, quin & despectos reddunt apud alios, adeoq; gaudium omne intercipiunt, quod ex sua cum Romanis conversatione, tanquam fructum laborum suorum, percipere debebat. Nemo itaq; existimet, sibi novi aliquid accidere, si & ipse malevolos invidosq; experitur in munere suo; sed agnoscat, hunc esse rictum Satanæ, contra quem se industria & fidelitate in mandatis officij partibus, ut & suis & aliorum piorum precibus immuniat. &c.

CAPUT XVI.

Argumentum & Partitio Capitis.

POstremum caput est, quasi postscriptum hujus Epistolæ. Nam sub finem præcedentis capitis clauserat Epistolam communi voto; jam salutationes aliquas & exhortationes finaliter annectit, unà cum eximia & verè Apostolica δοξολογία, qua literas hasce velut obsignare voluit. Etsi verò in distincta membra dividi potest; placet tamen duas duntaxat constituere partes.

Prima constat salutationibus Apostolicis, quas nomine piorum aliquot hominum scribit Romanis, usq; ad v. 17.

Altera habet quædam miscellanea: exhortationes, salutationes, vota, & similia: sicuti in Epilogis Epistolarum fieri solet.

PRIMA PARS

TEXTUS.

Συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν,

1. COmmendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ

ὖσαν Διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς.

Ἵνα αὐτὴν προσδέξησθε ἐν Κυρίῳ ἀξίως τῶν ἁγίων, καὶ παραστῆτε αὐτῇ ἐν ᾧ ἂν ὑμῶν χρήζῃ πράγματι· καὶ γὰρ αὕτη προστάτις πολλῶν ἐγενήθη, καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ.

Ἀσπάσασθε Πρίσκαν καὶ Ἀκύλαν, τοὺς συνεργούς μου ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

(Οἵτινες ὑπὲρ τῆς ψυχῆς μου τὸν ἑαυτῶν τράχηλον ὑπέθηκαν· οἷς οὐκ ἐγὼ μόνος εὐχαριστῶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι τῶν ἐθνῶν.)

Καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν· Ἀσπάσασθε Ἐπαίνετον τὸν ἀγαπητόν μου, ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας εἰς Χριστόν.

Ἀσπάσασθε Μαριάμ, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν εἰς ἡμᾶς.

Ἀσπάσασθε Ἀνδρόνικον καὶ Ἰουνίαν τοὺς συγγενεῖς μου, καὶ συναιχμαλώτους μου, οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς Ἀποστόλοις, οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ.

Ἀσπάσασθε Ἀμπλίαν τὸν ἀγαπητόν μου ἐν Κυρίῳ.

Ἀσπάσασθε Οὐρβανὸν τὸν συνεργὸν ἡμῶν ἐν Χριστῷ, καὶ Στάχυν τὸν ἀγαπητόν μου.

quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris.

2. Vt eam suscipiatis in Domino dignè sanctis, & assistatis ei, in quocunque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis & mihi ipsi.

3. Salutate Priscam & Aquilam, Adjutores meos in Christo Jesu:

4. (Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium.)

5. Et domesticam Ecclesiam eorũ. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Achaiæ in Christo.

6. Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in nobis.

7. Salutate Andronicum & Iuniam cognatos & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.

8. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.

9. Salutate Vrbanum adjutorem nostrum in Christo, & Stachyn dilectum meum.

10. Salu-

Ἀσπάσασθε Ἀπελλῆν, τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ, Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου.

2. Salutate Appellem probum in Christo, Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli.

Ἀσπάσασθε Ἡρωδίωνα τὸν συγγενῆ μου. Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου τοὺς ὄντας ἐν Κυρίῳ.

11. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.

Ἀσπάσασθε Τρύφαιναν καὶ Τρυφῶσαν, τὰς κοπιώσας ἐν Κυρίῳ. Ἀσπάσασθε Περσίδα, τὴν ἀγαπητήν, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν ἐν Κυρίῳ.

12. Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem carissimam, quæ multum laboravit in Domino.

Ἀσπάσασθε Ροῦφον τὸν ἐκλεκτὸν ἐν Κυρίῳ, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ καὶ ἐμοῦ.

13. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus & meam.

Ἀσπάσασθε Ἀσύγκριτον, Φλέγοντα, Ἑρμᾶν, Πατρόβαν, Ἑρμῆν, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς ἀδελφούς.

14. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Herman, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres.

Ἀσπάσασθε Φιλόλογον καὶ Ἰουλίαν, Νηρέαν καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ, καὶ Ὀλυμπᾶ, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς πάντας ἁγίους.

15. Salutate Philologum & Iuliam, Nereum, & sororem ejus, & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt, sanctos.

Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ, Ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Χριστοῦ.

16. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

Salutationibus præmittit commendationem Fœminæ cujusdam. Commendo vobis Phœben, *inquit*, sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis digne sanctis in Domino, & adsistatis ei, in quocunque negotio vestri indiguerit: ete-

nim ipsa quoque adstitit multis, & mihi ipsi. *Fuit hæc Phœbe* γραμματοφόρος *Apostoli Pauli, cui hanc Epistolam Romanis tradendam commiserat. Dicitur in ministerio fuisse Ecclesiæ Cenchreensis oppiduli cujusdam, septuaginta stadijs distantis à Corintho, non quòd verbum prædicaverit, sed quia juxta ritum primitivæ Ecclesiæ administraverit sanctis, in distribuendis eleemosynis, aut curandis ægrotis. Commendat eam 1. à religione. Fuit enim* ἀδελφὴ, *hoc est, Christianæ religionis socia. 2. ab officio: fuit administra sanctorum. 3. à fidelitate: ipsa enim plurimis servivit, & inter hos ipsi Paulo etiam. Petit itaq; 1. ut eam excipiant hospitio in Domino, seu propter Dominum, in cujus caussa ad ipsos veniat; & qui peregrinos humaniter excipi voluit. 2. ut pro sancta fœmina agnoscant: sanctum autem videtur hoc loco oppositum esse infideli, quasi dicat Apostolus, non mitto ad vos Ethnicam fœminam, sed Christianam: proinde ipsam ita tractate, sicuti sanctos & ejusdem vobiscum fidei socios tractare fas est. 3. ut ipsi adsint, ubicunq; opus fuerit; negotia & expeditiones ejus pro virili & indefesso studio promoveant. Præmissæ commendationi jam subjunguntur salutationes aliquot ejusmodi personarum, quarum dona & industria in Ecclesia Romana præ cæteris eminebat.* Salutate Priscillam & Aquilam, *inquit. Fuerunt conjuges pientissimi, quorum mentio quoque fit Act. 18, 2. 26. & 2. Tim. 4. 19. ubi Priscilla vocatur Prisca, hi Româ expulsi à Claudio Imperatore, contulerunt se Corinthum: ibique Paulus familiariter eis usus est, quia unum didicerunt opificium, artem nimirum scenofactoriam, quam ob caussam* συνεργοὶ *Apostoli Pauli hoc loco vocantur, adjutores ejus: quæ vox tamen ad commune studium propagandi doctrinam Evangelij referri potest. Prædicat enim Apostolus horum conjugum*

Priscilla & Aquila.

jugum pietatem, addita parenthesi : qui pro anima mea suas cervices posuerunt : quibus non solùm ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ gentium. *Singulare beneficium notat, quod ab illis duobus sibi fuerit præstitum. Quale autem fuerit, & ubi acciderit, non meminit. Oportet autem omninò eximium esse, tale nimirum, quo è præsentissimo vitæ periculo liberatus, & Ecclesiæ fuit redditus : quia addit, non se duntaxat, sed & omnes Ecclesias gentilium ipsis gratias agere, & hoc coram Romanis publicis hisce literis testatum facere, ac propterea & ipsos & familiam ipsorum, quam Ecclesiam domesticam appellat, peramanter salutat. Deinde salutem adscribit* Epæneto, *quem nonnulli ex LXX. discipulis, & tandem Ecclesiæ Carthaginensis Pastorem fuisse putant. Paulus hic vocat eum primitivum* Asiæ *(vel, ut Græcus codex habet, Achaiæ) in Christo. Is enim primus fuit in Achaia, qui Evangelium amplexus est. Tertio loco salutat* Mariam, *sanctam quandam fœminam, cui hoc elogium perhibet, quòd multum laboraverit in ipsis; officijs nimirum pietatis & Christianæ hospitalitatis, quibus fideles Romæ degentes affecerat : eaque Paulus sibi etiam imputat, licet Romam nondum viderit: amicorum enim bona ac beneficia sunt communia, præsertim inter Christianos. His quarto loco subjungit nobile par suorum cognatorum & concaptivorum,* Andronicum & Iuniam, *quos vocat nobiles in Apostolis, hoc est, insignes Ecclesiæ doctores, latè sumto Apostolorum vocabulo, quo sensu & alibi usurpatur 2. Corinth. 8, 23. Addit, hos duos ante se fuisse in CHRISTO, hoc est, citiùs fuisse ad fidem Christi conversos, quod ipsum etiam inter laudes ipsorum ponere non dubitavit. Sequitur,*

Epænetus.

Maria.

Andronicus Iunias.

Ampliatus. *quintò* Ampliatus *quidam, quem* dilectissimum suum *vocat, non propter opes aut singularem munificentiam, sed* in Domino, *h.e. propter unam & eandem confessionem, quæ veram solidamq; facit amicitiam, Christi glutine copulatam.* Vrbanus. *Sextus in ordine est* Vrbanus, *quem itidem vocat* συνεργὸν *suum, quia & ipse haud dubiè præco fuit Evangelij: huic socium addit* Stachyn, *quem dilectum suum nominat,* Stachys. *quia & ejus familiaritate usus fuit. Septimo loco ponit* Apelles. Apellen *quendam, quem* δόκιμον ἐν Χριστῷ *appellat, quia multis tribulationibus & periculis fidem suam in Christo probatam fecit.* Aristobulus. *Octavo loco sequitur* domus Aristobuli, *quo verbo notat familiares hujus viri, qui fortasse à fide Christiana adhuc alienus fuit, alioquin & ipsius mentionem fecisset.* Herodion. *Nonò sequitur* Herodion, *quem cognatum suum vocat.* Narcissi. *Decimò* Familiares Narcissi, qui sunt in Domino. *Separat ergo Christianos in familia hujus viri, ab ijs, qui unà cum hero suo ad agnitionem Christi nondum venerant. Vndecimò conjungit duas religiosas mulieres,* Tryphæna Tryphosa. Tryphænam & Tryphosam, quas laborare dicit in Domino: *laborem intelligit sanctum pijs & toti Ecclesiæ utilem. His adjungit duodecimo loco* Persida, *aliam fœminam, quam ab* Persis. *eodem labore sancto commendat. Sequitur decimo tertio loco* Rufus. Rufus *quidam,* ejusq; Mater, *quam &* suam *vocat propter maternum adfectum, & singularia beneficia, quibus Apostolus ab ipsa fuerat adfectus. Decimo quarto loco conjungit quinq; pios viros,* Asyncritum, Phlegontem, Herman, Patrobam, Hermen, *cæterosq; qui inter ipsos erant Christianos, quos fratres appellat. Decimo quinto loco salutat* Philologum & Iuliam, Nereum & sororem ejus, & Olympiam, & omnes, qui cum eis sunt, sanctos, *hoc est; fideles omnes, qui in familijs ipsarum versantur. Denique*

vul

vult, ut & ipsi mutuò se salutent, suo exemplo. Salutate vos osculo sancto, *hoc est, ex sincero, pio & Christiano adfectu, absq; hypocrisi ac dolo. Loquitur autem pro more populorum orientalium, ubi osculum erat signum singularis amicitiæ 1. inter discedentes, exempla extant Ruth. 1, 9. 1. Reg. 19, 20. 2. Sam. 19, 39. 2. inter convenientes: exempla sunt Gen. 29. 11. Exod. 18, 7. Tob. 7. 6, 3. inter reconciliatos amicos exempla sunt 2. Sam. 14. 33. Luc. 15. 4. Inter socios fidei, quod osculum vocabatur sanctum, ut patet ex hoc loco, item ex 1. Cor. 16. 2. Cor. 13. & 1. Thess. cap. 5. alibi vocatur osculum caritatis in 1. Petr. 5. Postremo loco salutem cæterarum Ecclesiarum ipsis adscribit.* Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi: *de cæterorum enim Christianorum affectu pio erga Romanos, Apostolo nostro optimè constabat, si quidem suprà dixerat, fidem ipsorum in omni loco depradicatam esse.*

Osculorum usus in populo usu.

Osculum sanctum.

Paraphrasis hujus partis.

QUod restat, charissimi, fœminam, quæ literas has vobis tradet, de meliore nota vobis commendo. Digna est, cui benefaciatis, & quam in expediundis negotiis suis diligenter juvetis. Est enim confessionis nostræ socia, Ecclesiæ Cenchreensis administra fidelis, pietate & sanctitate vitæ insignis, quæ & mihi & multis bonis alijs fidelem operam navavit. Salutem adscribo Priscæ & Aquilæ constantib. illis pro fide Christi athletis, quibus & ego & omnis gentilium Ecclesia gratias debeo immortales, quòd me gentium Apostolum è præsentissimo vitæ periculo liberatum Ecclesiæ restituerunt: ut & universo, quem in ædibus suis habent, cœtui fidelium. Salutate quæso, Epænetum, amicum meum certissimum, primum in Achaja Christianum: Mariam fœminam maximè industriam & erga sanctos officiosam: Andronicum & Iuniam, eximios illos Ecclesiæ mi-

nistros, quos & sanguinis & vinculorum communio mihi amicitiâ junxit, quosq; eo etiam nomine diligo, quòd & ante me ad agnitionem Christi venerunt: Ampliam, quem sincerè amo: Vrbanum, meum in prædicatione Evangelij socium, ut & amicum utriusq; nostrum, Stachyn: salutate itē Apellen, qui suam in fide Christiana constantiam & pietatem satis superq; probavit: familiares etiam Aristobuli: Herodionem, sanguinis affinitate mihi junctum: Christianos insuper in Narcissi domo: Tryphænam & Tryphosam, matronas officiosissimas: Persidem, quam ob sua in pios officia vehementer amo: Rufum, pientissimum hominem, & Matrem ejus, quam & ego ob singularia sua in me merita filiali complector amore: Asyncritum, Phlegontem, Herman, Patrobam, Hermen, cæterosque, qui inter ipsos sunt, Christianos: Philologum, Iuliam, Nereum & sororem ejus, Olympiam, ut & qui cum ipsis conversantur, fideles: omnes illos officiosissimè meis verbis, & vos invicē exemplo meo, sancto & sincero fraternitatis osculo salutate: quemadmodum & vobis omnibus omnium Ecclesiarum Christi nomine, quas quidem in gentilitate plantavi, salutem adscribo: neque n. de pio & sincero illorum omnium erga vos affectu quidquā dubito.

Quæstiones ex hac parte

QUÆSTIO I.

COmmendat Apostolus Phœben, rogatq;, ut Romani auxiliatrices manus ei præbeant, eò quòd & ipsa multos alios juverit, sibiq; ipsi

suis

ſuis in neceſſitatibus non defuerit, v. 2. hoc v. eſt benefacere benefacientibus, quod Chriſtus prohibuit Luc 6. v. 33. Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia: ſiquidem & peccatores hoc faciunt?

Reſp. Chriſti prohibitio non eſt oppoſita dilectioni amicorum & conſanguineorum. Hanc enim lex naturæ exigit, & ipſa gratitudo requirit, quam debemus benefactoribus: & dubium non eſt, quin gravius delinquant, qui amicis benefacere nolunt, quam qui inimicos negligunt: idcirco D. Paulus alibi ſcribit 1. Tim. 5. Qui ſuos & maximè domeſticos non curat, infideli eſt deterior, & fidem abnegavit. Sed opponitur interdictum Chriſti 1. Phariſaicæ interpretationi legis, qua dilectio proximi non niſi ad amicos referebatur: Chriſtus autem eam etiam ad inimicos extendit, idque juxta expreſſum Legis tenorem Lev. 19. 2. opponitur ſimulatæ dilectioni inimicorum, ne ſaltem verbis & geſtibus eis palpum faciamus, ſed ubi ubi poſſumus, re atque opera noſtram erga ipſos benevolentiam declaremus. Probibitio igitur Chriſti non eſt excluſiva, ſed declaratoria.

QUÆSTIO II.

REctène Paulus commendare poteſt Priſcam & Aquilam, quòd cervices ſuas poſuerint pro anima ejus v. 3. id enim videtur contra legem Domini eſſe, ubi cautum eſt, ut anima, quæ peccavit, moriatur; non anima unius pro anima alterius? Ezech. 18. 20. Deut. 24, 16.

Resp. Lex agit de pœna delicti, quam Deo debemus. Apostolus autem de officijs caritatis, quæ quisq; debet proximo. Deus n. non vult (si legis rigorem consideres) ut innocens puniatur pro noxio, sed unumquemq; vult mori ob peccatum suum; quanquam in Evangelio temperamentum accedat per mortem Christi. Sed regula caritatis requirit à Christianis, ut constitutos in vitæ discrimine, etiam nostro cum periculo liberare studeamus, juxta illud 1. Ioh. 3, 16. nos debemus pro fratribus animas ponere: & hoc sensu supra scripsit Apostolus noster cap. 5, 7. pro bono audeat aliquis mori: & sic commendantur hic Aquila & Priscilla ab officio caritatis, quod Pauli, Apostoli sui, vitam & salutem suæ saluti anteposuerunt.

QVÆSTIO III.

QVomodo Paulus Rufum vocare potest electum in Domino v. 13. cùm tamen electi soli Deo noti sint, juxta illud: novit Dominus, qui sint sui? 2 Tim. 2, 19.

Resp. Notitia Dei infallibilis est: is enim introspicit corda hominum, & uniuscujusq; fidem ac perseverantiam novit. Homines autem probabiliter saltem sciunt, & ex signis externis fidem electorum agnoscunt; ex caritate Christiana autem bene sperant de perseverantia & conservatione in fide. Ita Paulus de electione Thessalonicensium non dubitat, quia Evangelium suum non erat in sermone tantùm inter ipsos, sed in virtute & Spiritu sancto, & in plenitudine multa 1. Thess. 1. 5. Ex eadem caritate, quæ omnia credit,

scivit

ſcivit Apoſtolus, quòd nomina Clementis & cæterorum ſuorum adjutorum ſcripta ſunt in libro vitæ. Phil. 4, 3.

QVÆSTIO IV.

Iubet Apoſtolus ſalutare invicem oſculo ſancto; ipſeque ſalutationibus ſatis liberalis eſt: cur ergo Eliſæus interdixit famulo Gehaſi, & CHRISTVS diſcipulis, ne quem ſalutent in via? 2. Regum 4. verſ. 29. Lucæ 10. verſu 4.

Reſp. Ipſa ſalutatio prohibita non eſt. Eſt enim genus precum: eſt votum, quod ſi ex fide proficiſcatur, optima quæq; à Deo impetrare poteſt proximo. Sed Propheta & Chriſtus iſto interdicto reſpexerunt ad modum expeditionis. Volebat Eliſeus, ut Gehaſi; & Chriſtus, ut Apoſtoli abſq; mora expedirent, quæ in mandatis habebant, ne otioſas ſalutationes, ex quibus interdum confabulationes fiunt, ſe impediri patiantur, quò minùs efficiant, quæ in mandatis habent; ſed remota omni remora, hoc unum agant, cujus gratiâ emiſſi erant. Quòd ſi ſalutationibus mutuis in officio non impediebantur, quilibet intelligit, ſalutationes eis interdictas non eſſe. Ibi enim locum habet illud Auguſtini ſerm. 42. de ſanctis: ſi quis obvium hominem ſibi non ſalutarit, aut ſalutanti non reddiderit ſalutem, à viatore non habebitur homo, ſed truncus, lapis aut Mercurius, qui ſtans in via monſtrat iter, & nihil loquitur.

Aphorismi Theologici ex hac parte Capitis.

Commendatione nostrâ juvandi sunt, qui aliorum ope indigent. Hoc enim est alterius onera portare Galat. 6. & necessitatibus sanctorum communicare Rom. 12. Videndum autem est, ut dignos commendemus, quorum vel merita vel studia prædicari queant, exemplo Pauli commendantis Phœben, fœminam sanctam, & de sanctis benè meritam: aliàs incutient nobis peccata aliena pudorem.

2. Gratitudo consistit in compensatione beneficiorum: quemadmodum Paulus ideò vult Phœben juvari à Romanis, quia se quoque & alios multos ab ipsa sæpiusculè adjutos esse recordatur. Unde colligimus, non malè fieri, si ad alios commendentur à nobis, quorum in nos aliqua constant merita: quo nomine nobis in scriptura passim parentum, præceptorum, amicorum, & quicunque benè de nobis meriti sunt, cura vel inprimis commendatur. Non enim recedet malum de domo ingrati Prov. 17.

3. Saluta libenter, non Catonis saltem fuit dicterium, sed & Apostoli nostri preceptum, qui vult, ut osculentur Romani se invicem, suoque exemplo ipsis facem præluxit, dum salutationibus suis in hoc capite satis liberalis est. Et CHRISTUS suis præcepit discipulis: intrantes domum, salutate eam Matth. cap. 10. pudeat quoque te non respondere, si saluteris Sir. 42. Est enim salutatio nihil aliud quàm benedictio, quia quis alteri bona corporis ac animi divinitùs impetrare potest. Quomodo autem salutatio nostra comparata esse debeat, habemus hic velut ἐν συνόψει 1. Non debet esse hypocritica,

Salutatio Christiana qualis esse debeat.

sed ex corde profecta, cum sancto osculo conjuncta. Sunt enim etiam oscula fraudulenta, adulatorum & sycophantarum, de quibus Salomon: Meliora sunt vulnera amantis, quàm fraudulenta oscula odientis, Proverb. 27, 6. 2. salutare debemus eos, qui sunt in DOMINO, hoc est, fidei & confessionis nostræ socios: si quis autem venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ei ne quidem ave dixeritis, inquit Johannes 2. Ioh. v. 10. Idcirco Paulus noster salutem non adscribit Aristobulo & Narcisso, sed ijs, qui erant de domo eorum in Domino, hoc est, familiaribus ipsorum ad CHRISTUM conversis. 3. salutem precari quidem debemus omnibus fratribus, inprimis autem ijs, qui benè de nobis & alijs meriti sunt; quemadmodum horum omnium, quibus salutem impertit Apostolus, præconia prolixè recensentur. Hoc enim est honorare eos, quibus honor debetur, &c.

4. Sancti non sunt ij duntaxat, qui in altero seculo vitam beatam agunt; sed & hic, qui sanctificati sunt fide in CHRISTUM, vera ac viva membra Ecclesiæ, sanctisque student operibus: tales, non opus est, ut demum in canonem sanctorum referantur à Papa: sed nomina ipsorum scripta sunt in libro vitæ, & ex quotidianis actionibus noti sunt alijs, coram quibus lucet lux ipsorum Matth. 5.

5. Conjugium est status DEO gratus: quod si à Deo fœcundum redditur, fit imago Ecclesiæ, in quâ Spiritus sanctus in compendium quasi contraxit ea, quæ aliàs in cœtu fidelium conspiciuntur. Ibi enim DEUS est in medio parentum cum liberis & familia tota in nomine suo congregatorum, audit preces ipsorum, benedicit laboribus eorum: quæ omnia in impuro cælibatu monachorum non reperiuntur, ubi tristis est solitudo quæ in scripturâ ferè,

semper malè audit: in conjugio autem est Ecclesia domestica, & hîc & alibi ab Apostolo nostro prædicata.

6. *Ecclesia quidem una est propter communionem sanctorum, quam confitemur in symbolo, & unitatem bonorum, quæ prædicatur Eph. 4. dividitur tamen in plures particulares, cujusq; loci: quemadmodum Paulus hîc semel atq; iterum Ecclesiarum meminit, quas salutat, & nomine omnium Ecclesiarum Romanis salutem adscribit. Facessat itaq; cavillum Romanensium, quasi multas habeamus Ecclesias in fide discrepantes. Nam distantia loci non solvit unitatem fidei.*

7. *Petrus Apostolus non fuit Ecclesiæ Romanæ Episcopus, ut fingunt Pontificij: idque inter cætera argumenta, quæ vedantur alibi, hinc etiam constat, quòd D. Paulus tot salutans amicos atque familiares Romæ agentes, Petri nullam mentionem facit: inhumanitas autem esset planè intolerabilis, salutare tam multos, etiam fœminas quasdam; & summi Episcopi illius urbis non meminisse. Neq; etiam alijs temporibus pòst, cùm Paulus ipse Romam venit captivus, & in conducto suo prædicavit, Petri nulla fit mentio; cùm tamen de alijs fratribus Lucas referat, quòd Paulum Romæ exceperint & in carcere visitarint. Act. 28.*

PARS ALTERA

TEXTUS.

Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας, καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε, ποιοῦντας, καὶ ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν.

17. ROgo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis.

18. Hujus-

Οἱ γὰρ τοιῦτοι τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ οὐ δουλεύουσιν, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ· καὶ διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων.

18. Hujuſcemodi n. Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri; & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.

Ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο. Χαίρω οὖν τὸ ἐφ' ὑμῖν. θέλω δὲ ὑμᾶς σοφοὺς μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθὸν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν.

19. Veſtra enim obedientia in omnem locum divulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis: ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.

Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει. ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' ὑμῶν. Ἀμήν.

20. Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum, Amen.

Ἀσπάζονται ὑμᾶς Τιμόθεος ὁ συνεργός μου, καὶ Λούκιος, καὶ Ἰάσων, καὶ Σωσίπατρος, οἱ συγγενεῖς μου.

21. Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius & Iaſon & Soſipater, cognati mei.

Ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος, ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν, ἐν Κυρίῳ.

22. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam, in *D*omino.

Ἀσπάζεται ὑμᾶς Γάϊος ὁ ξένος μου, καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως, καὶ Κούαρτος ὁ ἀδελφός.

23. Salutat vos Gajus, hoſpes meus & univerſæ Eccleſiæ. *S*alutat vos Eraſtus arcarius civitatis, & Quartus frater.

Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Ἀμήν.

24. Gratia *D*omini noſtri Jeſu Chriſti, cum omnibus vobis. Amen.

Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι κατὰ τὸ Εὐαγγέλιόν μου, καὶ τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου.

25. Ei autem, qui potens eſt vos cõfirmare juxta Evangelium meum & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundùm revelationem myſterij temporibus æternis taciti.

(φανερωθέντος δὲ νῦν, διά τε γραφῶν προφητικῶν, κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου Θεοῦ, εἰς ὑπακοὴν πίστεως εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος)

Μόνῳ σοφῷ Θεῷ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Πρὸς Ῥωμαίους ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φοίβης τῆς διακόνου τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας.

26. (Quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundùm præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei in cunctis gentibus cogniti:)

27. Soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui gloria in secula seculorum, Amen.

28. Scripta fuit à Corintho, per Phœben ministram Cenchreensis Ecclesiæ.

ANALYSIS ET EXPLICATIO.

IN altera parte hujus capitis 1. gravissimam instituit exhortationem de vitandis hæreticis, quales erant tempore Apostolorum Pseudoapostoli, adulterantes verbum Domini, de quibus passim conqueritur D. Paulus in suis Epistolis. Tales etiam Romæ esse posse meminerat, qui unitatem fidei corruptelis in doctrina scindant, & scandala pariant: utrumque enim conjungit, διχοστασίας & σκάνδαλα. Rogo autem vos fratres, *inquit vers. 17.* ut observetis eos, qui dissensiones & scandala, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis. *Non præcipit autoritate Apostolica, sed amicè rogat, ut affectum suum erga Ecclesiam agnoscant, & rei magnitudinem secum diligentius expendant: atque sic affectus movet, quod Exordiorum atq; Epilogorum proprium est. Notat autem duo, quibus Satan concordiam & bonum statum Ecclesiæ interturbare solet;*

let: Diſſidia in religione contra doctrinam Apoſtolicam (παρὰ enim præter, eſt idem ac contra: ſicut Galat. 1, 8. uſurpatur, & Rom. 1, 26.) & quæ hinc oriuntur, ſcandala in Eccleſia. Utrumque in hæreſi concurrit; ubi novâ doctrinâ turbantur animi Auditorum, & in doctrina, quam didicerunt, ſi non corrupti, dubij tamen redduntur, Hos igitur obſervare *jubet &* declinare. *Quibus duobus vocabulis modum tractandi hæreticos expreſſit. Obſervandi ſunt, hoc eſt, quia clàm ſe inſinuant, & in veſtitu ovium ad nos veniunt, diligenter probanda eſt ipſorum doctrina, num ex Deo ſit, attendenda ipſorum ſtudia & mores, ne inſcij ejuſmodi ſerpentes in ſinu foveamus. Deprehenſi in malitia vitandi ſunt, non modo ita, ut ab ipſorum converſatione ſimus alieni, ſed & quoad ejus fieri poteſt, ut ab officijs removeantur, ne amplius turbas dare pergant. Rationes addit, cur hæretici fugiendi.* Hujuſcemodi enim CHRISTO Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium v. 18. *In hoc verſiculo prima continetur ratio, depromta ab ingenio hæreticorum; quia ſeducunt innocentes, hoc eſt, ſimplices & ad ſubtilitates diſputantium non aſſuetos. Simul autem duas notas addit, ex quibus hæretici agnoſci queant. 1. non ſerviunt DEO, ſed ventri, quam notam & alibi expreſſit Phil. 3, 18. hoc eſt, non quærunt Eccleſiæ ædificationem, ſed privatum commodum, docentes turpis lucri gratia, non ex animo, ea quæ non oportet: tales parùm ædificabunt in Eccleſia. 2, blandiloqui ſunt & affabiles, qui non niſi benedictiones atque preces in ore habent, quibus ſe inſinuant ſimplicioribus, & his verbis quaſi ſeſamo ſparſis decipiunt incautiores.*

Alteram rationem petit Apostolus ab ingenio Romanorum, qui faciles sunt ad credendum, ac proinde facilè decipi possunt. Vestra obedientia, *inquit*, in omnem locum divulgata est: gaudeo igitur in vobis: sed volo vos sapientes esse in bono & simplices in malo, v. 19. *Non reprehendit, quòd dociles sint, sed eo nomine gaudet, & gratulatur ipsis: monet tamen, ne facilitate nimia decipi se patiantur. Proinde & simplicitatem & prudentiam quandam ab ipsis requirit: illam in malis rebus, ne quem decipiant, sed candidè & ingenuè cum aliis versentur; hoc enim est ἀκέραιον esse, absque mixtura fraudis, candidum & apertum: hanc verò in rebus bonis, ut laqueos & decipulas hæreticorum dignoscant, insidias & versutiam ipsorum observent & declinent.* Tertiam *denique rationem petit à certa spe victoriæ:* Deus autem pacis conteret Satanam sub pedes vestros velociter, v. 20. *Quibus verbis hæreses ad ipsum Satanam autorem refert, & hæreticos pari in censu habet cum ipso Satana, cujus sunt Apostoli 2. Cor. 11. Facit autem Romanis spem non modò de auxilio Dei, sed & de subsecutura victoriâ, quam velociter impetraturi sint, etiam opinione citiùs, quando enim propter hæreticorum astutiam omnia in acie quasi novaculæ constituta videbuntur, Deus subitò vires suppeditat fidelibus suis, quibus se hostibus Ecclesiæ feliciter opponant. Conteret autem Satanam penitùs in novissimo die, ubi hæreses & scandala omnia suum habebunt finem: & quia dies ille novissimus quotidiè imminet, ideoque* citò *id futurum ait. Hoc erat primum membrum in hac parte.*

Jam generale votum addit, quo omnes suas Epistolas claudere solet; sed quia, ut fit inter scribendum, salutationes alias inspergit, votum illud deinceps repetit. Adscribit autem salutem Romanis, nomine quorundam suorum familiarium,

qui

qui Romanis eo ipso de agnitione Christi & incremento fidei gratulabantur. Salutat vos Timotheus adjutor meus. *Notus hic est ex* Epistolis, *quas Paulus ad ipsum scripsit: fuit aliquandiu socius Apostoli Pauli in tradenda doctrina Evangelij; idcirco συνεργὸς Pauli hic vocatur:* & Lucius & Iason & Sosipater, cognati mei. Lucius *est fortasse Cyrenæus ille, doctor Ecclesiæ Antiochenæ, cujus mentio fit Act. 13, 1.* Iason *hospes Apostoli fuit Thessalonicæ, factus deinde Episcopus in Patria Pauli: hospitalitas ejus prædicatur. Act. 17, 5.* Sosipater, *fuit Berrhæensis ille, comes Pauli ex Græcia in Macedoniam redeuntis, cujus fit mentio Act. 20, 4. factus deinde scribitur Episcopus Iconiensis. Horum ergo trium nomine Romanos etiam salutat. Adscribit postea & suo nomine salutem amanuensis Apostoli Pauli.* Tertius, *quem existimant Episcopum Beryti in Phœnicia factum esse.* Salutat vos Gajus hospes meus & universæ Ecclesiæ *v. 13. Fuit ille Gajus, quem Apostolus Paulus ipse baptisavit* 1. Cor. *1, 14. quiq; postea* Paulum *ex* Corintho *in Asiam redeuntem comitatus fuit* Act, *20.* 4. *Hic à singulari hospitalitate commendatur, quòd & Apostolum Paulum, & omnes, qui fidem Christi sunt amplexi, in urbe Corintho liberaliter, exceperit.* Salutat vos Erastus arcarius seu οἰκονόμος civitatis, & Quartus frater vers. 24. *Fuit hic Erastus aliquandiu comes profectionum Pauli, à quo, unà cum Timotheo ex urbe Epheso præmittitur in Macedoniam Actor. 19, 21. sed Paulo* Romæ *captivo, mansit Corinthi* 2. *Tim. 4, 20. quia à munere publico diu abesse non poterat. Quis fuerit ille Quartus, non additur. Oportet pium fuisse civem Corinthiacum, quia & ipse Romanis de agnitione Christi gratulatur, omnemq; DEI benedictionem hac sua salutatione precatur. Expeditis salutationibus illis, repetit Apostolus prius*

Timotheus. Lucius. Iason. Sosipater. Tertius. Gajus. Erastus. Quartus.

votum, quo ipsis gratiosam Dei præsentiam ex animo optat. Addit autem insignem δοξολογίαν, *qua totam claudit Epistolam, vers. 25, 26, 27.* Ei qui potens est vos confirmare, juxta Evangelium meum & prædicationem JESV CHRISTI, secundùm revelationem mysterij temporibus æternis taciti; nunc autem patefacti per scripturas Prophetarum, secundùm præceptum æterni DEI ad obedientiam fidei in cunctis gentibus cogniti; soli sapienti Deo, per IESVM CHRISTVM, cui honor & gloria in secula seculorum, Amen. *AEquum putavit Apostolus, ut, postquam bonos quam plurimos salutasset ipse, ab alijsq; salutem apposuisset, jam tandem Deo quoque, omnis boni autori, gloriam adscriberet. Facit id aliquo, ut ita dicam, cum apparatu. Quemadmodum enim Epistolam hanc exorsus est à descriptione DEI, operumq; divinorum; ita eadem ratione eam claudit. Et 1. quidem prædicat Dei potentiam in confirmandis fidelibus. 2. immensam ejus sapientiam in dirigendis rebus, quæ sunt in mundo, omnibus, inprimis in administratione & propagatione Ecclesiæ suæ; quam suam sapientiam per Jesum Christum nobis revelavit. In priore celebrationis membro exponit modum, quo Deus fidem nostram confirmare soleat, nempe per Evangelium, hoc est, per doctrinam de Christo. Ea enim & dat & auget, & conservat fidem in nobis, quod neque doctrina Philosophica neque Mosaica præstare potest. Vocat autem Evangelium* suum, *quia ipse minister fuit Evangelij, & præco Justitiæ Christi inter gentes. Hanc suam prædicationem appellat revelationem mysterij temporibus æternis taciti. Nam mundum reconciliatum esse Deo per Christum, verè mysterium est, & arcanum, quod ratio humana ignorabat; per prædicationem autem Apostolorum, innotuit in mundo.*

Apo-

Apostolis autem innotuit ex scriptis Prophetarum, in quibus Evangelium fuit prænunciatum, eaq; quæ in Novo Testamento per CHRISTUM impleta sunt, prædictionibus & promissionibus contenta, idque ex singulari præcepto DEI, qui nihil facit, nisi prius revelet hoc servis suis Prophetis, Amos 3. Finis istius revelationis erat, ut omnes gentes ad obedientiam fidei adducerentur. Hæc enim fuit voluntas Dei, ut omnibus gentibus annunciaretur Christus, & ut non saltem audirent omnes de Christo sed & obedirent, hoc est, ad agnitionem veritatis omnes se adduci paterentur: quæ quidem Dei voluntas ex sui parte fuit seria, licèt in multis eventus non fuerit subsecutus.

Paraphrasis hujus partis.

OBsecro autem vos, Carissimi, attendite doctores vestros, spiritusque diligenter probate, num ex DEO sint: si qui sunt, qui aliam doctrinam afferant, quàm à me audistis, fugite eos, ut pestes animæ vestræ. Etsi enim se servos CHRISTI jactitant, & blandiloquentia sua vobis palpum faciunt, revera tamen vos decipiunt, & à sinceritate veritatis abducunt, non gloriæ CHRISTO aut ædificationi Ecclesiæ, sed commodis suis intenti. *S*cio vos non esse pertinaces aut præfractos, sed quæ auditis, facilè creditis, de quo dono vobis gratulor: sed cavete, ne ista vestra facilitas vobis fraudi sit: eam enim etiam hæretici, Pseudoapostoli vestri norunt, & tantò facilius vos novis doctrinis inescare conabuntur. *P*roinde simplicitate & facilitate vestra utimini in conversatione cum fratribus vestra utimi in conversatione cum fratribus vestris, ubi vos decet candor & ingenuitas:

interim autem prudentia vobis opus est & cautione singulari, ne laqueis versutissimorum istorum hæreticorum decipiamini. Quod si facturi estis, non dubito de auxilio Dei, quod etiam nõ opinantibus vobis obtinget, donec tandem Diabolum & ejus organa in novissimo die pedibus suis subijciat. Dominus Jesus vobis adsit. Salutem vobis annunciari jussjt meus in verbo administer Timotheus, & cognati mei Lucius Cyrenæus, Jason Thessalonicensis, & Sosipater Berrhæensis. Et ego Tertius, qui hanc Epistolam exaravi, in Domino vos salvere jubeo. Salutat vos quoque Gajus hospes meus & Christianorum omnium, qui Corinthi vivunt; ut & Erastus hujus oppidi quæstor, & Quartus, meus in Christo frater. Dominus Iesus vobis omnibus adsit Amen. Ei verò, qui vos in fide confirmare potest per prædicationem Evangelij de Christo, quod quondam sub obscuris Veteris Testamenti umbris latuit, in scriptis autem Prophetarum innotuit, & per ministerium meum vobis annunciatum fuit ex mandato Dei, qui per hanc doctrinam omnes gentes ad agnitionem veritatis pervenire voluit; illi soli sapienti Deo, per Iesum Christum nobis patefacto, sit honor & gloria sempiterna, Amen.

Quæstiones ex hac parte capitis

QUÆSTIO I.

Si doctrina Evangelij de CHRISTO

est mysterium æternis temporibus absconditum, jam verò tempore Novi Testamenti patefactum; an ergo sancti Patres in Veteri Testamento nihil sciverunt de Christo?

Resp. *Absit, ut hoc dicamus. Testatur enim Apostolus Petrus, Patres eodem modo salvatos esse atque nos, nimirum per gratiam Domini nostri Iesu Christi Actor. 15, 11. Habuerunt itaq; & ipsi doctrinam Evangelij de Christo & quidem triplici modo. 1. in promissionibus: quò pertinet πρωτευάγγελιον in Paradiso prædicatum de semine mulieris contrituro caput serpentis, & omnes promissiones de CHRISTO Patriarchis factæ: quo respectu de Abrahamo scriptum est, quòd ipsi pro evangelisatum fuerit; benedicentur in te omnes gentes, Gal. 3, 8. & hoc sensu legi opponitur promissio, hoc est, doctrina Evangelij Gal. 3, 14. & Evangelium vocatur promissio vitæ 2. Timoth, 1, 1. 2. in prædictionibus & vaticinijs Prophetarum, ubi Christi adventus, incarnatio, nativitas, passio, mors, resurrectio, adscensio in cœlos, tota denique vita tàm clarè descripta reperitur, ut Prophetæ interdum historicos, non futurarum rerum prænuncios agere videantur. Vnde quidam ex veteribus, Vetus Testamentum vocavit Evangelium prænunciatum; Novum autem, Legem impletam. 3. in sacrificijs & typis Leviticis: illa enim omnia umbram habuerunt rerum futurarum, corpus autem est in Christo Jesu Hebr. 10, 1. Tot ergo modis doctrinam de Christo Patres habuerunt in Veteri Testamento. Vocatur tamen nihilominus mysterium absconditum. 1. ratione cognitionis. Non n. naturâ nobis notum est, sicuti lex, quæ homini in ipsa creatione est impressa; sed filius Dei, qui est*

Patres in Veteri Testamento habuerunt doctrinam de Christo triplici modo.

in sinu Patris, ipse enarravit nobis Ioh. 1, 18, 2. ratione patefactionis. Patrum enim notitia de Christo valdè fuit tenuis & obscura quippe involucris typorum atq; sacrificiorum tecta: nostra autem hodiè, Dei beneficio, longè est illustrior, ita ut puer septennis, qui Catechismum suum didicit, de Christo plura teneat, quàm Apostoli ante acceptum Spiritum sanctum; quo pertinet vaticinium Jer, 31, 34. in quo de claritate Novi Testamenti agitur. 3. ratione promulgationis. Habuerunt equidem sancti Patres Evangelium de Christo, sed nondum solenniter promulgatum, sed intra angustos Iudeæ terminos sese adhuc continens: illa verò solennis promulgatio dilata fuit usq; ad tempora Novi Testamenti, ubi Christus Apostolos in universum orbem terrarum ablegavit, eosq; testes suos constituit, à Jerusalem & in omni Judaa & samaria, & usq; ad ultimum terræ. Id verò factum esse Hierosolymis constat ex Act. 1, 8. atq; sic prædictum erat Esa. 2, 3, De Sion exibit Lex, & verbum Domini de Ierusalem.

QUÆSTIO II.

Scribit Apostolus Paulus, se ex patefactione scripturarum Propheticarum habere Evangelium suum v. 26. quomodo verò ad Galatas c. 1, 12. dicere potest, se neq; ab homine accepisse illud, neq; dedicisse, sed per revelationem Iesu Christi?

Resp. Illud in Epistola ad Galatas respicit simpliciter humanam autoritatem, cui Apostolus doctrinam suam non fert acceptam.

acceptam: Hic verò respicit autoritatem Propheticam, quam divinam esse D. Petrus testatur 2. Petr. 1, 21. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto Inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Non ergo negamus D. Paulum habuisse revelationes suas Apostolicas. id enim ipse fatetur Gal. 1, & 2. 2. Cor. 12. neq; tamen alterum illud negandum est, ipsum doctrinam, quam ex revelatione habuit, ex scripturis Prophetarum confirmasse: hoc enim est, quod coram Agrippa dicit: auxilio Dei adjutus usque in hodiernum diem sto, testificans minori atq; majori, nihil aliud dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, &c. Actor. 26, 22.

QUÆSTIO III.

Quando D. Paulus Deum solum sapientem nominat, per Iesum Christum v. 27. an non negat Christum esse verum Deum?

Resp. Minimè gentium. *Deus enim exclusivâ particula non à personis Trinitatis, sed creaturis omnibus distinguitur, tanquam fons omnis sapientiæ. Christus autem à Deo hic distinguitur non ratione essentiæ sed ratione officij, quia Christus est interpres sapientiæ divinæ, per quem nobis constat de voluntate Patris, & mysterijs divinis ab omni æternitate absconditis: atq; hac ratione vocabulum DEI relativè hîc accipitur de persona Patris, cujus sapientia ac potentia per Filium revelata fuit; quo sensu Deus novissimis temporibus per Filium nobiscum locutus esse dicitur Hebr. 1, 1. D. Augustinus elogium hoc Apostoli ad totam Trinitatem refert. Vrget enim hoc, quòd Apostolus non dixit: soli sapienti Patri,*

Patri, sed soli sapienti Deo. Deus itaq; nequit, quod est ipsa Trinitas, propterea solus sapiens rectè dicitur, quia solus secundùm substantiam suam, sapiens est: non secundùm accedentem vel accidentem participiationem sapientiæ, sicuti sapiens est rationalis quæcunq; creatura lib. 3. contra Maximum Arianum cap. 13. Illud autem, quòd Deus solus sapiens dicitur per Iesum Christum, ita interpretatur, quia per Christum sit clara cum laude notitia Dei, qua innotuit gentibus Deus Trinitas. Sed nec alteram illam interpretationem rejicit Augustinus, quam paulò antè dedimus. Si enim dixisset Apostolus, soli sapienti Patri, nec sic filium inde separaret, inquit: Non enim, quia in Apocalypsi de filio legitur; habens nomen scriptum, quod nemo scit, nisi ipse; ideo Pater nescit hoc nomen, à quo est inseparabilis filius. Sicut ergo scit & Pater, quod nemo scire dictus est nisi filius, quia inseparabiles sunt: Sic, etiamsi dictum esset, soli sapienti Patri; simul intelligi deberet & filius, quia inseparabiles sunt. Hæc Augustinus loco dicto, & in hac interpretatione, illud, per Jesum Christum, ita exponit, quòd solus Pater sapiens sit per Iesum Christum, gignendo nimirum sapientiam æternam ab æterno, quæ est Christus; id enim nulli alteri personæ Trinitatis competit. In genere autem notetur hic & in similibus locis scripturæ, in quibus Exclusivæ *particulæ de Deo usurpantur, regula ab Augustino, Cyrillo, Athanasio & alijs S. Patribus annotata:* Cùm sermo est de re, quæ alicui personæ divinæ secundũ essentiam, & non secundùm originem convenit, nõ excluduntur, sed includuntur aliæ personæ divinæ, quæ sunt ejusdem essentiæ divinæ. *Vide August. lib. 3. Cont. Maximinum cap. 13. Cyrill. lib. 9. thesauri orthod. fid. cap. 4. Athanas. in cap. 17. Lucæ &c.*

Regula orthodoxæ antiquitatis de tribus personis S. Trinitatis.

Aphorismi-

Aphorismi Theologici ex hac parte Capitis.

1. HÆretici non sunt omnes, qui errant in doctrina, sed qui seducunt etiam alios, 2. Tim. 3, 13. scandala pariunt, sectas exitiales inducunt 2: Petr. 2. 1. & aliorum fidem subvertunt, 2. Tim. 2, 18. Ideo distinxit Augustinus inter hæreticos & credentes hæreticis, quos & simpliciter Errantes vocat lib. 3. de baptis. cap. 19. quales multi sunt politici, qui privatos fovent errores, non sine periculo suo, sed tamen absq; scandalo publico.

2. Errantes in fide suscipiendi & informandi sunt, quemmadmodum Paulus noster suprà monuit Rom. 14, 1. hæretici autem devitandi, hoc est, à commercijs & colloquijs, à libris etiam ipsorum abstinendum est: quod & hoc in loco præcipitur, & alibi Tit. 3. 2. Tim. 3. 2. Ioh. Nulla cum talibus commercia, nulla convivia, nulla colloquia misceantur, simusq; ab eis tam separati, quàm sunt illi ab Ecclesia profugi, inquit Cyprian. lib. 1. epist. 3. ad Cornel.

3. Hæretici observandi sunt, non saltem à magistratu aut doctoribus Ecclesiæ, sed ab omnibus Ecclesiæ civibus. Paulus enim hoc Romanis promiscuè præcipit: & Christus ad omnes dicit: Cavete vobis à Pseudoprophetis, Matth. 7. Quod enim omnes tangit, ab omnibus curari debet: idcirco jubet D. Iohannes probare Spiritus, num ex Deo sint 1. Ioh. 5.

4. Proprium hæreticorum est per blanditias insidiari simplicioribus, neq; gloriam Christi aut ædificationem Ecclesiæ quærere, sed proprium honorem atq; lucrum privatum: idcircò negotiari dicuntur 2. Petr. 2, 3. & animas populi capere,

Aaaaaa Deumq;

Deumq́; violare propter pugillum hordei Ezech.13.v.18. & 19. Proinde monente Basilio, hæreticorum non tam minæ, quàm blanditiæ timendæ sunt.

5. *Frivola est Iesuitarum exceptio, qua dicunt, non quidem contra scripturã aliquid pro verbo Dei habendum esse, sed præter scripturam aliquid addere verbo scripto, licitum esse. Nam D. Paulo in hoc negotio synonyma sunt,* præter & contra. *Non enim vult aliquid addi Evangelio à se prædicato, & licet id Angelus de cœlo faciat, eum tamen anathemate ferit Galat. 1. Si enim non est contra doctrinam Apostoli, cur non contenti sumus ijs, quæ habemus scripta: si autem doctrinæ illi est contrarium, fatentibus etiam adversarijs, non est admittendum. Quocirca Deus simpliciter prohibuit, ne quid addatur vel dematur verbo suo Deut. 4, 5. & 12. & D. Iohannes hanc veluti generalem clausulam addit toti codici sacro: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, Apoc.22, 18. & 19.*

6. *Christianos decet & simplicitas & prudentia. Simplicitas in credendis verbis divinis, & in conversatione cum proximo, quæ debet esse* ἀνυπόκριτος καὶ ἀκέραιος. *Prudentia autem respectu malorum, inter quos vivimus in hoc mundo: quorum mores, artes, fraudes nosse, doctrinam & vitam ipsorum probare, vel inprimis nostra interest: quam ob caussam Salvator ipse vult nos esse simplices ut columbas, prudentes ut serpentes. Matth.10.*

7. *Orandum est sedulò, ut Deus ipse conterat Satanam sub pedes nostros, quò verbum suum inter nos currat, nomen ejus inter nos glorificetur, & nos à malis & importunis hominibus*

minibus liberemur 2. Thes. 3. Cùm autem oporteat esse scandala & hæreses. 1. Cor. 11. Matth. 18. ita ut dum hic mundus duraverit, plenaria Satanici regni abolitio speranda non sit; tantò magis ingemiscamus, ut Deus vel tandem illucescere clementer patiatur diem illum redemtionis nostræ, in quo plenè conteretur serpens ille antiquus, & Deus erit omnia in omnibus: idq; exemplo S. Iohannis: Veni Domine Iesu, etiam veni citò, Amen. Apoc. 22, 20.

8. *Apostolicum votum & quasi benedictio solennis est: Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum; qua Paulus omnes Epistolas suas, & D. Iohannes Apocalypsin suam obsignavit. Eademq; benedictione, sacra nostra & inchoare & finire solemus in templis. Si enim Deus nobiscum, quis contra nos, Roman. 8? Erit autem nobiscum, quando nos erimus cum eo, 2. Paral. 15, 2. væ autem eis, si ego discessero ab eis, inquit Dominus Ose. 9.*

9. *Fidele servitium nunquam caret sua remuneratione: Ita fidelitatis suæ retributionem habet amanuensis Apostoli Pauli, quòd ipsius memoria est in benedictione & felici recordatione, quamdiu fuerit Ecclesia Christi. Et Apostolus Paulus in genere omnibus servis fidelibus promittit retributionem à Domino Col. 3, 24.*

10. *Conditio Novi Testamenti longè melior est, quàm Veteris, inter alia etiam propter illustriorem modum patefactionis Evangelij: quam ob caussam Vetus Testamentum nocti, Novum diei comparatur supra cap. 13. ubi vide plura de hoc loco.*

11. *Doctrina Evangelij de Christo est mysterium. Nemo igitur audeat eam perscrutari rationis suæ judicio, sed contenti simus revelatione verbi, qua nobis annunciatum est omne consilium Dei Actor. 20. Hæc enim sunt defendenda ratione quæ*

vel à ſenſibus corporis incoata, vel ab intelligentia mentis inventa. Quæ autem nec corporeo ſenſu experti ſumus, nec mente aſſequi valuimus aut valemus, eis ſine ulla dubitatione credenda ſunt teſtibus, à quibus ea, quæ divina vocari meruit ſcriptura, confecta eſt, inquit Auguſtinus Enchirid. ad Laurent. cap. 4. Idem etiam in memoriam nobis revocemus, cùm audimus, fidem Chriſtianam rideri ab Empectis & Iudæis: ſunt enim mera myſteria, quæ hominum judicio meræ videntur ſtultitiæ. Sed ſtultitia Dei ſapientior eſt hominibus, ait Paulus 1. Cor. 1.

12. Prophetæ ſunt interpretes myſterij de Chriſto: ad hunc enim ſcopum potiſſimùm ſua direxêre vaticinia, ut promiſſum ſemen mulieris mundo innoteſceret. Quam ob cauſſam D. Petrus fatetur, Prophetas omnes Chriſto perhibuiſſe teſtimonium Actor. 10. & Auguſtinus ſcribit, Prophetas non per ſuperbiam præceſſiſſe Chriſtum, ſed Eum per ipſos loquentem humiliter portaviſſe, lib. 10. contr. Fauſtum Man. cap. 12. Ex quibus colligimus, in interpretatione Prophetarum inprimis Chriſtum quærendum eſſe, tanquam principalem viſionum atq; vaticiniorum ſcopum.

13. Apoſtolorum ſcripta ſunt quaſi clavis ad ſcripta Prophetarum. Sunt enim Apoſtoli Prophetis non tantùm ὁμόψηφοι, ſed &, quæ illi viſionibus ſuis involvunt, hi clariùs exponunt: idcirco interpretatio Prophetarum omnium certiſſima petitur ex ſcriptis Apoſtolorum; id quod vulgò dicitur, ſcripturam per ſcripturam interpretari: ſcriptura enim non eſt ἰδίας ἐπιλύσεως 2. Petr. 1. Apparet etiam exinde, fundamentum doctrinæ Chriſtianæ in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum ſitum eſſe: unde D. Paulus ſcribit, Chriſtianæ Eccleſiæ cives ſuperædificatos eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, in quo ſummus & angularis lapis ſit Ieſus Chriſtus Eph. 2, 20.

14. Fides

14. Fides est quidem donum Dei Phil. 1. est opus Dei Ioh. 6. neq; est omnium 2. Thess. 3, 2. nemini tamen simpliciter denegata est; sed hæc est voluntas Dei seria, ut per prædicationem Evangelij omnes gentes adducantur ad obedientiam fidei, v. 26. hoc est, omnibus vult prædicari Christum, omnibus seriò proponit media consequendæ fidei, vult etiam, ut omnes accipiant verbum, audiant & obtemperent. Quibus medijs qui seriò utuntur, & à Deo fidem petunt, de consecutione ejus certi esse possunt. Deus enim dona generalia, & ad salutem simpliciter necessaria, nemini negavit, nec quenquam absoluto quodam decreto ab ijs exclusit: sed dabit & fidem & Spiritum Sanctum, petentibus eum, Luc. 11, 13.

Ipsi sit honor & gloria, in sempiterna secula. Amen, Amen.

FINIS COMMENTARII IN EPISTOLAM BEATI PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.



INDEX PRIMUS,

qui est

Dictorum Scripturæ, quæ in hoc Commentario explicantur.

Psalm.



JNDEX SECVNDVS,

Quæstionum Controversarum, secundùm Ordinem Capitum.

Quæstiones ex Capite I.

tem habuerunt naturâ probam? p. 109.

30. *Apostolus Eph. 5. immunditiam ne quidem nominari vult: Cur ergò tàm prolixè Ethnicorum impuritatem describit? p. 109.*

Quæstiones ex Cap. II.

1. *Num judicium aut opinio de proximo omninò prohibeatur, cùm Paulus dicat, eum, qui judicat alium, seipsum condemnare? p.123.*

2. *Quomodo homo per impœnitẽtiam thesaurizare sibi potest iram, cùm neq; pœnitentia neq; conversio sit in nostris viribus? p.125.*

3. *Annon Dei longanimitas fiat caussa hominum contumaciæ & indurationis? p.127.*

4. *Paulus conjungit duritiem & impœnitentiam: Ergóne unum idemq; peccatum est induratio & impœnitentia? p.128.*

5. *Numquid impœnitentiam simpliciter vocare possumus peccatum in Spiritum sanctum? p.129.*

6. *Promittitur perseverantibus in bono vita æterna: Ergóne intuitu æternæ mercedis benè operari licet? p. 130.*

7. *Ait Apostolus: Reddet unicuiq; Deus secundùm opera sua; numquid igitur Deus propter bona opera vel pro dignitate illorum unicuiq; retribuet? p.131.*

8. *Cùm Paulus bona opera hîc tantopere commendet, cur Lutherus ea vocat peccata mortalia? p.133.*

9. *Scribit Apostolus, factores Legis justificabuntur: Cur verò infrà ait: Ex operibus legis non justificabitur omnis caro? p.136.*

10. *Dicit Apostolus, gentes legem non habuisse, & sine lege peccasse; quæritur ergo, num lex Mosis nullas alias gentes obligarit, quàm Hebræos? p.138.*

11. *Si gentes non habuerunt legem, quomodo peccare potuerunt sine lege, cùm omne peccatum sit transgressio legis? p.141.*

12. *Cum lex naturæ sit eadem cum ea, quæ scripta fuit in tabulis Mosaicis, quid opus fuit eam demùm tabulis inscribi? p.142.*

13. *Quando Apostolus scribit, gentiles naturâ fecisse ea, quæ legis sunt; annon patrocinatur Pelagio, perfectionem naturalem gentibus tribuenti: aut synergistis, gentiles ex proprijs viribus aliquid ad sui con-*

Quæstiones ex Capite III.

6. Cur

21. Quo-

Quæstiones ex Cap. IV.

Quæstiones ex Cap. VI.

mortali corpore: Ergóne renati etiam habere possunt peccatum regnans, hoc est, excutiens Spiritū Sanctum? 417.

7. Si peccatum in eos, qui sunt sub gratia, nullum habet dominium; num hinc sequitur, illos ipsos universam posse legem implere? p.420.

8. Apostolus liberatos à peccato vocat servos justitiæ; cur verò alibi libertatem eis tribuit? p.421.

9. Apostolus vitam æternam hîc vocat τέλ@, hoc est, vectigal: & alibi sacramenta bonis operibus mercedem ac meritum tribuit: Annon verò hinc rectè infertur, bona opera esse meritoria vitæ æternæ. p.224.

10. Si mors stipendium seu pœna peccati est: annon sequitur, manere pœnam etiam in ijs, quibus remissum est peccatum? p.425.

11. Si mors est pœna peccati, Deus erit autor mortis; quod tamen Sacræ Scripturæ videtur refragari? p.426.

Quæstiones ex Capite VII.

1. Estne matrimonium status tantùm hujus seculi: scribit enim Apostolus. Si mortuus fuerit vir, soluta est mulier à lege viri? p.439.

2. Annon parti innocenti à conjuge adultero vel adultera legitimè separatæ, licet matrimonium contrahere cum alterà, vivente adhuc parte rea: Contrarium enim hoc loco innuere videtur Apostolus? p.440.

3. Annon Christiani à legis observandæ obligatione sunt absoluti: cū scribat Apostolus, nos esse solutos à lege? 443.

4. Sapientes Ethnici mulieres aliquas viris imperitantes commendant: numquid hi pugnant cum Apostolo nostro, qui mulierem vocat ὕπανδρον? p.447.

5. Qualis intelligitur concupiscentia in præcepto: Non concupisces: an ea tantùm, quæ in carne & sensu hominis sedem habet; an verò ea etiā, quæ rationis & mentis est? p.459.

6. Numquid primi motus concupiscentiæ ad res illicitas propriè sunt peccata: etsi eis non adsit rationis & voluntatis consensus? p.462.

7. Numquid unum duntaxat præceptum in decalogo est de non concupiscendo: hîc enim à Paulo tantùm unum citatur. p.470.

8. Scribit Apostolus de suo Pharisaismo, se tum fuisse sine lege: cur ergò alibi scribit, se cōversatum fuisse secundum justitiam, quæ in lege est? p. 472.

Quæstiones ex Cap. IIX.

Quæstiones ex Cap. IX.

Quæstiones ex Capite X.

Quæstiones ex Cap. XI.

Quæstiones ex Cap. XII.

Quæstiones ex Cap. XIII.

Quæstiones ex Cap. XIV.

5. Si

Quæstiones ex Capite XV.

FINIS QVÆSTIONVM.



JNDEX TERTIVS,

qui est

Rerum memorabilium, quæ in hoc Commentario continentur.

Bapti-

Disce-

Erran-

G.

Ffffff 2 *ctandi*

quomo-

Opera

P.

Πάρεσις

Rami

F I N I S.

